6
40-e
30

~~6 #~~. XXI. 1. 1 3.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 F
17



6-

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CLARORVM BELGARVM EPISTOLAE.

Digitized by Google

CLARORVM
BELGARVM

A D

ANT. MAGLIABECHIVM

NONNVLLOSQVE ALIOS

EPISTOLAE

Ex Autographis in Biblioth. Magliabechiana, quae nunc Publica Florentinorum eſt, adſervatis deſcriptae.

TOMVS SECVNDVS.



FLORENTIAE. MDCCXLV.
Ex Typographia ad Inſigne Apollinis in Platea Magni Ducis.

Superiorum Permiſſu.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO

D. ANDREAE

ALAMANNIO

MARCHIONI LORIANI ET TRENTVLAE
PATRICIO FLORENTINO.

ROMA
VITTORIO EMANUELE

IO. TARGIONIVS FELICITATEM.

P*Lura ſunt* , VIR AMPLISSIME, *quae me impulerunt , ut Patrocinio , & Favori Tuo libellum hunc*

Digitized by Google

Bibliothecae Publicae Florentinae fetum, meo qualicumque labore in lucem eductum commendare auderem. Praecipuum vero illud eſt, quod TV *Viro Ampliſſimo Carolo Rinuccinio eiusdem Bibliothecae Curatori Vigilantiſſimo amicam ſedulamque operam praebens, nullam in eo munere moleſtiam vel primo & difficili tempore declinaveris, nullumque laborem recuſaveris; ſed diligentia ſumma, comitateque ſingulari opus illud Patriae noſtrae utiliſſimum urgere non deſinas. Tuae certe ſedulitati Cives noſtri magna ex parte referre debent acceptum, quod Magliabechii & Marmii beneficiis, Principumque noſtrorum Munificentia frui poſſint. Me autem non uno hoc tantum nomine* Tibi *aeternum devinxiſti; ſed illo potiſſimum, quod laborem a me in Bibliotheca eadem impenſum probaſti; quod ſaepe diligentiam meam pergratam* Tibi *eſſe non ob-*

obſcure indicaviſti quodque non una vice defeſſum me, ac laboris magnitudine perterritum amice confirmare, & benigna favoris aura provehere non es dedignatus. Iure igitur meritoque Tibi *offere geſtio, & Inclyto Tuo Nomini conſecrare Libellum hunc in ipſamet Bibliotheca; inter labores* Tibi *probatos natum; ut hocce qualicumque teſtimonio patefacerem, quantum* Tibi *Vrbs noſtra debeat, & quantopere privatim ego Humanitati; ac Beneficentiae Tuae obſtrictus ſim. Tenuem hanc, ſed certam grati, obſequentiſque animi mei ſignificationem non ingratam* Tibi *futuram fore confido; praeſertim quum Inclytorum Maiorum Tuorum Veſtigiis inſiſtens, Optimis quibuſque Diſciplinis Animum excolueris, & Amoenitates Litterarias in deliciis habere ſolitus ſis; quumque duos alios ſimilium Epiſtolarum faſciculos non ſine aliqua*

voluptate pervolveris. Benigno igitur vultu hunc quoque excipere ne graveris; ac prolixa Tua Humanitate mihi, ſtudiiſque meis favere perge; dum Tibi *interim ſecunda & fauſta omnia a* Deo O. M. *ex animo precor.*

Dabam e Muſeo meo XVII. *Cal. Sept.* MDCCXLV.

CAN-

CANDIDO LECTORI

IO. TARGIONIVS FLOR. MED. D.

Rei Herbariae Prof. P. & Bibliothecae Pub. Magliabechianae Praefectus

S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVum haud obſcuris indiciis cognoverim duos Epiſtolarum Clarorum Virorum Tomos, quos hactenus in lucem emiſi, comiter exceptos ab Eruditis fuiſſe, & hoc qualicumque conatu gratiam aliquam me promeritum eſſe, alacrior ad laborem factus, ſubſecivas horas delectui, & editioni talium cimeliorum dedicavi. Habes igitur, Amice Lector, Tomum

Al-

Alterum *Epiſtolarum Clarorum Belgarum*, quem ob Scriptorum doctrinam, rerumque contentarum pondus, varietatem, & elegantiam, non minori obleсtamento, & utilitate tibi futurum fore confido. Hunc brevi conſequentur alii ſaltem duo, quibus Sylloge *Epiſtolarum Clarorum Belgarum* concludetur; niſi ab Eruditis quibusdam Florentinis diſertiſſimas alias *Belgarum* Epiſtolas impetravero, quae unum adhuc, quintum nempe; Tomum conficere poterunt. Typographi feſtinatione factum eſt, ut Epiſtolarum faſciculi digeſti ſint eo tantum ordine, quo deſcripti, & ad editionem parati erant: id autem animadvertere placuit, ne quis putet me tali coordinatione, iudicium de praeſtantia Scriptorum ferre auſum eſſe.

Amicorum monitis fidelibus parens, in fronte ſingulorum faſciculorum Epiſtolarum nonnulla adnotavi, quibus Scriptorum vita dignoſci, & Epiſtolarum ſeries explanari poſſit. Si ocii ſatis haberem, luculentius profecto iſta tractare poſſem, quum noverim Libros in Bibliotheca Publica, & alios ego poſſideam, ex quibus talia expiſcari liceat;

ceat; ſed aliae urgent curae, & in diverſa diſtrahunt. *Societatis* ſiquidem *Botanicae* Florentinae impulſu, manus admovere rurſus debui *Catalogo Plantarum Horti Regii Florentini*, cuius ea pars, quae Celeb. *Michelii* opus poſtumum eſt, iam ab A. MDCCXXXIX. typis expreſſa iacet; alteram ferme aequalem, qua recenſui Plantas vel a *Michelio* praetermiſſas, vel poſt eius obitum in Hortum illatas, quaque plurimas Plantas deſcripſi, vel accuratis Obſervationibus illuſtravi, hactenus in Adverſariis deliteſcere paſſus ſum. Quum enim dira Arni inundatio, quae Florentiae contigit die 3. Dec. A. MDCCXL. inter cetera luctuoſa damna quae Muſeo meo intulit, miſere corruperit ſceleta Plantarum accuratius examinanda, & ſchedas appoſitas, in quibus adnotaveram quicquid praegreſſa Aeſtate in Horto obſervare contigerat; animo fractus, abieci cogitationem illam, nec rurſus nuper ſuſcepiſſem, niſi veritus eſſem, ne *Sociorum Botanicorum* prolixa erga me humanitate abuti velle viderer. Elapſo itaque menſe laborem hunc reſumpſi, acriterque urgeo, ut deinde ſupremam manum imponere valeam Deſcriptio-

ptio-

ptioni duorum Itinerum, quae *Societatis* eiusdem iuſſu per Etruriam inferiorem peregi.

Hanc autem Lectoribus non iniucundam fore confido, utpote quae plurima ſcitu digna complectetur, quorum accipe capita praecipua. 1. Accurata Typographia hodiernae faciei regionum illarum. 2. Phyſica contemplatio maximarum variationum, quibus haec Italiae pars remotiſſimis temporibus, & ante hominum memoriam obnoxia fuit. 3. Animadverſa de origine, ſitu, divaricatione, ac ſtructura Montium, quos primigenios, & antiquiores appello. 4. Deſcriptio ſtratorum lapidum, terrarumque, quibus ii Montes conſtant; obſervationes de ipſorum ſtratorum petrificatione, deque eorum petrefactorum diſſolutione a diverſis cauſis. 5. Animadverſa de variorum lapidum in alios tranſitu, mutuaque ſucceſſione: de Cryſtallorum, aliarumque Gemmarum, de Iaſpidum item, Marmorum, Alabaſtritum &c. origine, accretione & tinctura. 6. Deſcriptio Mineralium varii generis a Natura in hiſce montibus incluſorum, & Hiſtoria vetuſtarum Fodinarum, quae paſſim ibi occurrunt. 7. Animadverſa

de

de ſitu, origine, ac ſtructura Collium ſecundariorum; deque ſtratis horizontalibus Argillaceis, Arenaceiſque, quibus eorum moles conſtat. Deſcriptio Corporum Marinorum quibus ii Colles undique referti ſunt, corporumque eterogeneorum, qui a Montibus antiquioribus defluxerunt, vel in ſinu ipſorum Collium concreverunt. 8. Obſervationes circa Lithoxyla, & Lithanthraces varios. 9. Deſcriptiones LX. circiter Aquarum Thermalium. 10. Deſcriptiones Plantarum in iis regionibus ſponte naſcentium, & animadverſa de ſoli natura qua libentius vegetant. Coniecturae de Plantis, quae antiquiſſimis temporibus indigenae, & aborigines, ut ita dicam, fuerant; quaeque aliunde advertae fuerunt. 11. Obſervata Geoponica. 12. Contemplatio phyſica variationum, quibus eae regiones poſt hominum memoriam obnoxiae fuere: primo nempe ſub Aboriginibus, vel exteris earum invaſoribus, 2. ſub Etruſcis autonomis, 3. ſub Romanorum dominatu, 4. ſub Borealium Gentium invaſione, 5. ſub variarum Rerump. variorumque Deſpotarum; 6. tandem ſub Magnorum Etruriae Ducum dominatu placidiſſimo ad noſtra

uſ-

uſque tempora. Chronologica haec ſeries aperte demonſtrabit, florentiſſimam olim iſtam Etruriae partem, non phyſicis, ſed politicis tantummodo cauſis in exitium, & vaſtitatem deveniſſe; e vaſtitate vero phyſicas inſalubritatis cauſas ſubortas fuiſſe, quae tamen vires humanas non ſuperent, & remedia, quae pro reſtituenda ſalubritate proponuntur, eludere poſſint. Huc pertinent Obſervationes Meteorologicae; adnotata de morbis endemiis, & eorum aetiologia, deque victu incolarum. 13. Specimen Hiſtoriae Naturalis Vrbis Piſanae, eiuſque feraciſſimae Planitiei, in qua Arni, & Auxeris curſus praecipue illuſtrantur. 14. Hiſtoria naturalis Vrbis agrique Liburnenſis; Orae item maritimae Volaterranae; & Maris Tyrrheni. 15. Illuſtrationes Geographiae Antiquae, ac vetuſtorum ruderum & monumentorum, quae mihi ſeſe obſervanda praebuere. Praecipua horum ſunt: Veſtigia Viarum Militarium a Romanis ductarum; Antiquus Portus Piſanus, Villa Triturrita, & Fanum Herculis Labronis; Aquaeductus Coloniae Piſanae; vetuſtum aedificium prope Macluccu-lum; Vada Volaterrana; Aquae Vola-

ter-

terranae, & Populonienſes; rudera Populoniae, Vetuloniae, Maſſae Veternenſis, Finium &c. Veſtigia Ligurum Apuanorum &c. Coemeteria, Sepulchra hypogea, Lapides Acheruntici, Statuae, Inſcriptiones, Muſiva opera, Figlinarum veſtigia, Teſtacea opera varia &c. 16. Illuſtrationes Geographiae Medii Aevi, qua locorum ferme omnium in itinere a me obſervatorum ſitus, & Hiſtoria, Diplomatibus, certiſque aliis monumentis elucidatur; nec vero eorum tantum, qui formam aliquam oppidi, vel pagi adhuc retinent; ſed eorum etiam plurimorum, qui funditus interiere. Huc pertinet Hiſtoria Familiarum, quae regionibus hiſce dominabantur; Eccleſiarum item, & Monaſteriorum, quae hac illac conſpiciebantur; deſcriptiones aedificiorum, & operum medii aevi adhuc dum extantium, & Obſervationes de Architectonice & Sculptura illis temporibus uſitata. Tandem, ne longior ſim, adnotata de Codicibus MSS. & antiquis Chartis quas obiter obſervare contigit.

Haec igitur curae in cauſſa ſunt, cur pluribus, & accuratioribus adnotationibus Epiſtolas haſce illuſtrare non

va-

valeam; & cur menda aliquot, me invito, ſubinde irrepant. Vnum hic animadvertere volui; quod nempe in Sylloges huius Tomo I. pag. xxvii. dum Scriptores Vitae *Antonii Magliabechii* recenſerem, omiſi V. Cl. *Salvinum Salvinium* Eccl. Metropolitanae Florentinae Canonicum, & Ethices in hoc Lycaeo Prof. Pub. Hic enim inter alia plurima Opera, quibus Hiſtoriam Litterariam Patriae noſtrae illuſtrare, & aeternam ſibi famam comparare non ceſſat, conſcripſit brevem, ſed accuratam hiſtoriam vitae *Ant. Magliabechii*, quam habes pag. 263. Libri inſcripti: *Notizie Iſtoriche degli Arcadi morti, Tomo primo: In Roma nella Stamperia d'Antonio de Roſſi* 1720. in 8.

Quoniam vero Synopſes rerum memorabilium, quas duobus iam editis Epiſtolarum Tomis praefixi, Eruditis non diſplicuiſſe cognovi, ſimiles alias in Tomis quoque deinceps prodituris concinnare conſtitui, & dilucidiore methodo, ſeorſim a Praefatione collocare. Laboribus itaque meis favere perge, Amice Lector, his fruere, & vale.

SY-

S Y N O P S I S
RERUM MEMORABILIUM
In hiſce Epiſtolis contentarum.

CAPITA QUAEDAM HISTORIAE LITTERARIAE.

Belgii Foederati.

Status Litterarum in ea Regione, finitimiſque, pag. 29. 51. 70. 196. 218. 300. 390. & 395.

Batavorum Optimatum laudabile inſtitutum cultiores quaſque Etruriae Provincias, Italiam praecipue, perluſtrandi, pag. 248. alibique ſparſim in toto volumine. Id ipſum obiter animadverſum volumus de aliis Nationibus, ac praeſertim de Britannis, Svecis, Danis &c.

Status Litterarum in Vrbe Roterodamenſi pag. 299.

Henr. Brenckmanni propoſitum promovendae Societatis Litterariae pag. 327.

*† *Ger-*

Germaniae.

Friderici Lib. Bar. de *Furſtenberg* Epiſcopi Paderbonenſis Munificentia, qua Paderbonenſem Litteraturam excitavit fovitque pag. 74.

Sveciae.

Sparreſteinius Regis Svecorum iuſſu ſumptibuſque in Syriam miſſus, ut antiqua monumenta deſcriberet colligeretque pag. 208.

MEMORABILIA ACADEMIARVM.

Lugduni Batavorum.

DIes Saecularis inſtitutae Academiae celebratus a. d. *6*. Id. Febr. MDCLXXVI. pag. 377.

Gratiae ſolemniter actae, & nummus datus Studioſis A. MDCLXXXIX. ex Auctoritate Conſulum, ob excubias in ſummo Vrbis Academicae periculo peractas A. MDCLXXII. pag. 182.

Theodorus Rycquius a Curatoribus ab Academia remotus, ſic ut nec publice docere, nec Academicis commodis

dis frui ei liceret, antequam cauſam de ſtupro dixiſſet, infamiamque omnium ore exagitatam emendaſſet pag. 70.

Abr. Heidanus Theologiae per xxx. annos Profeſſor laudatus quam qui maxime, Graece & Hebraice in primis peritus, & Concionator facundiſſimus, e cathedra remotus, tantum quia opinioni ſuae Theologicae apertius, & ſenſui ſuo inſervierit pag. 77.

Nicolai Heinſii auctoritas apud Academiae Curatores pag. 70. & 254.

Iac. Gronovius Graecae Linguae, & Hiſtoriarum Prof. renunciatus pag. 112. Munus ſuum operoſum deſcribit pag. 215. & 217. Rector Magnificus Academiae acclamatus A. MDCCIII. pag. 321.

Bremenſis.

Meyderus Mathematices Profeſſor renunciatus pag. 363.

Piſanae.

Iac. Gronovius Humaniorum Litterarum ibidem Prof. Pub. plura ad ipſius Hiſtoriam pertinentia tradit in prioribus VII. Epiſtolis, aliiſque inſequentibus, quibus vitae ſuae partem Piſis pe-

ractam tangit, aut Collegas ſuos amare carpit.

Andr. Vander Cam Lovanienſis unus ex illis, quorum ſtudia Magnus Etruriae Dux Piſis ſua liberalitate fovebat. pag. 26.

Patavinae.

Iac. Gronovius in eam perhonorifice invitatus pag. 90. 91. 93. 96. & 311.

MEMORABILIA BIBLIOTHECARVM.

In Belgio.

Academiae Lugduno-Batavae pag. 230.

VVilh. Goeſii pag. 169.
Iac. Golii pag. 197.
Marq. Gudii pag. 214.
Nic. Heinſii pag. 129. 156. & 296.
Nocoleri pag. 340.
Sam. Tennulii pag. 28.
Io. de VVitt ſeu *Albini* pag. 198.
Iſaaci Voſſii pag. 13.

In Gallia.

Regiae Pariſienſis pag. 223. 225. 228. & 229.

Col-

Colbertinae pag. 247.

In Germania.

Imperialis Vindobonenſis pag. 190.
Bavaricae pag. 27.
Ferdinandi Furſtenbergii Epiſcopi Paderbonenſis pag. 74.

In Italia.

Card. *Beſſarionis* Venetiis pag. 25.
Patavinae pag. 247.
Variarum Bononienſium pag. 276.
Abbatiae S. Salvatoris Bononiae pag. 274.
Valerii Zanii Bononiae pag. 104.
Mediceo-Laurentianae Florentiae pag. 5. 48. 64. 82. 89. 114. 117. 118. 126. 133. 147. 150. 158. 185. 187. 190. 191. 196. 205. 236. 244. 271. 375. & 387.
Mediceo-Palatinae pag. 308. & 321.
Coenobii S. Crucis Florentiae pag. 247.
DD. *Salviatorum* Flor. pag. 191. 194. & 388.
Abbatiae Peruſinae Caſſinienſium pag. 31. 40. 307. & 309.
Vaticanae pag. 93. 118. 213. 223. 225. 269. 278. 325. & 332.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Chriſtinae Auguſtae Svecorum Reginae, Romae pag. 145. 150. & 245.

DD. *Maffeiorum* Romae pag. 388.

Coenobii S. Ioannis Carbonarii Neapoli pag. 297. & 301.

MEMORABILIA TYPOGRAPHIARVM.

Status Typographiarum in Belgio pag. 51. 196. 219. & 300.

De *Petri Vander Aa* propoſito imprimendi Theſaurum Antiquitatum, & Hiſtoriarum Italiae pag. 325.

De Cenſoribus Librorum per Italiam conſtitutis pag. 79.

MEMORABILIA VITAE ILLVSTRIVM VIRORVM.

C. *Valerii Accincti* V. *Perizonii*.

Petri Adriani Vanden Broecke pag. 33.

D. *Alphii* ſeu *Van Alphen* pag. 26.

Nic. Antonii pag. 113.

Angelici Aproſii pag. 46. & 81.

Chriſt. Arnoldi pag. 56. & 74.

Bened. Averanii pag. 292.

Leo-

Leonardi Auguſtini pag. 155.
Io. Auriſpae pag. 339.
Bened. Bacchinii pag. 275. 277. & 232.
Petri Bailii pag. 164. 200. 206. 258. & 264.
Hermol. Barbari pag. 287.
Petri Bardii pag. 59. & 71.
Franc. Baronii pag. 117.
Thomae Bartholini pag. 89. & 93.
Iac. de Bary pag. 216. & 384.
Laur. Bellinii pag. 285.
Io. Petri Bellorii pag. 156.
Abr. Berckelii pag. 31. 32. 39. 50. 79. 84. 91. 164. 179. 305. 306. 307. 308. 317. 379.
Eduardi Bernardi pag. 197.
A. V. Beuſecom pag. 357.
D. *Bexelii* pag. 208.
Emer. Bigotii pag. 51. & 223.
Guil. Bleau pag. 350.
D. *Bloetelingii* pag. 156.
Ant. Borremanni pag. 93. & 402.
Petri Pauli Boſchae pag. 76.
Hier. Boſelli pag. 276.
Bern. Brauns pag. 200. 201. & 259.
Henr. Brenckmanni pag. 232. & 322.
D. *Broucklufii* pag. 208.
D. *Brumley* pag. 277.

Alb. Burcer pag. 362.
Alb. Burgii pag. 87.
Franc. Burmanni pag. 109. 135. & 402.
Petri Burmanni pag. 288. & 385.
Ant. Bynaei pag. 132.
Andr. Caeſalpini pag. 286.
Andr. Vander Cam pag. 26.
Ferr. Capponii pag. 4. 10. & 17.
Ant. Capponii pag. 23.
P. *Catalani* pag. 274.
Bencivennis Ceſſinii pag. 6.
Franc. Ceſſinii pag. 14.
Chriſtoph. Cellarii pag. 274.
Chriſtinae Auguſtae Svecorum Reginae pag. 145.
Io. Ciampinii pag. 254. & 255.
P. *Cicalae* pag. 274. & 277.
Io. Cinellii pag. 137. & 146.
D. *Clementii* pag. 229.
Io. Clerici pag. 298.
Sigiſm. Coccapanii pag. 81.
Io. Coccii pag. 105.
Aug. Coltellinii pag. 90.
Henr. Copes pag. 195. 234. & 272.
Helenae Lucretiae Cornarae Piſcopiae pag. 24. & 151.
Vinc. Coronellii pag. 258.
Steph. Coſmii pag. 88. ubi per erro-

rorem Poetam appellavimus, quum potius Eloquentia, Hiſtoria, & Philoſophia famam perennem ſit adeptus; item pag. 88. 90. & 96.

Abr. Coſſonii pag. 319.

Petri Coſſonii pag. 208. 212. & 216. de hoc praeterea *Iac. Gronovius* in Epiſt. ad *Magliab.* data d. 16. Ianuar. . . . quam omiſimus, ait: *Accedebat paulo poſt id tempus, mors* Coſſonii *noſtri vicini mei, cum quo ſaepe & iucunde renovabam ſermone dies noſtros Italicos, quod ſine plurima meritorum tuorum commemoratione fieri nequibat, quam oportebat Te intelligere ex me potiſſimum.*

Dan. Coſſonii pag. 31. 32. 39. 50. 80. 84. 249. 251. & 303.

D. *Creitmari* pag. 27.

Caroli Crucii pag. 124. 135. 168. 170. & 178.

D. *Cuninghamii* pag. 168.

Gisb. Cuperi pag. 29. 73. 101. 116. 136. 140. 158. 161. 166. 167. 172. 193. 204. 227. 259. & 261.

A. Van Dam pag. 208. 320. & 387.

D. *Dandoli* pag. 25.

Caroli Dati pag. 8. 10. 38. 42. 48. 55. 63. 97. 103. & 309.

D. *Dil-*

D. *Dillemans* pag. 306. & 307.
D. *Dini* pag. 246.
D. *Donii* pag. 307.
DD. *Donopiorum* pag. 80.
Arnoldi Drakenborchii pag. 297.
D. *Druimmond* pag. 330.
D. *Durenii* pag. 232.
Brunonis Vander Duſſen pag. 43. 66. 76. & 87.
Raph. Fabretti pag. 141. 154. 157. 160 & 185.
Valentini Farinolae pag. 27. 38. & 71.
Octavii Ferrarii pag. 24. 76. 86. & 363.
Iac. Fiorellii pag. 24.
Iac. de la Fontaine pag. 307. & 311.
Iuſti Fontaninii pag. 292. & 385.
D. *Forreſteri* pag. 295.
Petri Francii pag. 208. & 366.
Ferdin. L. B. *de Furſtenberg* pag. 74.
Ant. Gallandi pag. 313. & 317.
Eug. Gamurrinii pag. 59. 71. 81. & 90.
Io. Garbeſii pag. 153.
Lucae Giambertii pag. 354.
Hiac. Gimmae pag. 267.
D. *Giraldii* pag. 71.

VVilh

VVilh Goeſii pag. 104. 113. 124. 164. & 389.
Roberti Goeſii pag. 167. 168. 389. 390. & 391.
Aloyſii Gradenici pag. 25.
Steph. Gradii pag. 267. 268. & 269.
Io. Georg. Graevii pag. 40. 43. 48. 42. 61. 62. 66. 68. 72. 75. 78. 80. 86. 91. 92. 95. 115. 117. 129. 135. 155. 171. 174. 210. 214. 248. 279. 286. 299. 330. & 407.
Ripperti Groenendyquii pag. 181. 183. 184. 186. & 189.
Adr. Groeninx pag. 310. & 312.
Iac. Gronovii pag. 294. 308. 309. 310. 311. 313. 317. 321. 330. 351. 364. & 377.
Laur. Theod. Gronovii pag. 64. 78. 85. 115. 117. 132. 145. 150. 192. & 232.
Marquardi Gudii pag. 103. & 217.
Phil. M. Guidii pag. 333.
Domin. Gulielminii pag. 274.
D. *Hackii* pag. 45.
D. *Hayi* pag. 299. & 301.
Habr. Heidani pag. 77.
Nic. Heinſii pag. 13. 25. 33. 38. 39. 42. 48. 49. 55. 63. 69. 75. 78. 87. 95. 97. 100. 103. 122. 124. 128. 135. 138. 253. & 261.

Franc.

Franc. Heſſelii pag. 298. & 299.
D. *Hogevenii* pag. 69.
Lucae Holſtenii pag. 145. & 207.
Petri Hotton pag. 284.
Chriſt. Hugenii pag. 393.
Comitis *Huntengdoniae* pag. 385.
Oligeri Iacobaei pag. 89. & 93.
Io. Ienſii pag. 182.
D. *Kayſer* pag. 254.
Io. Koolii pag. 199. 202. 203. 205. 206. 208. & 328.
Kuſteri V. Neocori.
D. *Landii* pag. 228.
Lucae Langermanni pag. 250.
D. *Lauredani* pag. 26.
Ant. Van. Leevvenhoeck pag. 167. & 344.
Laur. Legati pag. 80.
God. Guil. Leibnitz pag. 346.
Greg. Letii pag. 164. & 363.
D. *Lomeieri* pag. 340.
D. *Lommerman* pag. 325.
D. *Lorini* pag. 59. 71. & 81.
D. *Lotti* pag. 354.
D. *Lumley* pag. 290.
Franc. Lye pag. 188.
Franc. Macedo pag. 46. & 81.
D. *Magii* pag. 66. 71. & 307.
Ant. Magliabechii pag. 20. 32. 47. 66. & 136.

Iac. Magliabechii pag. 265.
Io. Phil. Marucellii pag. 27.
Mich. Marulli pag. 122.
Ant. Matthaei pag. 105. & 231.
DD. *Meadiorum* Fratrum pag. 196.
Io. Gaſtonis Medicei Etruſcae Iuventutis Principis pag. 263.
D. *Mediabarbi* pag. 254. & 255.
Nic. Meieri pag. 73. & 102.
D. *Meieri* alterius pag. 102.
Io. Burck. Menckenii pag. 265.
Petri Mengoli pag. 63.
Io. Meurſii pag. 254. & 255.
Gerh. Meyder pag. 362. & 363.
Steph. le Moyne ſeu *Monachii* pag. 89. 135. 137. 146. 163. 179. 180. & 183.
Th. Munckeri pag. 31. & 78.
Phil. Munckeri pag. 125. & 142.
M. Muſuri pag. 125.
D. *Naldinii* pag. 71.
Rud. Neocori ſeu *Kuſteri* pag. 208. & 336.
Frider. Nomii pag. 195. 203. & 215.
Henr. Card. *Noriſii* pag. 3. 5. 9. 11. 56. 45. 66. 80. 140. 148. 188. 193. 213. 222. 278. 280. 332. & 378.
Io. Pauli Nurrae pag. 227.
Caroli Offredii pag. 24. & 69.
D. *Opicii* pag. 93.

Adol-

Adolphi Overhamii pag. 75. & 81.
D. *Paatſii* pag. 164.
Io. Palatii pag. 20. 24. 26. 45. & 101.
Laur. Panciatichi pag. 8.
Dan. Papebrokii pag. 56. 86. 345. 351. & 355.
Domin. Card. *Paſſionei* pag. 221. 224. & 228.
Caroli Patini pag. 46. 76. 81. 91. & 162.
Iac. Perizonii pag. 208. 214. 320. 325. & 368.
D. *Peterſonii* pag. 195. & 197.
Io. Piace ſeu *Piazzae* pag. 226.
D. *Pieruccii* pag. 395.
Th. de Pinedo pag. 104.
Io. Ludov. Pincierii pag. 186. & 187.
D. *du Pont* pag. 363.
Io. Poulart pag. 183. 184. 185. & 189.
Bern. Ramazini pag. 277.
Hadr. Relandi pag. 300. & 382.
D. *Renferdii* pag. 227.
Paulli Ricaldi ſeu *Ricaut* pag. 113.
D. *Riecoer* pag. 320.
Phil. Rulaei pag. 27. 37. 42. 43. 45. 56. 68. 69. 104. 132. 135. 159. 313. & 374.
Conr. Ruyſchii pag. 35. 66. 75. 80. 95. 185. 199. 216. & 360.

Theod.

Theod. Ryckii ſeu *Ryquii* pag. 39. 48. 70. 136. 137. 165. 166. & 392. His adde quae *Iac. Gronovius* in alia Epiſtola ad *Magl.* d. a. d. 21. Iulii MDCLXXXX. ait. *Accipies primo tempore Catalogum unum aut plures Bibliothecae Ryquianae, quae poſt Caniculares Ferias ab Vidua, & Tutoribus Filii, quem unum reliquit cum Filia, publice diſtrahetur. Erat ſatis elegans in Bibliotheca illa componenda; etiam bonos Libros noverat: utinam maiore induſtria ipſos Libros tractaviſſet.*

P. *Sabbatinii* pag. 274.

Ant. M. Salvinii pag. 223.

Lucae Schacht pag. 180.

D. *Schelderuppii* pag. 93.

Emm. a Schelſtrate pag. 146. & 150.

Averani Seminettii pag. 110.

Manfredi Septalii pag. 363.

Michaelis Serveti pag. 410.

D. *Sikii* pag. 208. 320. & 385.

D. *Sinclaivii* vel *Sinclarii* pag. 189. & 194.

D. *Smetii* pag. 171. & 173.

D. *Smith* pag. 291.

Freder. Spanhemii pag. 101. 109. 213. & 362.

Ezech. Spanhemii pag. 46. & 55.

Franc.

Franc. Sparaverii pag. 86.
D. *Sparrenſteinii* pag. 208.
Iac. Sponii pag. 161.
Marini Statilii pag. 268.
Io. Bapt. Steenbergii pag. 86.
Nic. Stenonis pag. 104. 105. & 244.
Io. a Stetten pag. 159. 170. 172. & 177.
Caroli Strozzae pag. 14. 27. 71. & 43.
D. *Van Svieten* pag. 247. 249. 251. 253. & 265.
D. *Surenhuſii* pag. 321.
Sam. Tennulii pag. 28. & 45.
D. *Terborgii* pag. 73.
D. *Thevenoti* pag. 9. & 159.
D. *Van Thyen* pag. 174. 176. & 177.
Mich. Ang. Tillii pag. 284.
Iac. Tollii pag. 100. 175. 185. 287. 313. & 379.
Io. Chriſtoph. VVagenſeilii pag. 74.
Ioſ. Vallettae pag. 254. 255. 261. & 325.
Lucilii, ſeu *Iulii Caeſaris Vanini* pag. 410.
Georg. Hier. VVelſchii p. 74. & 107.
Fel. Vialii pag. 25. 35. & 64.
Vinc. Victorii pag. 8.
D. *Van Vinckel* pag. 306. & 307.
Petri VVitcomb pag. 280. & 281.

Chri

Chriſtoph. VVittichii pag. 171.
Io. Vittii ſeu *de VVitt.* pag. 35. 43. 64. 66. 174. 176. & 198.
Vinc. Vivianii pag. 14. & 36.
Burch. de Volder pag. 225.
Luderi a VVolfgang pag. 223. & 230.
D. *VVolfzen* pag. 185.
D. *VVoodvvard* pag. 224.
Iac. VVoorbroeck V. *Perizonii*.
D. *VVormii* pag. 93.
Ioſuae VVorms pag. 169.
D. *Vorſtii* pag. 199. & 330.
Iſ. Voſſii pag. 395.
Sertorii Vrſati pag. 26. & 86.
Iac. Zabarellae pag. 26.
Valerii Zanii p. 23. 46. 64. 71. & 104.

OPERA VEL NONDVM ABSOLVTA, VEL NONDVM EDITA.

H*Ieron. Aleandri* Epiſtola de quibuſdam Petronii Locis pag. 292.

Anonymi Panegyricum Carmen dictum Berengario Aniceto Caeſari pag. 296.

Anonymi Adagia Etruſca Graece & Latine reddita pag. 308.

Leonardi Aretini Epiſtola pag. 339.

ractam tangit, aut Collegas ſuos amare carpit.

Andr. Vander Cam Lovanienſis unus ex illis, quorum ſtudia Magnus Etruriae Dux Piſis ſua liberalitate fovebat. pag. 26.

Patavinae.

Iac. Gronovius in eam perhonorifice invitatus pag. 90. 91. 93. 96. & 311.

MEMORABILIA BIBLIOTHECARVM.

In Belgio.

ACademiae Lugduno-Batavae pag. 230.

VVilh. Goeſii pag. 169.
Iac. Golii pag. 197.
Marq. Gudii pag. 214.
Nic. Heinſii pag. 129. 156. & 296.
Nocoleri pag. 340.
Sam. Tennulii pag. 28.
Io. de VVitt ſeu *Albini* pag. 198.
Iſaaci Voſſii pag. 13.

In Gallia.

Regiae Pariſienſis pag. 223. 225. 228. & 229.

Col-

Colbertinae pag. 247.

In Germania.

Imperialis Vindobonenſis pag. 190.
Bavaricae pag. 27.
Ferdinandi Furſtenbergii Epiſcopi Paderbonenſis pag. 74.

In Italia.

Card. *Beſſarionis* Venetiis pag. 25.
Patavinae pag. 247.
Variarum Bononienſium pag. 276.
Abbatiae S. Salvatoris Bononiae pag. 274.
Valerii Zanii Bononiae pag. 104.
Mediceo - Laurentianae Florentiae pag. 5. 48. 64. 82. 89. 114. 117. 118. 126. 133. 147. 150. 158. 185. 187. 190. 191. 196. 205. 236. 244. 271. 375. & 387.
Mediceo-Palatinae pag. 308. & 321.
Coenobii S. Crucis Florentiae pag. 247.
DD. *Salviatorum* Flor. pag. 191. 194. & 388.
Abbatiae Peruſinae Caſſinenſium pag. 31. 40. 307. & 309.
Vaticanae pag. 93. 118. 213. 223. 225. 269. 278. 325. & 332.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Chriſtinae Auguſtae Svecorum Reginae, Romae pag. 145. 150. & 245.

DD. *Maffeiorum* Romae pag. 388.

Coenobii S. Ioannis Carbonarii Neapoli pag. 297. & 301.

MEMORABILIA TYPOGRAPHIARVM.

STatus Typographiarum in Belgio pag. 51. 196. 219. & 300.

De *Petri Vander Aa* propoſito imprimendi Theſaurum Antiquitatum, & Hiſtoriarum Italiae pag. 325.

De Cenſoribus Librorum per Italiam conſtitutis pag. 79.

MEMORABILIA VITAE ILLVSTRIVM VIRORVM.

C. *Valerii Accincti* V. *Perizonii*.

Petri Adriani Vanden Broecke pag. 33.

D. *Alphii* ſeu *Van Alphen* pag. 26.

Nic. Antonii pag. 113.

Angelici Aproſii pag. 46. & 81.

Chriſt. Arnoldi pag. 56. & 74.

Bened. Averanii pag. 292.

Leo-

Leonardi Auguſtini pag. 155.
Io. Auriſpae pag. 339.
Bened. Bacchinii pag. 275. 277. & 232.
Petri Bailii pag. 164. 200. 206. 258. & 264.
Hermol. Barbari pag. 287.
Petri Bardii pag. 59. & 71.
Franc. Baronii pag. 117.
Thomae Bartholini pag. 89. & 93.
Iac. de Bary pag. 216. & 384.
Laur. Bellinii pag. 285.
Io. Petri Bellorii pag. 156.
Abr. Berckelii pag. 31. 32. 39. 50. 79. 84. 91. 164. 179. 305. 306. 307. 308. 317. 379.
Eduardi Bernardi pag. 197.
A. V. Beuſecom pag. 357.
D. *Bexelii* pag. 208.
Emer. Bigotii pag. 51. & 223.
Guil. Bleau pag. 350.
D. *Bloetelingii* pag. 156.
Ant. Borremanni pag. 93. & 402.
Petri Pauli Boſchae pag. 76.
Hier. Boſelli pag. 276.
Bern. Brauns pag. 200. 201. & 259.
Henr. Brenckmanni pag. 232. & 322.
D. *Brouckluſii* pag. 208.
D. *Brumley* pag. 277.

Alb. Burcer pag. 362.
Alb. Burgii pag. 87.
Franc. Burmanni pag. 109. 135. & 402.
Petri Burmanni pag. 288. & 385.
Ant. Bynaei pag. 132.
Andr. Caeſalpini pag. 286.
Andr. Vander Cam pag. 26.
Ferr. Capponii pag. 4. 10. & 17.
Ant. Capponii pag. 23.
P. *Catalani* pag. 274.
Bencivennis Ceſſinii pag. 6.
Franc. Ceſſinii pag. 14.
Chriſtoph. Cellarii pag. 274.
Chriſtinae Auguſtae Svecorum Reginae pag. 145.
Io. Ciampinii pag. 254. & 255.
P. *Cicalae* pag. 274. & 277.
Io. Cinellii pag. 137. & 146.
D. *Clementii* pag. 229.
Io. Clerici pag. 298.
Sigiſm. Coccapanii pag. 81.
Io. Coccii pag. 105.
Aug. Coltellinii pag. 90.
Henr. Copes pag. 195. 234. & 272.
Helenae Lucretiae Cornarae Piſcopiae pag. 24. & 151.
Vinc. Coronellii pag. 258.
Steph. Coſmii pag. 88. ubi per erro-

rorem Poetam appellavimus, quum potius Eloquentia, Hiſtoria, & Philoſophia famam perennem ſit adeptus; item pag. 88. 90. & 96.

Abr. Coſſonii pag. 319.

Petri Coſſonii pag. 208. 212. & 216. de hoc praeterea *Iac. Gronovius* in Epiſt. ad *Magliab.* data d. 16. Ianuar. . . . quam omiſimus, ait: *Accedebat paulo poſt id tempus, mors* Coſſonii *noſtri vicini mei, cum quo ſaepe & iucunde renovabam ſermone dies noſtros Italicos, quod ſine plurima meritorum tuorum commemoratione fieri nequibat, quam oportebat Te intelligere ex me potiſſimum.*

Dan. Coſſonii pag. 31. 32. 39. 50. 80. 84. 249. 251. & 303.

D. *Creitmari* pag. 27.

Caroli Crucii pag. 124. 135. 168. 170. & 178.

D. *Cuninghamii* pag. 168.

Gisb. Cuperi pag. 29. 73. 101. 116. 136. 140. 158. 161. 166. 167. 172. 193. 204. 227. 259. & 261.

A. Van Dam pag. 208. 320. & 387.

D. *Dandoli* pag. 25.

Caroli Dati pag. 8. 10. 38. 42. 48. 55. 63. 97. 103. & 309.

D. *Dil-*

D. *Dillemans* pag. 306. & 307.
D. *Dini* pag. 246.
D. *Donii* pag. 307.
DD. *Donopiorum* pag. 80.
Arnoldi Drakenborchii pag. 297.
D. *Druimmond* pag. 330.
D. *Durenii* pag. 232.
Brunonis Vander Duſſen pag. 43. 66. 76. & 87.
Raph. Fabretti pag. 141. 154. 157. 160 & 185.
Valentini Farinolae pag. 27. 38. & 71.
Octavii Ferrarii pag. 24. 76. 86. & 363.
Iac. Fiorellii pag. 24.
Iac. de la Fontaine pag. 307. & 311.
Iuſti Fontaninii pag. 292. & 385.
D. Forreſteri pag. 295.
Petri Francii pag. 208. & 366.
Ferdin. L. B. *de Furſtenberg* pag. 74.
Ant. Gallandi pag. 313. & 317.
Eug. Gamurrinii pag. 59. 71. 81. & 90.
Io. Garbeſii pag. 153.
Lucae Giambertii pag. 354.
Hiac. Gimmae pag. 267.
D. *Giraldii* pag. 71.
VVilh

VVilh. Goeſii pag. 104. 113. 124. 164. & 389.

Roberti Goeſii pag. 167. 168. 389. 390. & 391.

Aloyſii Gradenici pag. 25.

Steph. Gradii pag. 267. 268. & 269.

Io. Georg. Graevii pag. 40. 43. 48. 42. 61. 62. 66. 68. 72. 75. 78. 80. 86. 91. 92. 95. 115. 117. 129. 135. 155. 171. 174. 210. 214. 248. 279. 286. 299. 330. & 407.

Ripperti Groenendyquii pag. 181. 183. 184. 186. & 189.

Adr. Groeninx pag. 310. & 312.

Iac. Gronovii pag. 294. 308. 309. 310. 311. 313. 317. 321. 330. 351. 364. & 377.

Laur. Theod. Gronovii pag. 64. 78. 85. 115. 117. 132. 145. 150. 192. & 232.

Marquardi Gudii pag. 103. & 217.

Phil. M. Guidii pag. 333.

Domin. Gulielminii pag. 274.

D. *Hackii* pag. 45.

D. *Hayi* pag. 299. & 301.

Habr. Heidani pag. 77.

Nic. Heinſii pag. 13. 25. 33. 38. 39. 42. 48. 49. 55. 63. 69. 75. 78. 87. 95. 97. 100. 103. 122. 124. 128. 135. 138. 253. & 261.

Franc.

Franc. Heßelii pag. 298. & 299.
D. *Hogevenii* pag. 69.
Lucae Holſtenii pag. 145. & 207.
Petri Hotton pag. 284.
Chriſt. Hugenii pag. 393.
Comitis *Huntengdoniae* pag. 385.
Oligeri Iacobaei pag. 89. & 93.
Io. Ienſii pag. 182.
D. *Kayſer* pag. 254.
Io. Koolii pag. 199. 202. 203. 205. 206. 208. & 328.
Kuſteri V. Neocori.
D. *Landii* pag. 228.
Lucae Langermanni pag. 250.
D. *Lauredani* pag. 26.
Ant. Van. Leevvenhoeck pag. 167. & 344.
Laur. Legati pag. 80.
God. Guil. Leibnitz pag. 346.
Greg. Letii pag. 164. & 363.
D. *Lomeieri* pag. 340.
D. *Lommerman* pag. 325.
D. *Lorini* pag. 59. 71. & 81.
D. *Lotti* pag. 354.
D. *Lumley* pag. 290.
Franc. Lye pag. 188.
Franc. Macedo pag. 46. & 81.
D. *Magii* pag. 66. 71. & 307.
Ant. Magliabechii pag. 20. 32. 47. 66. & 136.

Iac.

Iac. Magliabechii pag. 265.
Io. Phil. Marucellii pag. 27.
Mich. Marulli pag. 122.
Ant. Matthaei pag. 105. & 231.
DD. *Meadiorum* Fratrum pag. 196.
Io. Gaſtonis Medicei Etruſcae Iuventutis Principis pag. 263.
D. *Mediabarbi* pag. 254. & 255.
Nic. Meieri pag. 73. & 102.
D. *Meieri* alterius pag. 102.
Io. Burck. Menckenii pag. 265.
Petri Mengoli pag. 63.
Io. Meurſii pag. 254. & 255.
Gerh. Meyder pag. 362. & 363.
Steph. le Moyne ſeu *Monachii* pag. 89. 135. 137. 146. 163. 179. 180. & 183.
Th. Munckeri pag. 31. & 78.
Phil. Munckeri pag. 125. & 142.
M. Muſuri pag. 125.
D. *Naldinii* pag. 71.
Rud. Neocori ſeu *Kuſteri* pag. 208. & 336.
Frider. Nomii pag. 195. 203. & 215.
Henr. Card. *Noriſii* pag. 3. 5. 9. 11. 56. 45. 66. 80. 140. 148. 188. 193. 213. 222. 278. 280. 332. & 378.
Io. Pauli Nurrae pag. 227.
Caroli Offredii pag. 24. & 69.
D. *Opicii* pag. 93.

Adol-

Adolphi Overhamii pag. 75. & 81.
D. *Paatſii* pag. 164.
Io. Palatii pag. 20. 24. 26. 45. & 101.
Laur. Panciatichi pag. 8.
Dan. Papebrokii pag. 56. 86. 345. 351. & 355.
Domin. Card. *Paſſionei* pag. 221. 224. & 228.
Caroli Patini pag. 46. 76. 81. 91. & 162.
Iac. Perizonii pag. 208. 214. 320. 325. & 368.
D. *Peterſonii* pag. 195. & 197.
Io. Piace ſeu *Piazzae* pag. 226.
D. *Pieruccii* pag. 395.
Th. de Pinedo pag. 104.
Io. Ludov. Pincierii pag. 186. & 187.
D. *du Pont* pag. 363.
Io. Poulart pag. 183. 184. 185. & 189.
Bern. Ramazini pag. 277.
Hadr. Relandi pag. 300. & 382.
D. *Renferdii* pag. 227.
Paulli Ricaldi ſeu *Ricaut* pag. 113.
D. *Riecoer* pag. 320.
Phil. Rulaei pag. 27. 37. 42. 43. 45. 56. 68. 69. 104. 132. 135. 159. 313. & 374.
Conr. Ruyſchii pag. 35. 66. 75. 80. 95. 185. 199. 216. & 360.

Theod.

Theod. Ryckii ſeu *Ryquii* pag. 39. 48. 70. 136. 137. 165. 166. & 392. His adde quae *Iac. Gronovius* in alia Epiſtola ad *Magl.* d. a. d. 21. Iulii MDCLXXXX. ait. *Accipies primo tempore Catalogum unum aut plures Bibliothecae Ryquianae, quae poſt Caniculares Ferias ab Vidua, & Tutoribus Filii, quem unum reliquit cum Filia, publice diſtrahetur. Erat ſatis elegans in Bibliotheca illa componenda; etiam bonos Libros noverat: utinam maiore induſtria ipſos Libros tractaviſſet.*

P. *Sabbatinii* pag. 274.

Ant. M. Salvinii pag. 223.

Lucae Schacht pag. 180.

D. *Schelderuppii* pag. 93.

Emm. a Schelſtrate pag. 146. & 150.

Averani Seminettii pag. 110.

Manfredi Septalii pag. 363.

Michaelis Serveti pag. 410.

D. *Sikii* pag. 208. 320. & 385.

D. *Sinclairii* vel *Sinclarii* pag. 189. & 194.

D. *Smetii* pag. 171. & 173.

D. *Smith* pag. 291.

Freder. Spanhemii pag. 101. 109. 213. & 362.

Ezech. Spanhemii pag. 46. & 55.

Franc.

Franc. Sparaverii pag. 86.
D. *Sparrenſteinii* pag. 208.
Iac. Sponii pag. 161.
Marini Statilii pag. 268.
Io. Bapt. Steenbergii pag. 86.
Nic. Stenonis pag. 104. 105. & 244.
Io. a Stetten pag. 159. 170. 172. & 177.
Caroli Strozzae pag. 14. 27. 71. & 43.
D. *Van Svieten* pag. 247. 249. 251. 253. & 265.
D. *Surenhuſii* pag. 321.
Sam. Tennulii pag. 28. & 45.
D. *Terborgii* pag. 73.
D. *Thevenoti* pag. 9. & 159.
D. *Van Thyen* pag. 174. 176. & 177.
Mich. Ang. Tillii pag. 284.
Iac. Tollii pag. 100. 175. 185. 287. 313. & 379.
Io. Chriſtoph. VVagenſeilii pag. 74.
Ioſ. Vallettae pag. 254. 255. 261. & 325.
Lucilii, ſeu *Iulii Caeſaris Vanini* pag. 410.
Georg. Hier. VVelſchii p. 74. & 107.
Fel. Vialii pag. 25. 35. & 64.
Vinc. Victorii pag. 8.
D. *Van Vinckel* pag. 306. & 307.
Petri VVitcomb pag. 280. & 281.
Chri

Chriſtoph. VVittichii pag. 171.
Io. Vittii ſeu *de VVitt.* pag. 35. 43. 64. 66. 174. 176. & 198.
Vinc. Viviani pag. 14. & 36.
Burch. de Volder pag. 225.
Luderi a VVolfgang pag. 223. & 230.
D. *VVolfzen* pag. 185.
D. *VVoodvvard* pag. 224.
Iac. VVoorbroeck V. *Perizonii*.
D. *VVormii* pag. 93.
Ioſuae VVorms pag. 169.
D. *Vorſtii* pag. 199. & 330.
Iſ. Voſſii pag. 395.
Sertorii Vrſati pag. 26. & 86.
Iac. Zabarellae pag. 26.
Valerii Zanii p. 23. 46. 64. 71. & 104.

OPERA VEL NONDVM ABSOLVTA, VEL NONDVM EDITA.

HIeron. *Aleandri* Epiſtola de quibuſdam Petronii Locis pag. 292.

Anonymi Panegyricum Carmen dictum Berengario Aniceto Caeſari pag. 296.

Anonymi Adagia Etruſca Graece & Latine reddita pag. 308.

Leonardi Aretini Epiſtola pag. 339.

Ant. Auguſtini Epiſtolae pag. 109.

Petri Bailii Epiſtolae ad Laur. Theod. Gronovium pag. 258.

Hier. Benivenii Adnotationes in Statii Thebaiden pag. 297.

Abr. Berckelii Epiſtolae pag. 50.

Petri Burmanni Epiſtolae ad Iuſtum Fontaninium pag. 295.

Io. Cinelli Epiſtolae pag. 137.

Io. Clerici interpretatio Nummorum quorumdam Punicorum pag. 384.

Io. Coccii Oratio in funere Io. Frid. Gronovii pag. 106.

Henr. Copes Epiſtolae ad Bened. Bacchinium pag. 281.

Gisb. Cuperi Epiſtolae ad Henr. Copes pag. 279.

Dan. Coſſonii Epiſtolae ad Abr. Berckelium pag. 50.

Franc. Danielis Commentarius in Iuvenalem pag. 338.

Dan. Eremitae Opera poſtuma pag. 331. 333. & 335.

Oct. Falconerii Epiſtolae ad Io. Georgium Graevium pag. 62. & 63.

Iuſti Fontaninii Epiſtolae ad Iac. Gronovium pag. 216. ad Petrum Burmannum pag. 292. ad Hadr. Relandum pag. 292.

Fer-

Ferdinandi Furſtenbergii Epiſc. & Princ. Paderbonenſis Hiſtoria Saxonica pag. 74.

Ant. Gallandii Epiſt. ad Danielem Coſſonium pag. 313. ad Abr. Berckelium pag. 314.

Io. Georg. Graevii Epiſt. ad Iac. Gronovium pag. 52. 55. 62. & 92. ad Oct. Falconerium pag. 55. & 62. ad Ant. Magliabechium pag. 52. 66. & 71.

Iac. Gronovii Adnotationes in Petronii Fragmentum Tragurianum pag. 14. Adnotationes in Aeliani varias Hiſtorias, Animalia, & Tactica pag. 214. Animadverſiones in Biblia Critica pag. 55. Epiſtola ad Io. Georg. Graevium, de Ezech. Spanhemii lapſu in libro de Praeſtantia, & uſu Numiſmatum Antiquorum pag. 56. Epiſtolae aliae ad Graevium pag. 72. & 78. ad Abraamum Berckelium pag. 79. ad Steph. Coſmium pag. 89. & 91. ad Magium pag. 66. ad Car. Patinum pag. 91. ad Phil. Rulaeum pag. 379. ad Averanum Seminettium pag. 110.

Laur. Theod. Gronovii latina verſio Itineris Syriaci Guil. Halifaxii pag. 264. Collatio Pandectes Florent. p. 232.

Marquardi Gudii Adnotationes in

Aeliani varias Hiſtorias, Animalia, & Tactica pag. 214. Collectio Inſcriptionum Antiquarum; & *Io. Koolii* labor impenſus in ea ad editionem paranda pag. 338. & 341.

Nic. Heinſii Adnotationes in Petronium pag. 290. Curae ſecundae in Ovidium pag. 296. Adnotationes in Silium Italicum pag. 297. Epiſtolae ad Iac. Gronovium pag. 13. ad Carolum Datum; ad Carolum Offredum; & ad Gaudentium Paganinum pag. 302.

Manuſcripta varia ad *Concilium Hieroſolymitanum* pertinentia pag. 229.

Lucae Holſtenii Adnotationes in Stephanum de Vrbibus pag. 392.

Io. Koolii Adnotationes in Salluſtium pag. 339.

Ant. Matthaei Epiſtolae ad Iac. Gronovium pag. 105.

Marci Muſuri Opera cum notis Phil. Munckeri pag. 125. & 142.

Iani Parrhaſii Commentarius in Valerium Flaccum pag. 297. & 301.

Dom. Card. *Paſſionei* Epiſtolae ad Iac. Gronovium pag. 228.

Iac. Perizonii Hiſtoria Belgica a Natalibus Caroli V. ad eius mortem pag. 298.

Vinc.

Vinc. Placcii Epiſtolae pag. 65.
Poggii Florentini Epiſtola pag. 339.
Hadr. Relandi Opera varia pag. 384.
Phil. Rulaei Epiſtolae pag. 68.
Caſp. Scioppii Opera Poſtuma, praecipue Etymologicon Latinum pag. 395.
D. *Thevenoti* Epiſtolae ad Iac. Gronovium pag. 9. & 14.
Rob. Titii Opera Poſtuma pag. 331.
Georg. Hier. VVelſchii Epiſtolae ad Iac. Gronovium pag. 94.
Petri Pauli Vergerii latina interpretatio Hiſtoriarum Arriani de Alexandro pag. 126. 140. 155. & 172. Epiſtolae pag. 339.
Io. Vervveii Commentarius in Heſychium pag. 337.

IVDICIA DE VARIIS OPERIBVS.

DE B. *Ambroſii* Camaldulenſis Hodoeporico pag. 129.
De *Leonardi Auguſtini* Gemmis Antiquis pag. 149. 150. & 155.
De *Franc. Barbari* libro de Re Vxoria pag. 340.
De *Petri Sanctis Bartoli* deſcriptionibus Picturarum ſepulchri Naſonum pag. 163.

De *Matth. Freder. Beckii* monumentis Antiquis Auguſtae Iudaicis pag. 173.
De *Bonifacii Bembi* vita Nervae, & Traiani pag. 198.
De *Abr. Berckelii* editione Antonini Liberalis, & Stephani pag. 31. 39. 40. 50. 78. 79. 87. & 391.
De *Bibliis Sacris* Hebraice editis ab *Ev. Vander Hoogt* pag. 386.
De *Henr. Brenckmanni* Collatione Pandectarum Florentinorum pag 232.
De *Ant.Bulifonii* Explicatione Marmoris Puteolani pag. 212. & 266.
De *Burneti* (ni fallor) Itinerario pag. 177. & 179.
De *Io. Clerici* Operibus pag. 299. de editione Operum omnium Eraſmi Roterodami curante *Clerico* pag. 218.
De *Gisberti Cuperi* Harpocrate pag. 73. de eius Homerica Apotheoſi pag. 143. de eius libro de tribus Gordianis pag. 259.
De *Croeſii* Homero Hebraeo p. 386.
De *Caroli Dati* Panegyrico Ludovici XIV. Regis Gallorum pag. 309.
De *Raph. Fabretti* Libro de Aquis & Aquaeductibus pag. 141. fuſe, 143. 148. 149. & 154. de eiusdem, ſub nomine Iaſithei, Apologemate in Iac. Grono-

novium pag. 165. 168. & 171. *Iaſitheus*, ſcilicet ἴασις Θεȣ̃ Medicina Dei, *Raphael* Hebraice eſt. De hoc praeterea Apologemate in alia Epiſtola quam omiſimus, ait Gronovius: *Quum ita amplum ſit ſcriptum* Fabretti, *utpote* 19. *quaternionibus conſtans, praeſagio inprimis illum aberraturum quoque ad Epiſtolam meam contra Meibomium, & de fabrica Triremis acturum, qua materia eum oppletum etiamnum credo ex Columna Traiana, quam vixdum perlegi. Quaeſo quis eſt ille, quem ibi tot conviciis exagitat? Quantum mendacium eius eſt, quod ſcribit pag.* 323. *a me collectas eſſe notas Tanaquili Fabri, quae editae ſunt cum ego adhuc in trivialibus ſcholis haererem; & quomodo illic nomen meum ſine ſtigmate potuit praeterire? Talium immenſa illic farrago. Sed accedat modo, & pulchre ad excipiendum eum omnia parabimus*. De eiusdem Fabretti vetuſtis monumentis pag. 191.

De *Io. Garnerii* operibus pag. 19.

De *Io Georg. Graevii* operibus pag. 224. de eius editione Orationum Ciceronis pag. 210. de editionibus variorum Antiquorum Auctorum ab eo, ni fallor, vel a *Nic. Heinſio* procuratis pag. 117.

De *Io. Harduini* libro de Nummis Herodiadum pag. 193. de eius Selectis Numiſmatibus pag. 257.

De *Nic. Heinſii* notis in Velleium Paterculum pag. 128.

De *Henninii* Adnotationibus in Epiſtolas Itinerarias Tollii pag. 337.

De *Oligeri Iacobaei* Epiſtola nuncupatoria ad Magliabechium Hiſtoriae Florentinorum Bartholomaei Scalae pag. 92.

De *Lexicorum* uſu pag. 196.

De *Franc. Macedi* Panegyrico Coſmi III. M. D. Etr. pag. 52.

De *Manethonis* Mediceo-Laurentiani exemplo, eiuſque latina verſione pag. 197.

De *Io. Meurſii* ſententia de Marmore Puteolano pag. 254. et 255.

De *Minucii Felicis* Octavio pag. 223. et 230.

De *Coſmae* Topographia Chriſtiana a Bernardo de Montfaucon edita pag. 223.

De *Andr. Morelli* ſpecimine Rei Nummariae pag. 147.

De *Steph. le Moyne* Epiſtola ad Iac. Gronovium, in qua de Dodonaeo Oraculo diſſeritur pag. 123.

De

De *Th. Munckeri* editione Antonini Liberalis pag. 78. et 84.

De *Henr. Noriſii* Cenſura in Notas Io. Garnerii pag. 16. de eius Milite Macedonico Plautino ſale perfricto pag. 73. de eius Diſſertatione de duobus Nummis Diocletiani et Licinii pag. 97. de eius Cenotaphiis Piſanis pag. 119. 152. 147. et 162. de his praeterea *Iac. Gronovius* in alia Epiſtola ad *Magliab.* data 21. Iulii MDCLXXXX. ait. *Non niſi execror impudentiam* Noriſii *in Cenotaphiis Piſanis pag.* 215. *ita de Ciceronis loco, & Olympo Vrbe ſcribentis, ac ſi ipſe primus tunc id declaraviſſet; quum iam manifeſte Gruterus ante tot annos, ac recte, ediderit, & in notis obſervaverit; ut videre potes Lib. I. in Verrem Cap.* 21. *Et ut talia edantur Principalis pecunia erogatur? infelicia tempora! ſed & ille habebit ſtigma* &c. de Noriſii Anno et Epochis Syro-Macedonum pag. 191.

De *Frider. Nomii* Satiris pag. 202. 203. 206. 208. et 218.

De *Io. Pauli Nurrae* Diſſ. de Tinctura Sardiniaca pag. 226.

De *Io. Palatii* Aquila inter Lilia pag. 101.

De *Car. Patini* Commentario in Antiquum Cenotaphium M. Artorii Medici Caeſaris Auguſti pag. 204.

De *Theod. Pinedo* editione Stephani de Vrbibus pag. 89. et 391.

De *Paulli Ricaut* Notitia Imperii Turcarum pag. 317.

De *Barth. Scalae* Hiſtoria Florentinorum pag. 130.

De *Ioſ. Scaligeri* notis ad Varronis Rem Ruſticam pag. 138.

De *Eliae Conſtantini Von Trevven Schroderi* Faſtis, et Encomiaſtico Liviano pag. 108.

De *Ezech. Spanhemii* Libro de Praeſtantia, et uſu Numiſmatum Antiquorum pag. 46. et 55.

De *Laelii Taurelli* editione Pandectarum Florentinorum pag. 233.

De *Iac. Tollii* Sermone Gratulatorio ad Ioſephum Regem Hungariae pag. 175.

De *Henr. Valeſii*, et aliorum Notis in Petronii Fragmentum Tragurianum pag. 48.

De *Marci Velſeri* Operibus pag. 126. et 138.

De *Sertorii Vrſati* Monumentis Patavinis pag. 108. et 398. fuſe.

AN-

ANTIQVI SCRIPTORES ILLVSTRATI.

AElianus pag 214.
S. *Ambroſius* pag. 339.
Ammianus Marcellinus pag. 93.
Antoninus Liberalis pag.31.78.et84.
Apollodorus pag. 78.
Appianus pag. 105.
Arnobius pag. 225.
Arrianus pag. 79. 131. et 161.
Hiſtoriae Auguſtae Scriptores pag. 198.
S. *Auguſtinus* pag. 339.
I. Caeſar pag. 274.
Catalecta veterum Poetarum pag.295.
Celerini Epiſtola pag. 134.
Cicero pag. 185.
Coſmae Topographia Chriſtiana pag. 223.
Dion pag. 339.
Paraphraſis Epicteti Chriſtiana pag. 64.
Etymologicon antiquum pag. 176.
Euſebius pag. 256.
Frontinus pag. 28.
Gellius pag. 167. et 221.

Geneſeos Cap. XVII. verſ. 2. et 3. pag. 56.

Gregorii Hamartoli Chronicon pag. 388.

Herodotus pag. 256.

Heſychius pag. 79. et 337.

S. *Hieronymus* pag. 339.

Homerus pag. 190. et 194.

Iamblichi Hiſtoria Babylonica pag. 207.

S. *Ignatius* Antiochenus pag. 113.

Ioſeph Hebr. pag. 58. 190. et 215.

Iuvenalis pag. 339.

T. Livius pag. 69. 82. 89. 92. 93. et 114.

Lucianus pag. 158. et 339.

Manetho pag. 196.

Mathematici Antiqui pag. 36.

Mela pag. 147. et 152.

Minucius Felix pag. 222. 225. et 228.

Ovidius pag. 78.

Pandectes pag. 232. 244. 247. & 325.

Petronius Arbiter pag. 268. 269. 290. 292. 293. quidam eius loci pag. 15. et 268.

Phaedrus pag. 220.

Phlegon pag. 256.

Pollux pag. 337.

Po-

Polybius pag. 82.
Salluſtius pag. 328. 339. et 386.
Scylax pag. 213.
Seneca Phil. pag. 113.
Seneca Tragaedus pag. 134.
Silius Italicus pag. 297.
Ael. Spartianus pag. 198.
Statius pag. 297.
Stephanus Byz. pag. 31. 39. 41. 50. 60. 66. 98. 109. 179. 306. 307. 380. et 391. Locus peculiaris pag. 40.
Strabo pag. 154. et 160.
Suetonius pag. 205. et 218. Locus in Auguſto Cap. LXXXXVI. pag. 205.
Tacitus pag. 118. 126. et 187. Locus Annal. L. I. Cap. LXX. pag. 187.
Theonis Smyrnaei Commentarius de rebus Mathematicis ad Platonis explicationem &c. pag. 387.
Virgilius pag. 89.

ANTIQVITATES DETECTAE VEL ILLVSTRATAE.

ANimadverſiones de antiquitate Cultus Martis in Latio pag. 116.
De Romuli antiquis imaginibus pag. 173.

De Icuncula Smetiana Harpocrates credita pag. 173. & 179.

De variis figuris Sacrorum Mithriacorum pag. 159. 170. 173. et 176.

De Gladiatorum imaginibus a Lipſio & Fabretto propoſitis pag. 217.

De Triremium ordinatione pag. 71.

De Faſtis Conſularibus in Codice Mediceo-Laurentiano, et Bibl. DD. Maſfeiorum pag. 388.

Deſcriptio Clypei vetuſtiſſimi apud D. *VVoodvvard* Medicum Londinenſem pag. 224.

Antiquum aedificium, et ſtatuae Apollinis Pythii, Iovis, et mulieris cuiusdam in monte prope Smyrnam detectae pag. 317.

Duo *Traiani* et *Severi* monumenta in Belgio effoſſa pag. 213.

Inſcriptio e Troiae ruinis eruta pag. 314.

Inſcriptiones in Aſia a *Daniele Coſſonio* obſervatae pag. 312. et 317.

Inſcriptio Coſmopoli, vel Portus Ferrarii in Ilua Inſula detecta pag. 310.

Diſquiſitio de vera lectione Cenotaphii Marci Artorii Medici Caeſaris Auguſti pag. 204.

Diſquiſitio de vera lectione, & expli-

plicatione Marmoreae Baſis Puteolanae pag. 251. 255. 260. 266. et 267.

Interpretatio Inſcriptionis ſepulchri T. Livii crediti pag. 109.

Interpretatio variarum Inſcriptionum Patavinarum pag. 398.

De Inſcriptione Palmyrena pag. 227. et 384.

De *Raph. Fabretti* Collectione poſtuma Inſcriptionum pag. 331.

Interpretatio Epigraphis Nummi cuiusdam pag. 46.

De Nummo quodam pag. 214.

De Nummo Othonis pag. 397.

De Nummis Caeciliae et Liciniae Familiarum pag. 186.

Nummi Celtiberici, & Coloniarum Romanarum in Hiſpania ab *Iac. de Barry* collecti pag. 384.

Diſquiſitio de Tingentera Vrbe pag. 147.

Marmora Arabica, quae Puteolis aſſervantur pag. 383.

De formis Arabicarum Litterarum pag. 9.

Incolarum Inſulae Formoſae Idolum quoddam pag. 408.

Globuli precatorii Sinenſium p. 408.

D. *Sparreſteinius* a Svecorum Re-

ge

ge in Syriam miſſus Antiquitatum obſervandarum & colligendarum gratia pag. 208.

A. Gallandus in Aſia, Graeciaque diu commoratus Antiquitatum itidem obſervandarum, & colligendarum cauſa pag. 317.

Daniel Coſſonius Antiquitatum Aſiae ſedulus inveſtigator, & collector: variis locis eius Epiſtolarum.

MEMORABILIA MVSEORVM.

NVmiſmata antiqua a *Nicolao Heinſio* in Italia collecta, ab *Iacobo Gronovio* redempta pag. 170. 173. & 186.

Io. Georg. Graevii Collectio Numiſmatum Conſularium, quam *Iac. Gronovio* donavit pag. 173.

Iac. de Barry Collectio Numiſmatum Celtibericorum, & Coloniarum Romanarum in Hiſpania pag. 216.

Eduardi Holthenii Muſeum, eiuſque praecipua Cimelia Antiqua & Phyſica pag. 407.

Valerii Zanii Muſeum Bononiae pag. 104.

Ioſ. Magnavaccae Gazophylacium, & Nu-

& Numiſmatum Collectio itidem Bononiae pag. 276.

Card. *Carpinei* Gazophylacium, & Numiſmatum Theſaurus Romae pag. 332.

MATHEMATICA.

ANt. *Monfortis* Epiſtola de rebus Mathematicis ad *Chriſt. Hugenium*, & de ea iudicium pag. 393. & 396.

Hugenii Problemata *Monforti* propoſita pag. 393.

Ant. Van Leeuvvenhoek Microſcopia pag. 349.

PHYSICA.

ANt. *Van Leeuvvenhoek* Sententia de Marinis exuviis, quae in Montibus procul a Mari conſpiciuntur pag. 352.

Sententia de Generatione Animalium ex putri pag. 348.

Obſervationes Microſcopicae pag. 346.

Obſ. de Anguillarum fetura pag. 348.

Obſ. de Animalculis quibusdam pag. 358.

Obſ.

Obſ. de Verme Frumentum corrodente pag. 348.

Obſ. de Piperis ſale, eiuſque acrimoniae cauſa pag. 349.

Obſ. de Rubigine quadam peculiari in Batavicis Pratis pag. 347.

Lithoxylon peculiare in Muſeo *Ed. Holthenii* pag. 409.

Amiantus Sinenſis in eodem Muſeo, *ibid.*

Petri Hottoni propoſitum conſcribendae Bibliothecae Botanicae pag. 284. & 286.

M E D I C A.

ANt. *Van Leeuwenhoek* Sententia de Cauſſis Conſtitutionis Epidemicae A. MDCXLVIII. in Batavia pag. 347.

T E C H N I C A.

A. *V. Beuſecom* res aliquot magna arte confectae pag. 357.

IV-

IVRIDICA.

L. *Aur. Theod. Gronovii* diſquiſitio de antiquitate laudatiſſimi Codicis Pandectarum olim Piſani, nunc Florentini pag. 244. & diſquiſitio de nomine Pandectarum pag. 246.

THEOLOGICA.

I*Ac. Gronovii* Diſquiſitio de caſu, & pernicie Iudae Proditoris pag. 131. 139. & 145.

Sententia de interpretatione Cap. 2. Evangelii S. Lucae pag.

Sententia de interpretatione Actorum Apoſtolorum pag. 146.

De Epiſtola S. Io. Chryſoſtomi ad Caeſarium Monachum pag. 160. 163. & 178.

De Manuſcriptis variis pertinentibus ad Concilium Hieroſolymitanum pag. 229.

CATALOGVS EPISTOLARVM

in hoc Volumine contentarum.

IAcobi GRONOVII primum in Piſana Humaniorum Litterarum, deinde vero in Lugduno-Batava Academia Graecae Linguae, & Hiſtoriarum Prof. Pub.

LX. Ad Ant. Magliabechium *pag.* 1.

II. Ad Coſmum III. Magnum Etruriae Ducem *pag.* 237.

II. Laurentii Theodori GRONOVII I. C. eius Fratris.

XIV. Ad Ant. Magliabechium *pag.* 243.

III. Henrici COPESII Sylvaeducenſis Vrbis Conſulis.

VI. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 273.

IV. Petri HOTTONII Med. D. Horti Medici Amſtelodamenſis Praefecti, de-

in-

inde Medicinae, & Rei Herbariae Prof. Pub. in Academia Lugduno-Batava.
II. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 283.

V. Petri BVRMANNI Hiſtoriae, Eloquentiae, Linguae Graecae, & Poetices in Acad. Lugduno-Batava Prof. Pub. & Foederatorum Belgii Ordinum Hiſtorici.
V. Ad Ant. Magliabechium *pag.* 289.

VI. Danielis COSSONII Conſulis Mercatorum Batavorum Smyrnae.
VII. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 305.

VII. Abrahami COSSONII eius Fratris.
III. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 319.

VIII. Henrici BRENKMANNI I. C.
III. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 323.

IX. Ioannis KOOLII I. C.
IV. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 329.
I. Ad Iacobum Gronovium *pag.* 341.

X. Antonii LEEUVVENHOEKII Naturae Arcanorum Scrutatoris eximii.
VI. Ad Ant. Magliabechium *pag.* 345.

XI. Con-

XI. Conradi RVYSCHII Vrbis Amſtelodamenſis Conſulis.
IV. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 361.

XII. Petri FRANCII Poeſeos in Academia Amſtelodamenſi Prof. Pub.
I. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 367.

XIII. Iacobi PERIZONII.
I. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 371.

XIV. Philippi RVLAEI.
I. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 375.

XV. Ioannis DIEPENBROVCHII.
I. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 379.

XVI. Hadriani RELANDI Linguarum Orientalium in Academia Traiectina Prof. Pub.
III. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 383.

XVII. Wilhelmi GOESII Caſtri Bouchorſtiani Domini, & Foederatorum Belgii Ordinum a Conſiliis.
VIII. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 389.

XVIII. Eduardi HOLTENII
I. Ad Ant. Magliabech. *pag.* 407.

IAcobus Gronovius Io. Friderici *Viri Eruditiſſ. Filius, ex Hiſpania, ubi in comitatu* Paatſii *Legati Foederatorum Belgii Ordinum aliquantiſper conſtiterat pag. 165. in Italiam ſe tranſtulit, ac Florentiam delatus, facile ſe ob excellens ingenium, & eruditionis copiam, in* Magliabechii *amicitiam inſinuavit. Ille igitur* Gronovio *mirifice favit, & praecipue facultatem ipſi a Magno Duce impetravit perſcrutandi, deſcribendique pro lubitu Codices Bibliothecae Mediceo-Laurentianae. Opportunitate hac ita uſus eſt* Gronovius, *ut ocium omne in Bibliotheca poſuerit, & dies ſolidos, Caniculares licet, in ea incluſus, plurima in commentarios retulerit, quibus deinde Libros a ſe editos exornare valuit. Maius autem beneficium* Gronovio *praeſtavit* Magliabechius; *illius nempe eruditionem Magno Duci, &* Leopoldo *Card.* Mediceo *Piſanae Academiae Patrono adeo commendavit, ut eius tantum conſilio, Magni illi Principes* Gronovio *Humaniorum Litterarum Cathedram* Valerii Chimentellii *morte vacuam, cum amplo ſtipendio 500. aureorum demandaverint. Uno tantum anno ſcholaſtico functus eſt eo munere* Gronovius, *quo tempore ſcriptae ſunt* VII. *priores Epiſtolae, quibus vitam ſuam Academicam pingit; cum Collegarum enim ſive odio, ſive invidia diu luctatus, & potentis Viri artibus, ac ſummae cuiusdam Poteſtatis niſu oppreſſus, victas manus dare coactus eſt, & miſſionem ab Academico munere flagitare Epiſtola quam edimus pag. 237. Cauſae ſiniſtrae* Gronovii *fortunae in Academia Piſana plures fuere: nonnullae patent ex his quae ipſe ſcribit pag* 34. 35. 56. 46. 172. 222. *&* 237. *alias profert* Nicolaus Heinſius *in T. I. Sylloges huius* Epiſt. Claror. Belgar *pag.* 169 175. 177. 180. 185. 279. *&* 336. *alias tandem* Henr. Card. No-

Noriſius *in T. I.* Epiſt. Claror Venetorum *pag.* 25. 28. 36. 41. 45. *&* 46. *Ex horum locorum examine patebit* Gronovium *aſperiore quo utebatur ingenio, & juvenili, atque aliquanto concitatiore animi incendio crabrones irritaviſſe. Fama etiam fert ipſum Eterodoxum Relligionis noſtrae Capita irridere ſolitum, ob idque in diſcrimen adductum fuiſſe. In Patriam igitur remeare coactus, in itinere Epiſt.* VIII. *&* IX. *ſcripſit ſane amarulentas; ceteras a* X. *ad* XXVIII. *ſcripſit Daventriae, ubi diu ſubſtitit apud Avum maternum. Interea Magnus Dux in Aulam ſuam, & Bibliothecam Laurentianam rurſus invitavit* Gronovium, *& annuis ſtrenis ipſum donavit pag.* 41. 94. *&* 235. Leopoldusque *Princeps lapidem omnem movit, ut* Octavii Ferrarii *Cathedra in Patavino Lycaeo ipſi demandaretur pag.* 90. 91. 93. 94. *&* 301. *Anno tandem* 1679. Gronovius *inter Lugduno-Batavae Academiae Profeſſores adſcitus, eo munere ſumma cum laude functus eſt ad mortem uſque, quae contigit die* 21. *Oct.* 1716. *pag.* 112. 364. 185. *&* 321. *In* XXVIII. *& inſequentibus Epiſtolis vitam ſuam Academicam Lugduni-Batav. deſcribit, quae ſane turbulenta admodum fuit, ob aſſiduos eruditos labores, & ob innumeros aemulos, vel inimicos, quos ingenio uſus aſperiore pag.* 294. *&* 338. *ſibi undique fecerat. Mirum itaque videri non debet, ſi in hiſce Epiſtolis* Henr. Noriſium, *&* Carolum Datum *ob Piſanas ſimultates*, Nicolaum *autem* Heinſium *ob* Th. Rycquium *ſibi praepoſitum, aliosque Claros Viros acerrime, & plerumque immerito inſectetur. Ea profecto convicia, implacabile* Gronovii *odium perbelle exprimunt, nec Magnorum illorum Virorum famae quicquam detrahunt. Ceterum* Gronovii *Elogium extat in* Actis Eruditorum Lipſiae *publicatis A.* 1717. *pag.* 189.

IA-

IACOBI GRONOVII

EPISTOLAE

AD ANT. MAGLIABECHIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA I.

Domine.

QVum ſciam, & oculis meis aſpexerim, quam meditatis verborum plauſibus, quam elaboratis in agnoſcenda Tua facilitate ac promptitudine naturali formulis, omnium epiſtolarum, quae ad Te diriguntur, conſtent exordia; quanta cura, quam exacta meditatione mihi opus eſse dicam, ut vel minimam ex tam cu-

mulata beneficiorum Tuorum magnitudine (1), partem, & vel tenuiſsimam ſignificationem exprimendo aſſequar? Etenim quoties quatuor iſtorum menſium ſtationem mecum recolo, ita mihi videris Te comparaviſse, ut quicquid aliis ſegregatim profuiſti, & partitus es, id omne in me pariter & inſimul effunderes. Adeo ſi & ipſe officio decore reſpondere conarer in dicendis, quia rebus referre nequeo, gratiis deberem illos non modo ſuperare, ſed tam conceptis, cogitatiſque vocum ſymphoniis Te proſequi, ut omnium iſtorum ingenia in me confluxiſſe, ap-

1 *Magliabechius* potiſſimus auctor fuerat, ut *Gronovius* a Magno Duce in Piſanam Academiam amplo ſtipendio invitaretur, & Literarum Humaniorum Profeſsor renunciaretur. Parum caute in ea provincia adminiſtranda ſe geſſit *Gronovius*, variiſque de cauſis Collegarum ſuorum invidiam excitavit: ex quo plures ei obortae turbae & moleſtiae, quibus propulſandis impar, inimicis ſuis victas manus dare, & ſplendidum munus tandem abdicare coactus eſt. Nil igitur mirum videri debet, ſi acres nimium, & felle Lycambaeo adſperſae ſunt ſequentes Epiſtolae, quas fideliter ex autographis exprimi curavimus, non quod talia prorſus credi velimus, qualia de Viris inſignibus ſcripſit *Gronovius*, & idcirco eorum memoriae aliquid detractum putemus; ſed ut Hiſtoriae Literariae Arcanae inſerviremus, & Lectoribus integrum relinqueremus judicium; quod rectius procedet, ſi conferantur *Nicolai Heinſii* Epiſtolae ad *Magliab* a nobis editae in T. I. huius Sylloges & praeſertim X. pag 184.

appareret. Vnde autem hoc mihi, quem noſti in craſſo aeré & paludibus natum? Omnino in reliqua tempora deſperandum mihi foret, niſi tenuitati meae ſolatium ſubminiſtraretur ex indolis Tuae altitudine, qua & humanitatem, & reliquas virtutes non niſi propter ipſas colis: Itaque nec nunc, nec poſtea in privatis hiſce literis ullum de ea verbum faciam, ſatius ducens pio ſilentio, & memori animo eam admirari, ita ut tamen coram aliis pleno ore praedicem, donec Deorum aliquis placidiore me lumine reſpexerit. Te quoque idcirco oratum volo, ne, quia Tibi me ſatisfacere impedit non voluntas, ſed facultas mea, antiquum obtinere deſinas, & mihi ullam partem ſubtrahere velis. Interim doleo, me innocentiſsimum a Te falſi Teſtimonii deferri. Quibus in verbis ſcribo de Te ea, quae non ita ſe habent, ubi talem Te depingo qualis ad verum & liquidum non es? ſed relinquo iſta. Et potius Tibi ſignifico mirari me, qui tam leniter ac remiſſe *Noriſii* (1) verba examines?

 Quid

1 *Henr. Noriſius* Veronenſis Ord. Eremit. S. Aug. Hiſtoriae Eccleſiaſticae in Piſano Lyceo Prof. & demum S. R. E. Cardinalis cuius contubernio Piſis *Gronovius* utebatur, unus ex iis eſt, quos ſibi inimicos fecit, & quos acriter inſectatur. Cauſam odii mutui nondum reſcire contigit: fortaſse aliquid lucis afferre poſunt laudatae *Heinſii* Epiſtolae; ſicut & Epiſtolae *Noriſii* ad *Magliabechium* a nobis editae in T. I. *Epiſtol. Claror. Venetorum*: Opuſculum ad quod alludit *Gronovius* eſt: *Henr. Noris ad Ant. Maglia-*

Quid enim poſtulatione Tua aliud factum eſt, niſi ut iſtae *Notatiunculae* ſcriptitarentur ac conciperentur? nec id ſolum poſtulatione, ſed etiam iuſsu Tuo, cui negat ſe refragari? Teque imperante volentem ſe iſta exſequi & praeſtare, hoc eſt edere. Quamvis ego ſane ſequar auctoritatem Tuam hac quoque in re, & eam hodie ad Liburnenſem mercatorem ablegabo. Mei quod memineris in literis Tuis, agnoſco amorem Tuum, etſi cogitaſse oportuit Te illi ſcripſiſse, qui prope novit nullam mihi bene merendi vel publice, vel privatim occaſionem fuiſse. Propterea gratius eſt, quod de convivio iſto Deorum narras, & precor ut omni tempore illis liberaliſsimis viris meam certam, ac ſinceram obſervantiam deferas. Ill. *Capponus* (1) non modo per hos dies me apud ſe eſse voluit, ſed etiam ſartorem, quem bis ab ipſo miſsum reieceram, tertia vice arceſsere iuſsit, ut ipſius ſumptibus veſtes mihi pararentur. Sic heri, die Iovis, primum togatus inceſſi, & introitum in Academiam dedicavi, omnibus me ſumma cum iucunditate excipientibus. Die dominco hora xv. iuſsus ſum ad condictum adeſse. Quare, ſi me amas, illo tempore de me ſollicitus eſto. Sereniſſimos Dominos noſtros ſalutavi, ne-

gliabecbium in Notas Io: Garnerii ad Inſcriptiones Epiſtolarum Synodalium XC & XCII inter Auguſtinianas cenſuras: Florentiae per Hippolytum de Nave. 1674 in 4.

(1) *Ferrantes Capponius* Piſani Lycei moderator, qui *Gronovio* minus favebat, eo quod ſe inconſulto Piſas advocatus fuerat.

neque desii debitam Tui mentionem facere: laetiſsimus quoque diſceſsi. Ita hactenus omnia ex voto mihi provenerunt, niſi quod Florentia interdum, & *Maglabechius*, & Libri Laurentiani cogitationem meam laedunt. Sed Tu modo valeas, decus meum ac tutela; &, quod Te ex animo precor, in accenſorum Tuorum numero habeas.

Piſis a. d. XIV. Febr. Calend. 1674.

Tui Obſervantiſſimum famulum
Iacobum Gronovium.

Vellem, ut hunc Hoſpitem meum proximis in literis ita manu Tua ſalutare iuſſiſſes, aut iuberes, ut id ipſi monſtrare poſſem! Certe ut Te nunc amicisſimis verbis eius nomine appellarem, a me petiit.

EPISTOLA II.

QVid illa magna hora mea egeris ſcire equidem ſummo deſiderio cuperem, ſi eo nuncio beare me velles. Nam non minus veritas iudicii Tui, quo me ubique, & ſemper ultra modum ornaviſti, quam fama mea agebatur, atque ex iſto tempore pendebat. Quod ſi hoc non eſſet, ſaltem amor, quem ſummopere ardentem mihi monſtrare es aſſuetus, Te concutere, & tremefacere debuit. Noſti in certaminibus, qui ſint ſpectatorum motus, qui affectus, quem quisque timorem de contendente amico ſuo concipiat. Noſti *Statium* ita patri ſuo defuncto dicere:

Qualis eras, Latios quoties ego carmine Patres
Mulcerem, felixque tui ſpectator adeſſet
Muneris? heu quali confuſus gaudia fletu
Vota pioſque metus inter laetumque pudorem!

Noſti de certaturi *Iaſonis* adiutrice *Medea*, *Ovidium* loqui.

Ipſa quoque extimuit, quae tutum fecerat illum.

Plus pene quam *Statio* Pater, plus quam *Medea Iaſoni* eſt *Magliabechius* mihi, non mea dignitate ſed Tuo, Vir Humaniſsime, ſpontaneo favore. Quid igitur? non timuiſti? non anxius & ſuſpenſus fuiſti? Cur nihil per *Noriſium* ad me mandaviſti? Obduravi tamen, & ne quid perverſi admitterem, omnibus modis providi. Ad Te quid referatur, neſcio: omnes certe in os me laudaverunt; tacitos ſuſurros, quos eſſe, & ante credidi, & primum *Gaetanus* noſter olfecit, ac mihi detexit, ut ex eo audies, nullus curo. Iſte, cuius malevolentiam intelliges, verus huius Collegii Therſites (1) poſt finitum ſermonem mihi forte occucurrit; ſed de quibusdam verbis mecum agere, ac nonnihil quiritari volentem ita excepi, ut hiare ultra verbum non poſſet totus in meam ſententiam concedens. Denique ea veſpera, quae anteceſsit illum tam fatui ſermonis conſcium diem, me conſultare auſus eſt de Lin-

gua

1 Fortaſse eſt *Beneivennes Ceſſinius* I. C. Prof. qui *Gronovio* bellum indixit, eo quod in Oratione recitata publice quum Profeſſioni ſuae auſpicaretur *Bartholum* & *Baldum* vocaverit *Carcinomata Iuris*.

gua Graeca, & ut Florentiam reverſus inter ferias ipſi in hac diſcenda adeſſem, infinitis verbis me obteſtari. Quanquam quid ego haec miror, quum mihi de Te quae ſciebam loquenti, ſub alterius perſona animum ſuum aperire non eſt veritus. Sed parco chartam maledici huius hominis ſermone contaminare. Ego ut, quod ſentio dicam, aliquot millenarios Excellentiſsimorum modios Te uno libentiſsime mutare vellem. Et quando rurſus illum diem? Qui dum approperat, ipſe hos hiſtriones ſummo cum ioco, & riſu ſpectabo, ſed tacitus, aut, quo ſolo adverſus omnia munitus ero, collaudans: Vale, lux mea, & ſi quid interdum novi de literulis noſtris audies, mecum, quaeſo, communica: Piſis.

EPISTOLA III.

NOn ſolum laudes, grateſque Tibi dico, quod iſta leviſsimae famae murmura mecum communicare volueris; ſed inprimis admiror perſpicaciſsimam veritatem prudentiae Tuae, qua eodem tempore Florentiae praeſagire potuiſti, quae Piſis tum agebantur. Sequenti enim die, quam *Gaetanus* noſter diſceſſerat, non ſolum hilariſsimo vultu mihi occurrens, ultra modum omnia ſua mihi rurſum obtulit, ſed mox etiam cum commiſsiuncula quadam (erat enim electus, qui ſtudioſo Iuris die Saturni Lauream imponeret) domum ad me venit, tantum non

non indecoris verbis contendens, ut eam exigerem. Hic Creti cum Crete negotium fuit. Immenſum enim applauſi, & in iterando εὖγε σοφῶς omnes antiquos caenarum captatores ſuperavi. Quod enim (per fidem!) illud argumentum fuit? Quia in iuvenis inſignibus inter alias notas Crux erat, tota eius oratio in Cruce extollenda, & id notiſsimis modis, conſumebatur, de iuvene nihil. Inſenſus ſum auribus meis, quod eae tunc, quum iucundiſsimis aſſentationum adulationibus lingua mea videbatur exſultare, tantopere dolere potuerunt. Sed ride.

Interim tamen, ne Sereniſsimi quidem Domini noſtri aures immunes fuerunt, quominus inſulſa huius iactationis ſcabie contaminarentur. Quum enim poſt cathedrae dedicationem admiſſus ad benigniſsimae Frontis ſalutationem, agerem quae propoſueram; non deſtitit iniicere eius rei mentionem, ut credo, experiundi gratia an vindicare me ac tueri valerem. Propterea non refugi paucis, ac debita cum veneratione proferre quod res erat; quod uti Tu quoque facias ſi forte inde aliquid accipies, precor. *Panciaticus* noſter conſpectu ingenii ſui acutiſsimi, & epiſtolae; vel propter Tua verba deſideratiſsimae nondum beare voluit. Quod Nobiliſsimo *Victorio* meas in Hiſpaniam mittendas tradidiſti, iucundum eſt. Semel hoc a Te contendo, ut Praeſtantiſsimis, meique ultra quam merui ſtudioſiſsimis Viris, tum duobus illis, tum communibus amicis noſtris omnibus & praecipue, *Carolo* noſtro *Datio*, propriam ſemper a me ſalutem annuncies, ac,

quam-

quamvis id non faciam, tamen exiſtimes hanc legitimam literis meis acceſsionem fore.

Hoc eodem tempore mihi redditur epiſtola a *Thevenoto* Pariſiis, in qua mecum agit de formis Arabicarum literarum, & alia, quae reiiciam in tempora magis vacua: Tibi autem, *Panciatico*, & *Datio* voluntatem ſuam deferri poſtulat.

Gaetani noſtri literas ad conſtitutum non adfuiſſe, nequeo ſatis mirari, quum tam enixe, & cupide eas vidiſſem, ad cognoſcendum, ſi confirmandis viribus commodos liquores offendiſſet.

Noriſio, quae voluiſti, monſtravi, & vicem eandem ipſe mihi reddidit. Vale multum, Humaniſsime, & omnibus partibus Abſolutiſsime *Magliabequi*, & me ama vel potius mei miſerere. Ex Arca Noae a. d. 3. Cal. Mart. 1674.

EPISTOLA IV.

De me quicquid illuc ad vos mittatur, iam ſuſque deque fero, qui incipio re ipſa cognoſcere quam difficile ſit omnibus placere, & praeſertim his hominibus, quibus nunquam non me invidiae fore video. Itaque in prima Diatriba publice dixi me quum intelligerem nihil aliud poſse, hoc ſaltem, vel omnibus invitis facturum, ut egregii, & improbi laboris conſcientiam mecum deportarem. In qua ſola, ut abunde acquieſcam, Tuum, Honoratiſſime Domine, exemplum me hor-

hortabitur ; qui cum ab omni publica iactatione tantopere abſis , & ſolum Tibi intentus agas , ne ſic tamen a lividis dentibus liber eſſe potes , quin identidem violeris . Vt enim hoc ſcias ; rurſus nuper Tuum de his hominibus iudicium profecto nimis verum , ſub circuli ſatis inſulſi cenſuram revocabatur ; me tacitis gaudiis exultante ad tantae vaniloquentiae auditum.

Ratio verſiculorum perplacet , tum quod ad formas literarum , tum quod ad chartam (1) . Coeterum conſultius fuiſſet unum , alterumve modo exemplum paraviſse , quod emendandi cauſa ad me mitteretur , & ſic tamen Teque , & *Datium* (2) noſtrum impenſe amo : ſed , ſodes , cave ne ullum in manus aliorum veniat , antequam eo pacto correcta ſint omnia , quemadmodum a me nunc factum vides , quo ipſum etiam a *Datio* noſtro

1 *Ferrantes Capponius* cum ſciret *Gronovium* Poeſeos laude non florere , ipſi auctor fuit , ut Poema conſcriberet in adventu Ser. M. D. Piſas ; illudque eſt ad quod adludit *Gronovius* in hac Epiſtola Plurimum inde *Gronovii* famam labefactarunt eius aemuli ; praeter enim lapſus metricos quos adnotarunt ; in titulum ipſum *De Adventu Ser. M Ducis Piſam* debacchati ſunt . Propterea *Gronovius* in alia Epiſt d Piſis 7. Martii ait : *Piſa non ſolum defenditur auctoritate* Ovidii ; *ſed &* Strabonis ; Dionyſii Halic. Lycophronis ; Euſtathii ad Homerum ; & Tzetzae

2 *Carolus Datus* ; quem tamen *Gronovius* deinceps odio Vatiniano proſecutus eſt V laudatam Epiſtolam X. *Nicol. Heinſii ad Magliabechium.*

ſtro petivi. Vbi vero confecta erunt omnia, ſane quam vellem, ut eorum curionem apud Sereniſs. Dominum noſtrum ageres, quum ipſe huius rationis inſcius, & inexpertus ſim. *Noriſius* etiam monuit, ut duo exempla quae Principibus Sereniſs. oſtendi debent ſerico imprimenda curarem: quae omnia Tuae fidei commendo, utque in eo negotio agas, prout conſultiſsimum cenſueris, precor & rogo. Epiſtolam Tuo nomini inſcriptam nondum mecum communicavit Collega meus (1) neque etiam eius examinandae tempus habui; poſt quid mihi videatur, ſi ſoli eſſe poſſumus, Tibi ſcribam. Idem ſub prandio a me petiit, uti ex Te quaererem, ubinam quatuor illa exempla purpureis ſittybis exornata deliteſcerent: ſe enim hactenus nihil vidiſſe. Vive, & ringentibus omnibus felix laetuſque in Optimi Principis favore dies Tuos perage, quo ſolo ſalvo, ipſe ſalvere quoque, & hic vivere potero.

Piſis a. d. 3. Idus Mart. MDCLXXIV.

Quae in ipſis quibuſdam verſibus mutavi, id omnimodo ita faciendum eſt: nam & prima ſyllaba in *ſedile* corripi ſolet, & altera ſunt paulo duriora.

EPI-

1 Iam inde cum *Noriſio* ſimultates exercere caeperat *Gronovius*; ideoque in hac, & in ſequenti Epiſtola eius *Cenſuram in Garnerium* ſubamare vellicat.

EPISTOLA V.

QVoniam huic Vrbi craſtino die ſunt celebranda ἀναγώγια, qualia ſingulis annis ab Erycinis agi ſolita memorat *Aelianus*, & omnis decor, quo per tempus ſplenduimus, Florentiam revertitur. iſtius migrationis diſcurſu ipſe etiam officii mei rurſum admonitus ſum. Et quanquam vix ſit aliquid, quo Te alloquar; tamen duo mihi nunc ſub calamum naſcuntur, de quibus prorſus Tecum agendum habeo. Primum eſt, ut omnem iſtam longi temporis intermiſſionem meam huic recitationum labori adſcribas; qui quo inſuetior mihi, & crebrior incumbit, eo durius & immitius mihi imperat, meque totum ſibi ſoli vendicat. Quare precor, ut ſilentium quoque meum, cuius certiſſimo cultu Te proſequor, & dum fuero proſequar, amare velis. Alterum eſt, ut ſi forte otioſe, & cavillantes linguae ad Sereniſs. Principis noſtri aures aliquid de me ſiniſtri rumoris differant, ſpargantque (etſi de eo nuper me admiſſum ſacratiſsima vox ſecurum eſſe iuſſit) Tu ſaltem clienti Tuo, ac beneficiario adſis; a quo uno ſi abierim, quid mihi amplius reſiduum ſit, penitus ignoro. Ego plane mihi vivo, & horae meae vaco, nec aucupans nec aeſtimans quid paſſim garriatur, ita ut ne noverim quidem quicquam: attamen cavere etiam licet, ut extra me tutus ſim, quod Tua ſolius benevolentia potero conſequi. Poſt octo hebdomadum exſpecta-

ſtationem hodie accipio literas a Fratre, in quibus praeter alia mihi ſignificat ipſis Calendis Martiis alias alias ſe ad me miſiſſe, quas Florentiam direxerat: quas quia non recepi, crediderim eas penes curſorem veſtrum latere. In illas conjecta erat Epiſtola *Heinſii* ad me: in his autem, quae mihi traditae ſunt, bis terve mentionem Tui facit, & ut officioſiſſimam ſalutem ab ipſo Tibi mitterem, rogat; *Heinſiumque* omnibus quae mihi hic evenerint publicaſſe. *Etiam Matthaei Voſſii* filium in animo habere partem Patruae Bibliothecae diſtrahere, atque adeo iam indicem typis mandatum eſſe, uti ipſe dixit, inſcio Patruo, & inter Britannos deſidente, quanquam eas artes alia ſpectare cenſeam. Ego ſtatim illi reſcribam, quia ſecuram hanc viam reperi. Quod ſi Tu quoque aliquid illuc curatum velis, ne deſine pro iure Tuo mihi imperare. Vale plurimum, ſpes & conſolatio mea, & permitte, ut gloriari mihi liceat ſemper eſſe &c.

Piſis a. d. 3. Idus Apriles 1674.

EPISTOLA VI.

TAndem deſerbuit aliquantum iſte quotidianarum commiſſionum aeſtus, & adventus quinti menſis, ſtudentiumque diſceſſus facit, ut liberius vacare officio, ac ſi non ſolido, ſaltem interciſo die uti, & quaſdam lucrativas horas genio meo indulgere poſſim. Quare licet ſummopere quidem optem, & pe-

& pene anhelem Tui amplectendi deſiderio, idque ſine ulla ſpartae meae iniuria fieri iam poſſet (ſcias enim oportet, hunc menſem plane nihil eſſe aliud, niſi eorum hominum, qui nummorum intetrimentis, quam literis inquinari malunt, vindemiam) tamen quum non ſemper uti velis, ita etiam poſſis, utor rurſum ea via, & utriuſque rei ſpecimen praebere volui. Accuratiſſimas igitur, & quales *Magliabequio* debet *Gronovius*, Tibi ago gratias, tum pro verbis paucis illis quidem, ſed omnem in partem ſuaviſſimis, quibus me praeterita hebdomade exhilaraviſti, tum pro tranſmiſſa *Thevenoti* epiſtola. Non opinor illi quidquam a me reſponderi debere; quippe quum ipſa ſit ſcripta eodem exemplo, quo erat illa, quam *Vivianus* ad me curavit, & cui reſponſum a me retulit *Gaetanus*. Itaque tantummodo a Te peto, ut, ubi erit locus, commodumque, Illuſtriſſimo *Strozzio* pro iſta diligentia, ac fide debitam voluntatis meae declarationem ſignifices. Ante dies habui mecum Popularem meum, qui cum in Hiſpania Legato noſtro contubernalis fui: ſed exemplo meo pertaeſus illarum regionum, per has terras domum properat, in Latinis, Graecis, Hebraicisque non pro more exercitatum. Illi auctor fui, ut hunc menſem Romae poneret, eoque finito Florentiam peteret, atque illic pariter Te ſalutaremus. Quam beatiſſimam horam dum opperior, *Petronianum Fragmentum* elegi, quod genium meum avocaret, ac tempora falleret, maxime invitatus, quod *Ceſſinus* noſter *Blavia*.

vianae editionis uſum mihi concesserit. Quare ſi operae pretium putas, inſpice eam quaeſo, & vide pag. 163 ubi haec ſunt verba. *Et Titus noſter magnum animum habet, & eſt caldior, ebrius; aut hoc, aut illud erit*. Hanc lectionem concinnatam a *Scheffero* in contentum admitti video, quum in MS. ſit *caldicer, ebrius*. *Reineſius* ex more ſuo neſcio quid barbariſſat, licentia analogiae *Caldicor*. Videtur ipſe literarum ordo planiſsime ſuggerere ſcribendum eſſe: *Et Titus noſter magnum animum habet, & eſt caldi cerebri; ut aut hoc, aut illud erit*. Hoc eſt, ad pugnam facile irritatur, & eam cum vehementia aggredi ſolet. Ita pag. 287. habemus: *alioquin experieris cerebrum meum*. Rurſum pag. 188 habetur. *Annibal homo vafer, & magnus ſcelere*. Hanc ultimam vocem *Scheffero* ortam elegerunt, & tot coniecturis, quas ſubiunctas vides, n. *ardelio*, *ſcbetlius*, quum in MS. ſit *ſcelio*, quod *Reineſius* potuit defendere quaſi a σκυλάω deductum. Sed praedonis titulus parum bene iuſto Duci aptatur, & *Sceleronem* vocare *Annibalem* vix convenit. Lege, *Magnus Stellio*: Haec nulla mutatio eſt, & decentiſsimum Punicae fidei, qua *Annibal* quoque uſus eſt, opprobrium. Noſti quid ſit ICtis *ſtellionatus crimen*. Denique eſt locus contaminatiſsimus pag. 238. ubi lucente luna, & amiſſo comite *Niceros* ille nocturnum iter peragit, & ſic loquitur: *Gladium tamen ſtrinxi, & matavita tau umbras cecidi*. Nihil profecto ſani eſt in tota illa nota, quae mediam paginam replet. Ipſi characteres mihi perſua-

ſuadent, ut quemadmodum pag. 195. loquitur *μὰ δία*, *perite*, *μὰ δία* ubi MS. habebat *madia permadia* ſic hoc loco eundem ſcripſiſſe *μὰ τὰν ἑκάταν per Hecatem.* nempe teſtem animoſitatis ſuae in iactando per aerem gladio vocat Hecaten, hoc eſt Lunam, quae tunc ſplenduerat, eumque viderat. Sed iam relictis iſtis tranſeo ad epiſtolam *Noriſii* noſtri, cuius profecto argumentum ſolidiſſime explicatum, & exhauſtum, laudare ſatis non poſſum. Caeterum ſi cupis, ut perfectiſſimus ſit iſte liber, cui nomen perfectiſſimi Viri, hoc eſt, Tuum, mi *Magliabechi*, praefixum eſt, patere quaeſo, ut apertius loquar, neque iſta res mihi fraudi ſit. Pag. 31. exiſtimat dici *Vltrajectum Rheni*, ut hoc oppidum ab *Vltrajecto ad Moſam* ſecernamus: qui grandis error videtur. Quis enim unquam *Vltrajectum ad Moſam* vocavit illud oppidum, quod Rex Galliae praeterito anno expugnavit? Videtur. quoque neſcivisſe cur *Vltraiectum Rheni* dicatur. Id enim non ab *ultra*: ſed corrupte pro *VVilltrajectum* ſumitur, a populo quondam eius tractus incola, *VViltis*. Omnino id exemplum non fuit addendum. Pag. 9. plane ſibi obloquitur. Etenim quum paulo ante ſic locutus eſſet: *Anno 919. Siccae ſedebat Vrbanus in mortui Fortunatiani locum ſubrogatus.*: paulo poſt inquit: *Siccenſem Fortunatianum interfuiſſe, qui in eadem ſede Vrbanum ex Hipponenſi Clero Epiſcopum exceperat*. Quod nihil aliud eſt, quam *Vrbano* ſucceſſor datus erat, quum tamen contrarium velit dicere. Sed nolo ut otio meo iraſcaris. Quapropter relictis hiſce *Ger-*

ris,

ris Germanis ſiculis, revertere ad delicias Tuas, & mei tantum memor. Vale, ac vive, Vir unice, cui ſum & ero &c.

Piſis, pridie Calendas Maias 1674.

EPISTOLA VII.

SI quis illorum, quos nonniſi ex longinquo familiares habere cupio, talem verborum pericopam literis ſuis immiſiſſet, profecto tacita innocentiae meae conſcientia laetus quieſcerem, & illum quoque cum indecore hoc livore, & iſta publici quidem, ſed neſcio quo auctore diſperſi rumoris malignitate deferri, & errare permitterem. Sed quum Tu, mi *Magliabequi*, is ſis, quem propter innumera & immodica munera, ne minimarum quidem rerum inſcium non modo non relinquere debeam ſed etiam precari, ut eas accurate velis cognoſcere; fas mihi ſit huius quoque debiti ſtipendium hac chartula implere & emereri. Etenim quum mihi prorſus Academiae huius mores ignoranti, forte a quibusdam eſſet ſignificatum, Profeſſores in tria Collegiorum corpora eſſe deſcriptos; evenit, ut inter coenam cum Illuſtr. Auditore hanc rem communicaverim. At ille claris expreſſiſque verbis mihi tum reſpondit, eam quaſi ſingularem gratiam nonniſi ab ipſo Sereniſs. Magno Duce concedi ſolere ac peti. Vnde mihi in iſta ſimplicitate nato tantum acumen, ut ſub eo reſponſo tam nudo, tam expoſito, tacitam quandam interpretationem vo-

luntatem [illegible] eius latentem, vel odorari poſſem? Quare quum me quoque id tentaturum profiterer, non mod[illegible] non deterruit aut minimo quodam [illegible] dehortatus eſt, ſed iuſſit, idque non [illegible]ter, ſed plu[illegible]imis, & frequenter iteratis verbis, ut ſi ullam occaſionem in iſto momento captare poſſem, ingenium doctrinamque τοῦ δεῖνα, & recitationum eius polituram quam graviſſime, & exquiſite Sereniſsimo Domino commendarem, approbaremque. Quin etiam quum forte accidiſſet, ut propter ſupervenientium negotiorum molem per tres inſecutas veſperas non daretur publicae admiſſionis venia; eandem rem continue mihi inculcare, & admonere non deſiit; ne minimo quidem, quantum ego animadvertere tunc potui, alienatioris propterea futurae voluntatis ſuae ſigno demonſtrato. Itaque feci quod faciundum erat, nunc id alio modo, quam quo id faciundum eſſe cognoveram; nihil minus cogitans ſomniaſve, quam propter tantillas quiſquilias me tam potentis viri gratia exciſurum. Id quod ne nunc quidem ſciviſſem, niſi ex tanto horum hominum, qui tantum ſimulate amicitias colunt, unus aliquis nuper tenuem eius frigusculi declarationem prodidiſſet mihi non ſolito inter publicas famas diſcurſare, & in iis venandis ſatagere. Ex his culpae meae magnitudinem exiſtima; quae profecto ſi ulla eſt, illa certe erit praecipua, quod Tuo conſilio obtemperaverim, & illis liminibus, in quibus tam temere innoxiam ſimplicitatem meam ſubſcriptam experior, me in illis meritoriis ſalutationibus non exercitatum intulerim. Sed

alii

alii iſta viderint. Te precor, ut ne uſpiam huius epiſtolae ſecretum effluat, ſed inter nos plane moriatur; & eam, quam huc coniectam vides, examines; ac ſi tradendam conſueris, paululo cerae adiecto claudas; ſin, in ignem mittas.

Quae Tibi credidi de epiſtola *Noriſii*, quaeque a me vis ipſi indicari, facere non ſuſtineo, quum & ingratum id illi fore confidam, & quum aliquando illum monerem *τὸ divinari* quod utramque paginam facit, latinum non eſſe, nunquam me audire voluerit, ſicut etiam *offendere lapidem*, quum onmnes quod ſciam auctores *ad lapidem* dicant. Quapropter cavebo, ne id unquam ex me intelligat, & ſi Tu aliquando eum certiorem facere volueris, peto nullam mei mentionem facias. A quibus deferri nomen eius apud Sereniſs. Dominos narras, tanquam nimium ſaevi Orbilii in *Garnerium*, equidem perverſe ac deparate facere cenſeo. Prorſus enim illum Ieſuitam aſpicio, tanquam qui negligentiam huius ſeculi plane belluinam, & velut nullius bonae rei ex aequo & merito curioſam indagantemque traduxerit, & ex ea ſe poſse creſcere iudicaverit. Itaque quidquid maledictorum in eum a quocunque congeratur, minus erit, & adeo non miſericordiam propterea quorundam eluere debet, ut omnibus odiis conſcindendus ſit. Sed ohe iam ſatis eſt. Deus Te ſervet ad complexum meum, quem iam iam mihi propono.

Piſis a. d. Idus Maias 1674.

evanida, pacemque, & gratiam redituram; Teque eo honore ab omnibus affectum iri, quem incomparabiles Muſae Tuae meruerunt. Quae quoniam infando cum dolore meo aliorſum cadere intelligo, ſaltem ſpero Te eo omni caute, & ſi unquam, anxie circumſpecteque acturum. Nihilominus fas ſit nec vitio vertatur mihi (mihi, inquam, qui profecto ſi Tibi aliquid praeter naturam accidat, in furias iturus ſum) ſi Te precer & intimis animi obſecrationibus obteſter, ut Tibi conſulas. Vis, & nequitia contra Te coniurarunt: quicquid illae oppugnant, ruere conſueſse docuit Te *Phedrus*. Solent Medici in reſtituendis aegris dare aliquid tempori, dare aegrotantis indoli. Quin Tu, *σιδασμιώτατε Magliabechi*, illorum rationem nunc imitare: Laborant iſti *καχεξίᾳ* immani, & ignorantia tum Dei tum hominum eis communem ſenſum abſtulit. Indulge parum tempori & concede facinoroſae, ac paratiſsimae eorum in omne nefas voluntati. Liceat illis vel peſsime de me loqui, ac ſcribere, ſatis ſit a faciendo illos *Συσμενίδας*, arcuiſse. Tibi ego gratias ex pleniſsimo pectore dico intimas, quod clientis Tui ſinceriſsimi & innocentiſsimi cauſam deſtituere nolueris; ſed idem tamen exclamo ſatisfeciſſe Te omnibus officii partibus, neque debere Te aliud cirumſpicere, quam uti de me ſecurus quiete honeſteque in Patria Tua degas, credaſque ultro eventurum, ut ſolet mendaces luere poenas maleficos; idque eo citius, quo ſeverius tectiuſque diſſimulationem adverſus illum geminum Seianum indueris. Forte ita evenit,

ut vix me Vrbe Veſtra egreſſum exceperit imber, contra quam forſan credas, optatiſſimus, quemque ego prorſus agnovi in hanc rem divinitus miſſum, non qui me penitus proluerct, ſed potius ut illum invidioſorum ardelionum pulverem, ac ſcabiei ſuperficiem, qui in aliqua fortaſſis parte ex tot ad mea damna exercitis linguis mihi adhaeſerat, ita ſine cicatrice leniter abſtergeret, eum in finem, ut nihil ex eo loco, qui me tam facile detinuerat, mecum deportarem, niſi ſinceram aequamque ac debitam tantae Sereniſſimi Principis benignitati, ac honoratiſſimis iudiciis, tot Tuis tam largis, ac clariſſimis amoris candidique affectus experimentis memoriam. Neque ſane poſthac aliter res meas inſtituere propoſui, expreſſurus ex me, & aeternae oblivioni daturus, quicquid in me illa malignitas machinata fuit; in hoc unum ſedulo intentus, ut Tecum eam, ad quam obligatus ſum, rationem deducam, quamque menti meae perpetuam infigent partim chartulae Tua ſuffragatione, Tua apud Sereniſſimum Principem interceſſione, Tua ſingulari benevolentia collectae atque anni tempus in Tuo gremio peractum, partim nomen Tuum non in aedibus tantum meis ſemper, ſed in ipſo ore perſonaturum: unde Aegerrimum me habuit, quod de iſtis tenerae, ac non niſi muſicis ludis, iocisque aſſuetae mentis vomicis interdum in hoc diſceſſu commemorare apud amicos Tuos coactus fuerim; non quod ipſe hac fabula delectarer, ſed quod cogerer cauſam innocentem tueri: qui ſive eodem modo, quo ipſe retuli, ea admiſſuri & interpretaturi ſint,

ſive

ſive ſecius, profecto ſuſque deque feram, tacito meo ſecreto contentus, & ex mordacium ridiculoſarumque ſimiarum vultibus ereptus. Hoc ipſum Tu facias cupio, maloque ut abſque indignatione, & aegritudine audias vel peſſime de me loquentes; quam eorumdem refutatione ingenia otiorum Tuorum corrumpantur, aut in aliquod periculum deſcendas; quod non poteſt non cum meo fato eſſe coniunctum. Sed nimium ingrata, & luctuoſa eſt haec materia, & hinc me ipſe in rem praeſentem ſecure ac magnanime conſules: attamen ſi quae in iſto negotio meas partes eſſe putaveris, ſine ambage ulla mihi impera, parato ad exhauriendum, quicquid mihi impoſueris, etiam ad ipſum Sereniſs & Reverendiſs. Principem Cardinalem ſcribere, & me defendere, aut excuſare debere cenſeas. Interim literae Tuae multum, & certe plurimum, nobis profuere; nam & Bononiae Illuſtriſs. *Zanius* (1) earum commendatione adductis familiariſſimis nobis uſus eſt; ac non modo ſuaviſſimis ſermonibus nos avocavit, inſtruxitque, ſed ipſe etiam per omnia circumducere, ſuaque praeſentis auctoritate quaevis patefacere dignatus eſt; quum *Capponius* ruri ageret; ac Ferrariae ſtatim ad ſalutandam Eminentiſs. Car-

1 *Comitem Valerium Zanium*, & *Ant. Capponium*, quos Bononiae; *Carolum Offredium*, *Octavium Ferrarium*; *Felicem Vialium*; *Sertorium Urſatum*; & *Iacobum Zabarellam*; quos Patavii; *Io: Palatium*, & *F. Iacobum Fiorellium* Ord. S. Aug. quos Venetiis noverat, pro meritis proſequitur.

dinalis purpuram admiſſus fui; Pataviique *Offredius* omnia quae deſiderari poterant, officia praeſtitit; quem ſane tanto libentius vidi, quod in eius aedibus offendi etiamnum morantes illos Germanos, quorum ſubita amicitia delatoribus anſam mei corripiendi dedit, reumque immodeſtiae in ſacris locis fecit, etſi non eram. Itaque obteſtari eundem non deſtiti, ut rem illam omnem, prout acta eſſet; ex illis cognoſceret, diligenterque ad Te perſcriberet, ut ſi non aliis, in quorum animos hae falſiſſimae calumniae altius irrepſere, faltem Tibi, cui ſoli me probatum integre cupio, clara & certa haec meorum criminum pars perveniret. Cum *Ferrario* multa agere, tempus invidit, vix dum enim finita iſta inimica mihi hiſtoria abſtulerunt eum conſanguinei de praediis, ac rebus domeſticis cum eo acturi: interim de Te honorifica verba proferre, Teque Patronum ſuum appellare non omiſit, ſive ex vero animo, ſive mea praeſentia, ac vera Tui praedicatione incitatus. Sic Venetias ſalvus intravi: ubi quam in illa (horreo pene iam ipſum quoque nomen, quum ex uno didiciſſe omnes putem) Auguſtinianorum.... offendi, *Fiorello* ne limen quidem ipſum Cellae ſuae inſiſtere permittente, nedum aliquod ad honorati nominis Tui mentionem, & munuſculi traditionem, humanitatis ſignum exhibente ſuperavit iucunditate ſua, ac ſuavitate non ficta optimus *Palazzius*, apud quem in longam plurimamque de incomparabili Camoena Tua relationem effuſus ſum; quique, tum alia nobis praeſtitit, tum ad audiendam τῆς θείας Helenae vocem, ad experiendam

eius

eius in variarum linguarum uſu peritiam deduxit, & *Aloyſio Gradenico* tradidit, Homini alioquin non nimis facili cuſtodi publicorum Librorum, ut quoad eius in hoc tranſcurſum fieri poterat, *Beſſarionis* Manuſcripta percenſeremus, haud quaquam ſpernenda, & utinam hanc hiemem inter ea deſidere licuiſſet. Acceſſit huius humanitati *Dondolius*, qui ad acceptas literas Tuas mihi occurrere, omniaque tum verbis tum rebus facere, ut oſtenderet peringentis apud ſe momenti Tuam commendationem eſſe, non deſtitit. Sed & praeter omnem expectationem bene mane ad me adhuc dormientem a Patavio *Vialius*. Ibi cum vulpe primum egregie vulpinans, dixi tandem, ſi huc ſciſcitatum ex me iſtam ſcenam veniſſet, ut cum aliquo fortaſſe in ſermonem veniens, mendacia iſta pararet, ac diſceret retundere, velle me ipſi ad omnia reſpondere. Tum ille non cunctatus a capite ad calcem recenſuit, quae ridiculi erga paſſim ſparſa de me fuere, etiam minutiſſima, ac pene eadem, quae in officina *Paſſerini* (1) ipſe audieras; quae adeo ſtolida & ineptiarum plena illi oſtendi, ut mihi affirmaverit ſanctiſſime, ita ſibi ſatisfactum eſſe, ut nullam, & hac occaſionem ſit omiſſurus irridendi, & refutandi, ſi quid de illis ipſo preſente narrabitur. Ea omnia Tu facile cognoſces, & ut ſpero, ad me perſcribes: ſic denique liberatus iſtis tam incommodis tricis, Alpes Tridentinas tranſmiſi, Monacum uſque nul-

1 Bibliopolium *Franc. Paſſerinii* Florentiae, in quo *Magliabechius* aliique Eruditi Florentini tempus terere conſueverant.

nullo niſi pede dextro elapſu carrucae in eam partem, qua ipſe ſedebam, paulum laeſo, & ſi hoc quoque concipiemus. In itinere obvium habui popularem *Alſium* (noſtra lingua, *Van Alphen*) quem, nec non eius fratrem familiariſſimum habui, & pater eius, Aerarii Leidenſis Quaeſtor, non erat alienus ab honorandis ſtudiis paternis: alter vero eiusdem frater iam Senatorem in eadem Vrbe agit. Huic ſubito dixi ad neminem melius, aut ſecurius illum allegari poſſe, niſi ad Tuum humaniſſimum & comiſſimum nomen. Ei, precor, ſi aedes Tuas acceſſerit Palatii Tabulas, aut ſi quod aliud petierit, monſtrare ne graveris; nam ſtudiis eum imbutum non credo. Dein etiam prope Oenipontem occucurrit *Andreas Vander Cam*, Lovanienſis, unus ex illis, quorum ſtudia Sereniſſimus Princeps Piſae ſua liberalitate fovet, quique pene perpetuus auditor meus fuit; cui item dixi, ſi vellet aliquid de iſtis rebus cognoſcere, aut Te adiret, aut Piſas reverſus domum ad me ſcriberet, quae de me dicerentur. Haec ſigillatim, ut nunc eſt, ad Te perſcribere habeo, Auguſtae mandata Tua diligenter exequuturus. Vides autem literas Tuas tardius veniſse, quam ut Patavii *Orſatum*, aut *Zabarellam* Tuo nomine adire poſſem. Si intellexiſſem *Lauredanum* aeſtimaſſe ex aequo amicos paternos, non omiſiſsem illum viſitare; ſed ſufficit pro tempore ipſum ex occurſu vidiſse, monſtrante *Palazzio*. Ego interim ſollicitiſſimus de Te, itineris mei ſpatia peragam, contendens magnopere, uti contingat mihi domum paternam intranti, aliquod de Te ſi non accipere, ſaltem intelli-

ligere; quod quidem facies certe, ſi me vivum eſse volueris. Ego ſtatim non omittam omnia, quae mihi contingent, accurate Tecum communicare. Vale aeternum, Patrone optatiſſime, ac praeſidium firmiſſimum, & Illuſtriſſimos Viros *Farinolam*, *Marucellium*, *Strozzium* (1), alioſque benefactores meos peramanter ſaluta, & ſi mecum de tacita mea fuga quaeruntur, cauſam doce. Monaci ipſis Idibus Octobr.

P. S. Bibliothecam Bavaricam MSS. quae hic Monaci eſt, videre non potui, Doctore *Creitmaro* qui cuſtos eſt, extra Vrbem profecto. Iterum vale, ac vicinae domui plurima fauſta meo nomine nunciare ne omitte.

Rulaeus & gratias Tibi agit maximas, & domum reverſus ipſe ſalutem manu ſua mittet, quod nunc per me ex animo facit. Iterum vero, iterumque petimus ut vitae Tuae curam geras, eamque nobis ſignifices.

EPISTOLA IX.

DAventrienſium Naiadum oſcula complexuſque longo poſt tempore tandem repetiti, ab omni tum rerum mearum, tum amicorum cura, ſic me avocarunt, ut ne Tui quidem interea pene meminerim. Nunc ſatiata illa primorum congreſsuum cupiditate, & ad

1 *Valentinus Farinola* I. C. celebris; *Io: Philippus Marucellius*, & *Carolus Strozza* Patricii Flor. qui a *Gronovii* partibus ſteterant.

& ad regulas meas animo repoſito, timor quidam mihi obrepere incipit, quia poſt diem XIII. Novembr. nihil a Te ſcriptum vidi; ſi forſitan literae meae ad Te recte non pervenerint; in quarum alteras quoniam omnia de Germania tranſitu, in alteras autem de rebus, quas hic offendi, quaſque ſcire Tua intererat diligentem narrationem contuleram, nollem profecto eas perire, nedum ab aliis intercipi. Quare ſi me amore Tuo illo vero, & antiquo amplecti pergis, ſi officia mea Tibi grata poſsunt eſse, hunc ſcrupulum, &, ut ſpero, falſam ſuſpicionem mihi detrahe; & quam vane foedeque ineptiſsimorum quorundam hominum machinamenta conciderint ac rupta ſint, referendo laetitias meas adauge. Hanc hiemem in domo avi materni, octogenarii iam, & ultra me poſiturum confido; praeſertim quia omnibus rebus prolatis, & adventum voluntatemque Gubernatoris, Principis Arauſiaci exſpectantibus, magiſtratibuſque cunctis a Republica remotis, reperi hic contubernalem avunculum meum *Samuelem Tennulium* (quem in *Frontino* verſari quondam *Heinſius* Tibi ſcripſit) cuius Bibliotheca ad non perdendas quasdam horulas uti licebit. Si ſub manum a Te aliquid mihi annunciari poſset, implorarem conſilium Tuum. Sed quoniam id longum eſt, recte facturum me conſtitui, ſi ex collationum mearum farragine excerperem nonnulla auctorum loca; non ut ad literam unam alteramve mutandam multa verba caederem, ſed quae integris periodis ex MSS. immittendis adiuvarem, hoc eſt nonniſi lacunas ſupplerem. Nemo

mo unus ex omnibus qui peregrinati fuerunt, tale quid unquam praeſtitit, & noſti, quantis aſteriſcis lacerati circumferantur auctores veteres. Eo illuſtriorem gratiam initum iri a me conſidero, quo inuſitatiore modo ſtudiis prodeſse inciperem. Inde mihi dabitur quoque oportunitas aliquid dicendi. Interim quid Tu potiſsimum cenſeas, ingenti expectatione opperiar; medium tempus, quod erit hibernum, inſtar Romani ruſtici poſt coactum autumnum genio indulgentis, hilaritati ſine fuco donaturus, ut tanto acrius poſtea, quod cenſueris, aggrediar. Eſt hic *Gisbertus Cuperus*, qui in Imagunculam, ut ipſe ſuſpicatur *ſolis* prope Neomagum effoſsam Commentarium molitur. Quicquid reliquum ingeniorum in his terris vivit, acclamationibus & honori liberatae patriae impendi video. Hinc nihil in literis noſtris praeterea habeo, quod Tibi ſcribam, ut nec in aliis rebus. Vale igitur, meum decus, meque ac Fratrem meum, qui nihil niſi pacem anhelat ad tutius commodiuſque excurrendum, commendatos habe. Daventriae ipſis Calendis Ianuarii 1675. quem Tibi, & communibus amicis noſtris auſpicatiſſimum precor.

EPI-

EPISTOLA X.

HAec in media migrationis turba Tibi ſcribo, non quo adeo neceſsaria ſint, ut cognoſcas, ſed ut has paginas primus videas (1) & examines, ante quam in aliorum manus perveniant. Mitto enim rurſus alia folia, quae hac hebdomade finita ſunt, iudicii Tui aciem non ſine ferulae metu exſpectaturus. Ante biduum accepi literas Tuas die 9. Aprilis datas, in quibus ſignificas eodem item die alteras Te dimiſiſse cum exemplo dedicationis, eaſque *Fontano* commendaſse. Plurimum doleo & aegerrime fero illas necdum mihi traditas eſse; ut ex eis in tempore addidiciſsem, ſi quid in ea mutandum vel eradendum eſset, *Fontanoque* ſane convitium non mediocre impingo ob iſtam tarditatem. Ego rurſus a Te contendo quoniam Publicus Curſus iam ſecuriſſimus eſt, & *Gaasbequius* diligenter ad me omnia curat, ne quid poſthac mercatoribus illis utare, praeſertim in literis, & talibus quarum pene omnis gratia in faeſtinatione eſt.

Neſcio interim, qui ſint popularium meorum affectus. Iam ſatis clare accepiſti, quid ſen-

1 *Iacobi I. F. F. Gronovii ſupplementa Lacunarum in Aenea Tactico, Dione Caſſio, & Aviano de Expeditione Alexandri. Lugd. Bat. apud Danielem a Gaesbeck* 1675. in 12. Epiſtola Nuncupatoria ad *Magliabechium* data eſt: *Lugduni in Batavis die ducenteſimo tertio & triceſimo quam a te diſceſſi.*

ſentiam de (1) *Coſſonio*, quid item de *Berkelio*, de quorum priore nihil ſcio niſi bene loqui. Attamen & is quoque a me calumniando non poteſt ulterius contineri; Vidi enim ante tres dies apud *Berkelium* eius epiſtolam, in qua diſerte iactat, & *Berkelio* imputat ſe primum eſse, qui famam eius de editione *Stephani* in Italiam intulerit, *Gronovium* malevole de eo tacuiſse, mirifica quadam gratia a Sereniſs. Principe Cardinale eam exceptam eſse, idque quaquaverſum cum ſumma *Berkelii* laude ſcripſiſse. Deinde ſcire ſe, *Gronovium* ipſi non daturum collationem Codicis Peruſini, quia apud Vos iactaverim, me ipſum in edendo *Stephano* laborare velle. Te autem ſaepius ipſi exemplar *Stephani* Tui obtuliſse, ſi velit Peruſiam ad eum conferendum excurrere. Ego ſane ut nunquam haec in animo habui, ita non poſsum meminiſse, me unquam tale quid mei in *Stephano* propoſiti Tecum, aut cum alio communicaviſse; ſed quod collationem meam ipſi non ſim daturus, verum eſt; & cauſas habeo ſatis graves, partim illas, quas iam ante Tibi ſcripſi, partim quod peſſime (ſalvus maneat honor iudicii veſtrorum) eum auctorem tractat. Vt enim ex animo Tecum agam, nihil vel in *Antonino Liberali*, vel in *Stephano* boni eſt praeter chartam ac typos. Itaque quoniam adeo temere & inconſulte in editiones hic homo invadere incepit, caſtigabitur propediem eius ſtupor, & *Antoninus Liberalis* iam ab alio (*Thoma Munckero* Rectore Scho-

1 *Daniel Coſſon* cuius Epiſtolas edemus Smyrna ſcriptas, & plures Aſiae antiquitates complexas.

Scholae Delphenſis) ad illuſtrandum aſsumptus eſt, & iam imprimitur Amſtelodami, a quo *Berkelius* egregie depexetur, idque ſummo, quantum videre queo, iure. Tum *Stephani Fragmentum* illud ipſe exornatum in lucem dabo, & oſtendam a *Berkelio Stephanum* non ornari notis ſed onerari & fatigari; Itaque Tibi in aurem dico, vide ut modereris Reverendiſs. Principis animum, paulo plus iuſto omnibus literariis conatibus faventem, urbiſque veſtrae gloriae conſulas. Si enim laudes illae ac praeconia Florentina percrebeſcant, quid futurum eſt aliud, niſi quod in *Polybio Nicolai Perotti* evenit, quod ſcis ex praefatione *Caſauboni?* Omnia autem illa, quae vidiſti, ſcripſit ut dedicatione, & laudum congeſtu conciliaret Conſulis primi gratiam ad extrahendos aliquot nummos, ne eſuriret. Et quid ego in illum boni ultra conferrem, qui falſum teſtimonium contra nos, tanquam ſuppreſsores librorum Bibliothecae Publicae dicere auſus eſt, etſi vehementer de hac re cum ipſo expoſtulaverim, ut ſatisfaceret. Hinc eſt quod etiam recte me facturum putarim, ſi literas Tuas ei non traderem, quod etiam ante ſcripſi, praeſertim quum eas meae poteſtatis feceris. Quod quidem neſcio, mi *Magliabequi*, quomodo ſcribere potueris. Vtique enim eodem momento, quo ſcripſiſti, *Coſſonio* indicaviſti Te *Berkelio* gratias egiſse, idque literis meis incluſiſse. Scribebat enim id quoque *Coſſonius*, ſe non dubitare, quin iam eas a me accepiſset *Berkelius*. Itaque ut eſt hic homo maligniſsimae ſuſpicionis, iam apud alios audivi eum queſtum eſse ſup-

ſupprimi a me, ac corripi Tuas ad ipſum literas. Quid ego faciam, *Antoni*? Si enim illi dedero, omnibus omnino oſtendet, et quibuſcumque oſtenſurus eſt, apud eos nominis Tui honor & affirmationis meae fides veritasque in diſcrimen veniet, quum omnes ſciant quam ſit in humanioribus ὀψιμαθὴς. Mi *Antoni*, cur quae inter nos agimus, & ſileri oportet, publicaviſti? Omnino vel oportuit non fuiſse illa *Coſſonio* ſignificata, vel traditio earum non debuit in arbitrio meo poni. Quid igitur faciam! Tradam utique, quia cogor, etſi exſpectarem libenter etiam conſilium Tuum, & honoris Tui cauſa imperabo mihi, ut haec quoque hominis huius maledicta contemnam: dicam enim *Berkelio*, *Coſſonium* male Te intellexiſse, & Te illi per me gratias agere. Quod ſi *Coſſonius* etiamnum Florentiae eſt, poteris illi quoque dicere ſimilia, me Tuo nomine iam *Berkelio* gratias egiſse.

Expecto quid ſit de epiſtola *Heinſiana*. Popularis meus omnino temere & inconſulte Florentiam Vienna mutavit. Iaciebat iam olim ſimilia apud me, ſed ſemper auctor fui, ut ſi diſcedere cogitaret, huc rediret, ubi militari laudi locus patet. Sed fruatur incepto ſuo, quod ad me non pertinet. Cum *Adriano* (1) prorſus nihil negotii mihi eſt, nec eſſe velim. Epiſtola, quam illi a ſorore miſi, quid continuerit, nihil ſcio: hoc tantum novi, eius ſororem ad me ſciſcitatum veniſse, meque vitam & omnia eius reliqua narraviſse

1 *Petrus Adrianus Vanden Broek* Belga, in Piſano Lyceo Poetices Prof. P.

prout ſunt: tum illam obſecraſse, ut aliquid ab ipſa vellem ad fratrem curare. Nihil aliud prorſus; Et valeat ille. Lepidum eſt, quod narras de negotio Piſano: ſed ſcribant licet illi abſentem, quem nunquam eo ſtatu praeſentem videbunt, quali fuit. De grandi epiſtola, quod ſcribis ex his locis miſsa, avidiſſime ſitio cognoſcere, & quaeſo fac quamprimum aliquid intelligam. Ex quatuor quos nominas, malui alterum omittere, quam ad apertas iras evocare. Sed iam vale. Avocor enim.

Leidae die 3. Maii.

Si omnino vis ipſe *Berkelio* gratias dicere, ſcribe alteras, prout placuerit; Nam nunc cum melius noſti.

EPISTOLA XI.

Accipe igitur eadem vice & alteras; nam quum priores ita, ut vides, obſignaſſem, curatae ſunt ad me Tuae, quas 13 Novembris die dediſse Te ſcribis. Ego ſane doleo ex mea intermiſſione ullum Tibi moeroris ſenſum obveniſse; etſi eum non mihi, ſed Tuo potius nimio erga me amori imputandum ſit, qui a me exigit verba rerum vacua; quod ſane mihi difficillimum eſt, ita tamen, ut eo in negotio facile Tibi ſuccurrere poſthac poſſim, ſcribendo, quicquid in buccam venerit. Quas ad me ſecuriſſime cogitas mittere, non potes meliorem viam tenere, quam ſi eas *Fontano* noſtro Livornum commendes; id quod ego

ego re ipſa iam toties expertus ſum, & nunc ei ſcribam, ut quicquid a Te ad me acceperit, quam optima fide, curaque commiſsum habeat; id quod eum certe facturum, tanto firmius mihi imaginor, quod magis veritatem a nobis ſtantem, quam fallacias inimicorum fraudeſque, ut Tu ipſe mihi ſignificas, admittat, quod ſemper de ipſius indole mihi perſuaſi.

Statim etiam poſt acceptas Tuas inviſentem me *Heinſium* rogavi, quis ille Iuvenis eſſet, cui literas ad duos illos ſimios dediſset, & quum dixiſset *Ruyſſium* eſse; dixi a *Vittio* illum ad Te deductum eſse; neſciens an animadverterit tranſverſum meum de illis commendaticiis irriſum. Sed talis eſt, & plura invenies in altera epiſtola. Interim & ipſe ſimulandi artem ſtrenue imbibo, & cum illo exerceo. Quicquid huc de me ſcribant viles illi ſcurrae, ſemiſsis non facio, qui ſine cuiuſquam invidia & interpellatione vacare hic loci mihi, & Bibliothecae meae poſsum. Interim incredibili teneor deſiderio ex Te audiendi, quicquid illic & rei geratur, & ſermonum publicetur: quod Te proxime facturum ſpero.

De *Vialio* nec lateor nec moereo; quanquam ſcire cupiam, an a diſceſsu meo ad vos reverſus, ac viſus fuerit; & quo vultu hunc caſum ferat. Incrementa redituum libenter ieiunis illis animis indulgeo, & ſi ſcivifsem me huic fortunae ipſorum obſtitiſse, ne plenam quidem penſionem annuam admiſiſsem, ut hac tanquam offa famem illorum ſedaviſsem, qui ita animatus ſum, ut propter

C 2 haec

haec fugacia nullum prorſus hominem irritare in me, velim. Ego cum tempus videro natum, non deſinam ſenſus meos palam facere κατ' ἀξίαν, & quod iuſtitia poſtulat, unicuique dabo. Illi qui gloriantur me ad exequendum, quod cogitabam, compuliſse, ne noſcuntur quidem a me; multo minus ut propter eos abierim, adeo ut per me omnes illi pedibus trahantur, id quod praeſens ſcelerato illi Monacho iniunxi illi impotenti Seiano perferendum.

Si occaſio daret, indicare deberes Sereniſsimo Domino, ut *Viviano* duo vel tria antiqua Mathematicorum Graecorum exemplaria deſcribenda mandaret; ut ita haberet facultatem oſtendendi neceſse non eſse, ut Ser. D. hanc indulgentiam peregrinis concederet. Frater meus (1) gratiſsime honorem quem illi facis, accepit; & quamvis eadem vota Tibi impertit, mallet tamen rebus oſtendere quantam nomini Tuo gerat reverentiam. *Heinſius* etiam cum diſcederet, obiter ut ſui apud Te meminiſsem, voluit. Nunc ad exultandum inter maternos cognatos Daventriam propero, forte omnem hiemem illic acturus, ſed non ſine Tui recordatione; id ſingularum hebdomadum literis oſtendam, ne quidquam poſthac de me queraris. Fortaſse inde ad vicinum Principem *Furſtenbergium* quoque excurram.

Quaenam ſint illa, quae ex Farneſiano marmore imprimi Romae rumor hic eſt, ſcire aveo.

Com-

1 *Laur. Theod. Gronovius Io. Frid. Fil.* qui tum Florentiae morabatur.

Commodum huc Haarlemo advenit *Rulaeus* noſter, qui Te ſoſpitem nec ſui immemorem vivere, multum gaudet, Tibique ſimulac Roterodamo redierit domum, ſcribet diligenter; nunc omnia fauſta precans.

EPISTOLA XII.

Felicem, immo vero ter feliciſsimum mihi heſternum diem, qui & quietem primo a moleſta migratione attulit, & ſuſpenſiſsimae mentis meae aeſtum ſedavit apportatis duabus ſimul epiſtolis Tuis; quarum altera IX. Aprilis data tabulas clientelam ſimul meam, & Tuam; qua erga me uſus es, comitatem publicaturas habebat incluſas, altera XXX. eiusdem menſis triptycha, & tanto ſolennioribus a me oſculis ſalutata. Vnde primum agnoſce veritatem eius, quod iam antea Tibi ſcripſi de tarditate lucronum iſtorum in rebus alienis, & poſthac certo conſtitue nihil quidquam Liburnenſibus committere, quod parvis aut nullis ſumptibus recta commeare poteſt. Quibus autem verbis lenitati Tuae, quam tanto rurſus experimento deprehendo, ſatisfacturum me ſperabo, Patrone σεβασμιώτατε? Nam quum unus intime ſciam, & cognitas habeam, quae undique & ab omnibus quotidie ſed merito, ſed digne acclamationes coniiciantur ad immenſam illam, quam Tibi comparaſti, eruditionis rem; quum praeter alios animadverterim, quanto omnium, ſed meliorum elegantiorumque hominum certami-

ne plauſus Tibi paſſim excitentur ; profecto quicquid feci ; aut facere conatus ſum, id non Tibi , ſed mihi dediſse potius videor ; qui non modo honorem meum, quem ex familiaritate Tua, & percipio, & duco maximum, praeſidio huius libelli in altiſsimam abituram memoriam confido. ſed etiam hoc pacto (qui ſane fuit interior mihi ſcopus) publicato omni familiaritatis noſtrae uſu, ac ſimplicitate effecturum me putari, ut liberarer ab illa calumniarum atrocitate; tum ut qua una poſſem ratione ex his longinquis locis, etſi non pro debita menſura gratias, at certe agnoſcentis, ac colentis animi indicia mitterem. Quae quod aſpernatus non ſis nec prorſum reieceris, ſcias oportet maximam eius benevolentiae apud me futuram eſse aeſtimationem, nec minus accepto beneficio nunc rurſus Tibi me devinctum vivere, quam quum primum admiſsus ſum. In qua tamen exultatione hic dolor ad me pertinet, quod eam totam ad voluntatem arbitriumque tuum formare impediat odioſa illa ac deteſtanda mercatoris lentitudine. Nam & illa, quae annotas, ſine dubitatione expunxiſſem, & Ill. *Patinolam* libentiſſime intexuiſsem. Quanquam quod ad priora attinet, non poſsunt ea ſic exponi, etiamſi quis malignior vellet, tanquam hic in nulla eſses fama. Aliud enim oſtendit *Petronius Blancanus*, aliud oſtendet *Graevius*, ſimul exitura erit aliqua *Ciceronis* pars. Sed hoc ſolum & ipſe reſpexi, & alii omnes colligere poterunt, lividum illum *Carolum*, aut avare & parce de Te ad *Nicolaum* retuliſse, aut prorſus celatum cupiviſse, adeo

ut

ut quidquid tandem ſit iſtud; non aegerrime poſſimus ferre id etiam publicari. De Ill. Auditore ſaepe ipſe mecum dubitavi; ſed quum ignorarem, quo is ordine collocandus eſſet; & in prioribus Tu modo quatuor numerares, ex quibus etiam ipſis unus omittendus fuit, putavi nihil tentandum. *Coſtonium* non minus quam *Berkelium* longa conſuetudine cognitiſſimos habeo, & ſatis Tibi depinxi. Non poſſum igitur non gaudere omnia a Te amoris ſigna *Coſtonio* praeſtita eſſe; ſed cum tam prave perverſeque de me voluerit ſcribere, non capio. Perditae audaciae ac frontis alter eſt; itaque licet ſciam quantum odii ex detentione Tuae Epiſtolae ſubeam: tamen ne nunc quidem dabo. Si enim hoc fecero, non modo per omnem Hollandiam vagabitur eius exemplum ad commendationem iſtarum ineptiarum, ſed inprimis eam *Heinſio* occentabit. cuius favorem omni modo ambit, ſic ut alicubi eum Incomparabilem vocet: cuius tamen tituli rationem multis audientibus nuper ab eo popoſci, rogans qua in ſtudiorum parte talis *Heinſius* eſſet, nec niſi rubore inſigni reſpondit. *Heinſius* vero, quum improbet hanc *Stephani* editionem propter *Ryckium*, quem *Berkelius* hoc in negotio praevenit, vehementer Tua verba accipiet, *Non ſolo ho io lette le ſue erudite, e giudizzioſe note, ed emendazioni ad Antonino Liberale, e a' que due fogli del compendiatore di Stefano*. Has voces ſcriptas doleo; antequam recte eum cognoſſe incepiſſes. Itaque ſi odium, quod ille mihi inuret, lenire vis, ſcribe quaeſo alteras, officioſas tantum; quod illi ſatis ſuperque erit; & tarditati fa-

cile aliquid pretexam. Verba illa quae miſit inſpicienda, probe coniicio quae ſint. Nam quum & hoc in bibliopolae officina illi obiicerem multis peſſimis notis ab eo fatigari *Stephanum* abſque delectu, & parva fruge, & poſcenti certiorem eius affirmationem, ſingularia quaedam monſtrarem, ad quae nil niſi ſiculas gerras vaniſſimas allevit, his remedium a Peruſia expectat. Neque ego ſane deprecor, quo minus eum iuves. Sed ipſe illi adeſse nolo, & maximopere cuperem iſtis Voluſianis commentariis nomen meum inditum non eſſe. Quum enim iam impreſſum eſſet primum folium, & in voce ΑΒΑΝΤΙΣ ita legatur Ἠετίδος ἐν ἀγυικλευτέρῳ ipſe illic approbaverat coniecturam *Danielis Heinſii*, *ἀγυίδι* cui etiam acquieſcit *Graevius* in nupera *Heiſiodi* editione; at ego tum ſperans ſcilicet aliquid boni ab eo praeſtitum iri, monui falſa eſſe, quae illic ſcripta erant ac reponendum *Αἰγιμίῳ* (quod poema *Heiſiodo* alii, alii *Cercopi* cuidam tribuunt, & MSS. habent Αἰγιμὶ, quomodo & Peruſinus.] ipſe integrum folium de novo imprimi fecit, ut hoc insereretur, quod iam multum conqueror. Quin etiam ſi examinata illa folia a me prius fuiſſent, nunquam auctor *Berkelio* fuiſſem, ut Tibi tradi curaret. Quod ſi *Berkelius* honeſte *Coſſonio* ſcripſit, id fecit ſpe obtinendi Codicis Peruſini, & ſane ubi audita fuerit promptitudo Tua in ſuccurrendo *Graevio*, ſine dubio mox advolabunt eodem modo plurimi. Et perge Tu quidem omnibus beneficam indolem Tuam exhibere: unum tamen oro, ne quid de quodam horum hominum iudices, antequam recte cogno-

gno-

gnoveris. Ego ſicuti nunc me in hanc quietem abdidi, ita ſine odio aut amore prout res eſt, de ſingulis, qui Te adituri ſunt, certiorem faciam. Quanto plura illic latiture ad guſtus meos ſpectantia intelligo (ſicuti nunc Venetiis *Stephani* MStum) tanto plus contriſtor me hic velut in carcere deſidere, nec poſse per omnia liberum ex animi mei voto vagari. Ita quidem res eſt, ut dum vitam propagavit avus, omnino hinc diſcedendi poteſtas mihi non ſit futura. Nihilominus tam providens, quam omnia apud vos ſint futura abdita & occluſa, quam nihil quicquam reſeratum; ubi Tua interceſsione uti non continget convitium mihi dico, quod ſic deſideam & non potius advolem, praeſertim quum unus optime ſciam, quae illic lateant. Sed ferendum eſt pauliſper, nec temere ac praefeſtinato illuc redeundum eſt, unde non ſine ſumma, optimaque ratione exceſſi, quamvis praeter illa, quae iam dixi, vehementer me pungant, excitentque Sereniſsimi Domini noſtri pretioſiſsimae voces. Interim cur Tu quidquam huius propoſiti mei aperias, cauſa non eſt.

Haec quum expectarent abitum curſoris (qui ex hoc oppido non ſolet eſse tam frequens, ſicuti Leida) ſupervenerunt etiam alterae Tuae, pleniſsimae illae, & tam mirabiliter gratae, ut toto hoc poſt meridiano tempore a continua earum lectione repetenda avocari non potuerim. Gratias diligentiae, quod tantum Operae mihi impendere volueris; gratias ſanctitati Tuae, quod tam pie de me cogitaveris, ut illas rabioſulas, &

quod

quod merito ſcribis, ſat fatuus humunculi primo decepti, nunc furentis, quia nimis ſtolide irrideri ſe videt, literas iudicantas cenſueris. Certe ego ſim indigniſsimus poſt hac vel minimo amoris Tui guſtu; immo omnium hominum ſceleratiſsimus, ſi non-quam poſtulas integram, inviolatamque fidem vicifsim Tibi, & promittam, & praeſtem; ut niſi Tu veniam dederis, nihil horum unquam ex ore meo. Gaudendum mihi in primis eſt, quod quam prae furore hic miſellus adeo ſe tranſverſum ferri rapique ſiverit, ad Te potiſsimum, adeo firmum ad meam tutelam ſcopulum, alliſus ſit, eique ſententiam ſuam ita nude explicuerit. Omnium ſane illorum auctor, & incentor eſt *Carolus* veſter: ſed quibus nemo Te melius reſpondere poteſt, nemo apertius intelligere. Hoc unum ſtomachor, & indignor vehementer, meum popularem ad mendacia iam confugere; quippe quum ipſe prorſus et nemo alius mihi ore ſuo dixerim *Datium* eſſe & illum ſolum, qui de me ſecus ei ſcripſerat. Sed adverſus omnia illa tectum latus gero, quamdiu Te in Italia habuero, ac licet ille neſcio quos angulos his locis non irrepat tripes, aſtu quanto poteſt per imos ubique ſermunculos ferens, tamen quos dignos iudico, iis facile ſatisfacio enarrandis notitiae noſtrae initiis, & proceſsu ſine ullis commentis, nec ea quiſquam non obſtupeſcens audit. Te interim pro ſapientia Tua in reſpondendo prudenter conſulturum ſpero, & utrumcunque optimum arbitratus fueris, optatiſsime, & intelligam, & approbabo.

Ro-

Rotundi iſtius ; & ſaginati epulonis delicias atque illud diffluens lepore contubernium turbari pauliſper, non moleſte fero: ſane nunquam eum illo pingui & lauto otio dignum iudicavi, quod utilibus meditationibus ac pietati ſacrum fecit civium tuorum Religio; res duas, quas pariter ventri ſuo ſemper ille poſtpoſuit. Vbi exitum eius rei percepero, ne *Rulaeum* quidem noſtrum huius hiſtoriae riſu fraudabo.

Quiſquis iſte fuit, qui pretium citati Patris nominis a me expectat conciliationem. & renovandam cum impuro capite illo conſuetudinem, grave prorſus ac decorum a Te reſponſum tulit, ſic ut nihil convenientius a me excogitari poſſet. Itaque Te pro eo laudo plurimum, & ſi uſus dabit, faciam ut maculoſus ille intelligat ex meo ſenſu & ore id pronuntiatum eſſe.

De commoratione *VVittii* (1) etiam lubens ſane audivi. Dictum mihi eſt comitem eius *Vander Duſſen* Conſtantinopolim proceſsiſſe. *Graevio*, & priores Tuas miſi, & eorum quae nunc mandas, recte conſcium faciam.

De Epiſtolae meae laeto, & ultra ſpem felice eventu, quae in principio narras, plenior eſt animus meus & exundantior, quam ut eum proferre poſsim. Itaque de eo vice ſequenti, quando etiam alia Tecum forſan fabulabor. Vale, Domine, & rudem hanc manum feſtinatamque patienter vide.

Haarlemum tranſiens non neglexi *Rulaeo* demonſtrare, quam amanter eius in cunctis Tuis

Tuis

1 *Io: de VVitte*, & *Bruno Vander Duſſen* quorum Epiſt. edemus.

Tuis epiſtolis meminiſses; eoque ille magnopere delectatus eſt, cum praeſentis Tui iucundiſsima recordatione, calidiſsime Te obteſtans, ut quae ab amico ullo exſpectare potes, ab ipſo exigere velles. Iterum vale.

Daventriae a. d. VI. Cal. Iunias 1675.

Libellum iam abſolutum credo, ſed folia nondum mihi miſſa ſunt. Igitur ſequenti occaſione, ſimul ac venerint.

EPISTOLA XIII.

LEida diſcedens ita rem cum typographo compoſueram, ut, quia expectare editionis finem mihi tempora non permitterent, frater mei abſentis locum in corrigendis typorum lapſibus ſuppleret; quod ſimul atque factum eſset, exemplarium certum numerum ad me mitteret. Hinc indies ea ventura ſperans, diſtuli curam ſcribendi quum inanitati mearum literarum hoc ſaltem adiumento ſuccurrere cuperem. Sed quoniam ne nunc quidem ad me quidquam eorum pervenit, cogor non ultra ad agnoſcendum Tuae in me comitatis cumulum hanc vicem praetermittere. Primo igitur maiorem in modum a Te contendo, ne, ſi quid unquam literarum non publica via ad me dediſti, quibus nihil reſponſum a me eſt, ne, inquam, id aegre feras, aut de me quid ſerius cogites: Accidit enim, ut iam extremo menſe Maio demum mihi redditae ſint illae; quas ſecundo Februarii die ſcripſiſti & per *Friſii* fratrem curare voluiſti. Nullam in-

prio-

prioribus Tuis mentionem earum poſueras, unde praeter omnem expectationem eas vidi; quas etſi libenter vidi; tamen ſi tempore ſuo accepiſsem; nae ipſe etiam cum *Rulaeo* tum viciniore effeciſsem, ut noſtri ad pocula clamores, & omnia pro *Maglrabequio* & *Palazzio* ad aures uſque veſtras perſonuiſſent. Quod tamen ne tum quidem omiſimus, quum Haarlemum nuper tranſirem, & ipſe me uſque ad vicum Sparendamum proſequeretur, plurimuſque eſſet inter nos de rebus Florentinis ſermo: ſed ſane maiori ſolemnitate, & ioco id factum fuiſſet, ſi Tua ſeſta tunc cognita habuiſsem. Heri quoque veſperi quum poſtremas Tuas accepiſsem, idem in coena cum avunculo meo Samuele *Tennulio* apud avum feci, & iterabimus poſthac. *Rulaeus* non deſinit totus Tuus eſſe, & in primis gratulabundus excipiebat affectum Tuum, honoremque, quem ei in ſingulis epiſtolis a Te fieri demonſtrabam. Itaque ſcias, quodcunque Te ab eo exigere & certe impetrare poſſe. Niſi hae quoque regiones perverſis hominibus abundarent, iam honeſtus publicandae ipſius facundiae, doctrinaeque locus ei adſignatus eſſet, quod propediem futurum nunc ſpero. *Palazzio* autem non ſcribo, quia *Haekii* noſtri non libros, ſed pecuniam amant, praeſertim hoc tempore; nec permutatione, ſed venditione res ſuas expedire volunt. Itaque ſi rebus potius quam verbis aliquid exequi in ipſius gratiam poſſem, ſane oſtenderem in perpetua apud me recordatione manere excellentem ipſius amoenitatem, qua moram meam in Venetiis oblectavit. Idem Illuſtriſs.

Za-

Zanio noſtro, idem *Aproſio*, *Macedoni*, aliiſque Reverendis Viris, & communibus amicis nunciatum volo; quorum meritis ſi ullam gratiam referre poſſum, fac ut per Te ſciant, ipſos nunquam ulla in re obſequium meum ac promptitudinem deſideraturos, & quotidie illos ſalutare.

Si ex meo arbitrio pendere mihi licuiſſet ſane non prorſus tacita tuliſſet facinora, quae iſtud medici ſcelus, in me patravit; nam ne quid ignores, intenta habui dedicationi haec verba. *Scis quanti ego ſemper fecerim illos inaniſsimae iactantiae medicos, qui in templis non Deum animumque ſuum vident, ſed tanquam ad nundinas ridicularia ſpectatum veniunt; multo minus, quid iſti pantomimi de me deferrent. Scis quo in numero illud podagrici cerebri caput & illa ſolivaga fera cum reliquo iſto coaxantium ranarum grege apud me fuerint, atque etiamnum ſint:* ſed *Graevio* intercedente omiſi. Venient tamen aliae horae.

Patinus nihil etiamnum, quod ſciam, ad me dedit. Quum Florentiae eſſet, oſtendebat ſe *Spanhemio* alieniorem neſcio ob quae. Itaque credo illi ingratum non fore, ſi Patri meo honorem reſtitutum, & iniuriam in epigrammate illo admiſſam vindicatamque ſignificaveris. Quod ſi aliud inſigne in illis Diſſertationibus erratum poſtulas ecce pag. 246. inſcriptionem Nummi penes Chriſtinam. Vbi poſt repletam integram paginam indoctiſſima tandem ſuppletione defungitur, ut ex ΙΠΠΟΝΒΡΟΤΟΛΟΔΑΝΙΚ faciat ΙΠΠΟΝΒΡΟΤΟΛΟΙΓΟΝΔΑΙΜΟΝΑ ΝΙΚ ſed quam explicare ipſe neſcit: at ſimpliciſſime illic corrigen-

gendus erat unius literulae error, ut eſſet ΒΡΩΤΟΠΟΔΑ hoc eſt, *Equum humanipedem*, id quod clare patet ex nummi ipſius typo. Quis ha c videns poterit tam inſignia errata ſilentio concoquere? Credo *Patino* id alibi publicatum iri; nam tum temporis etiam de hoc appellativo cum ipſo egi. Et reſtant egregia alia.

Simulatque exemplaria *Supplementorum* meorum recepero, videbo, ut & Tu aliqua habeas, quae communibus amicis noſtris dones: quamvis difficilior aut ſaltem tardior haec res erit.

Progredior ad diem XVI. Maii. Certo ſcias, Tibique perſuadeas, nullo modo unquam fore, ut affluat, quod meae fidei commendaveris, mihique ſoli intellectum volueris. Satis manifeſte aſpicio eorum aſtutias; & quamvis nunquam pene videar meus eſse, niſi quando Tuas lego, tamen totum me tremor percipit, quum video *Herodem* & *Pilatum* reconciliatos eſſe, non alium in finem, niſi ut Hieroſolymis expellatur, & Cruci affigatur Innocens. Mi *Antoni* conſule Tibi, conſule mihi. Noli ſerram iſtam nimis arcte ſtricteque reciprocare. Impera Tibi, ut concedas. & patiaris aliquid. Incipe etiam de me male loqui, ut iſtis depravatis os oblinas, & locum Tuum glorioſe teneas. Mea facilis iactura eſt. Liceat Tibi inter Vulpes induere vulpem; ita tempora poſtulant. Quod ad me attinet, ut nunc ſe omnia his locis habent, in mentem revocans illius anni noſtri iucunditatem omnibus votis Te alloqui & videre vehementiſſime optem; ſed non poſſe me

a re-

a rebus meis abſentem eſse ſatis declaravi, neque id in animo habui; ut vero omnem Te ſimul ac Laurentiana gaza poſt hac fruendi ſpem prorſus deponam, qui id ſine ſummo dolore & extrema tabe potero? O ſi illa felicitas mihi aliquando referatur, quam diligenter a me exigam ſingularum horarum penſa? quod ne cogitare quidem audebo, Te non florente.

Cum *Graevio*, quod ſciam, omnia mihi ſunt integra, & ut ſpero, erunt; ſed a longo tempore iam nihil ab illo habui, quamvis & ſecundam Tuam epiſtolam ei miſerim, & hodie tertiam.

Iacobum Sponium nullus novi nec quod genus? unde domo? Gaudeo tamen & gratulor, quae de eo belliſſima mihi nuncias.

Non eſt quod miſeris Pariſinam iactantiam. Mihi etiam illuc primum praeficiſcenti maximum catalogum *Ryquius* dederat; ſed quum ipſe eos probare inciperem, expertus ſum pleroſque ita curioſos eſse, ut plus docere vellent, quam ſcirent; quam lepidiſſimam eorum deſcriptionem & veriſsimam mihi ſufficit *Petronius Tragurianus*. Itaque a nullo niſi ſolo *Henrico Valeſio* aliquem illic fructum tuli.

Iterum vero repeto, mendaciſsime Tecum egiſse *Heinſium*. Ipſe enim ore ſuo indicavit mihi, neminem alium praeter *Carolum* ipſi de nobis ac noſtra coniunctione ſcripſiſſe, unde tanta flagrarem invidia &c. quod ſemper liquide teſtari poſſum; & ſi ei reſponſurus es, exprobes licet illi, quod aliter Tibi ſcribet, ac mihi narraverit: quod ſi conce-

cedis mihi, quum tempus dederit, aliquando ipſi cum eo agam.

Heri veſperi, ſicut dictum, alteras Tuas accepi, quas die 21. Maii dediſti, mira coeli induſtria, ut poſt finitam publicorum ſacrorum operam, privatis quoque noſtris ſacris partem diei iſtius darem. Adeo enim placidus, adeo compoſitus, adeo omnium qui mihi ſuperveniunt caſuum ſecurus ſum quum illas lego, ut in ipſius negotii parte eas merito cenſeam; nec ulla res ab eis me ante finitam accurate lectionem retrahere poteſt. Quid igitur futurum promittis, *Che ſtarò molto tempo ſenza incomodarla con mie lettere?* Ego ne hoc a Te petii, ut id mihi promitteres? Quin ſi nihil impedit, contraria mea vota rata habeantur, & cordi Tibi ſint, quae toties ſcis a me renovata, ut ſi fieri poteſt, ſingulis hebdomadibus, ſin, binis utique de Tua ſalute ac vita fiam certus. Et quoniam ab hac tela exordiris, rurſum confirmo, quicquid de illo, ut perpulcre eum vocas, *Arciſamſano* ad Te ſcripſi, dictata ſunt *Nicolai*, & quidquid garriant, nunquam hoc eripient mihi. Et tum ubique id confitebor, tum mihi ab iſtis omnibus cavebo, atque eo ſincerius gaudeo mutatam mentem Tuam in vocibus illis, quas omitti primo iuſſeras. De vicino Tuo non poſſum non omnia meliora in ſpe habere: ſaepe tamen optavi videre, ut ei certam conſtantemque vitae cauſſam procurares. Sane ſic eum totum Tuum redderes, & alios occupares, manuſque nefarias ab eo removeres. Sed & de hoc, & de reſponſionis

honore quod memoras intelligam plura, opinor, poſthac.

Quae a *Coſſonio* noviſsime ſcripta narravi, ſunt veris veriora, quae & oculis his vidi, & his auribus audivi, recitante ipſo *Berkelio*. Non tamen odio mei id ab illo factum credo, aut ſingulari in *Berkelium* ſtudio: nam cum hoc demum amicitiam contraxit, poſtquam me ab eo non alienum vidit, & editionem *Stephani* a me multum foveri. Quod ſi cum *Coſſonio* praeſente nugacisſima illa commenta examinare mihi liceret, non dubito, quin eum ipſum derideret. Omnino apud vos aliquis ita perperam de me coram illo locutus eſt, quanquam nec iſta, nec totus *Berkelius* apud me aliquid ſint. Tantum exopto intelligere, quid ad Te *Coſſonius* de epiſtola non tradita retulerit. Nam quum inter me & *Berkelium*, ac *Gaaſbequium Stephani* typographum de toto hoc negotio verba inciderent, palam dixi & *Berkelio*, & *Gaasbequio*, ut *Coſſonio* ſcriberent, alter literas acceptas me negare, alter ad inducendum *Coſſonium*, ut Peruſiam excurreret; me enim nolle conferre varietates ex illo Codice a me notatas, quippe qui prorſus proſcribo, & ineptas iudico notas illas. Quod & tum ſimul eos fecisſe ſcio, ſed rationem omiſit *Gaaſbequius*, & procul dubio referet ad Te omnia *Coſſonius*; idque ſi fiat, vellem plane, ut Tu illi hanc cauſam, & iudicium meum patefaceres, idque exemplo, quod Tibi nuper miſi, comprobares. Non profecto aegre feram, ſi quis in *Berkelii* gratiam collatum eat illud MStum;

nam

nam nec invidebo *Ber elio*, ſi habuerit: ſed hoc dico, me nolle ulla parte immiſceri operi, quod tam corrupte exiturum video. Haec unica mea cauſa eſt.

De *Fragmento* autem habui ſingulare propoſitum, quod & Tibi probaturum me fore confido, ſed exſequi nunc, tam incerto rerum omnium ſtatu, & quo fragor armorum ac militum diſcurſus denuo omnia conturbat, non poſſum, nec potero, niſi pax convenerit. Id Tibi dicam, ſed ut cum nullo communices. Volebam *Notas* meas in formam epiſtolarum redigere, ſed ut non confuſe, verum eo ordine, quo ipſe contentus eſt, procederent; Primam Tibi deſtinaveram, ſecundam *Bigotio*, cui id *Fragmentum* dedicatum eſt primo ab avunculo meo, deinde aliis, quos novi, doctiſsimis viris: & ubique dicerem convenientia. Sic certe maior huic *Berkelio* pudor imponeretur, videns ſe apud primates in doctrina adeo traduci. Totum vero argumentum in ſpeciem iudicii componerem, & ſummum iudicem ferrem Sereniſsimum Principem Cardinalem, ad quem in animo habebam liberrime ſcribere, etiam de cauſa quod eo inſalutato diſceſserim, non ſine perſtricto obiter Medico iſto. Sed, ut dico, tributa, quae quotidie nova excogitantur, & metus moventium ſe rurſus hoſtium, facit omnes tenaciſsimos, ut nec mihi conducat ſumptus meos nimis extendere & gravare: ſi enim, quod ſperaverimus, ante hanc aeſtatem pax convenisset, meis id impenſis procurare ut pulcherrime exiret, erat animus. Nunc illud iacet, & Tu nulli verbum unum

de hac re; epiſtolamque hanc omnino combures, ſimul legeris. Vnquam enim forſan id perficiam.

Simul cum prioribus Tuis literis adlatum eſt ad me elogium a Macedone ſcriptum; ſi cenſuram meam petis, ſatis putidum. Nec enim alia advocem, quid eſt *confectis omnium bonorum ſpatiis anhelas* &c. Haec dici nequeunt, niſi de eo qui ex infimo ordine paulatim aſcendit ad ſummum, ut *Ruterus* noſter. De nato Principe quis dicet? Deinde in illis: *Nam ſex diebus Deus unum mundum condidit*, an eſt rationis redditio? hoc vult premiſsa particula: at quid ad hunc illa locum. Decet talia eſse longe ingenioſiſſima, & acutiſsima. Gratias tamen optimo ſeni dices meo nomine.

Antequam ad has ſcribendas accederem, iam dederam aurigae hinc diſceſsuro Tuas ad *Graevium* portandas. Nunc hoc ipſo momento accipio, quas a *Graevio* diu expectaram. In quibus quae ad Te pertinent, ecce verbo tenus: *Excellentiſsimo* Magliabequio *hodie reſpondi, inſertis literis ad* Falconerium. *Credidi has epiſtolas* Elzevirio, *a quo recte ſpero curabuntur. Neſcio quibus ſtudiis, & officiis tam prolixam tanti viri in me benevolentiam, & ingentia merita poſsim aſſequi. Effecit ſane, ut nexu mancupioque ei ſemper fuero addictus, & numquam non cogitaturus, ut gratum ei, memoremque animum probem. Libellos* Maioragii, *quos promiſit, diu fruſtra quaeſivi. Gratiſsimi mihi venient.*

Ita ſunt quae nunc ſcribere habui. Quod ſi poſthac non tam crebas ad Te dedero, id ar-

argumenti inopia, non obſervantiae meae decremento fieri puta. Nec enim in hoc loco libris meis ita attendere licet, ut inde aliquid garrire poſſim, nec rerum, quae inter nos agi ſolent copia hic abundat; niſi quod gratum eſt videre tot imbutos ſi non cognitione doctrinae intima, at certe amatores ſtrenuos; idque paterna inſtitutione. Vale, & ſalve, Honoratiſſime *Antoni*, & mihi luce ipſa gratior.

Daventriae die decimo Iunii 1675.

EPISTOLA XIV.

SI ullo modo, aut ulla parte conſolabilis eſt dolor, quem ex diſiunctione noſtra percipio, & ſic percipio, ut is quotidie ingraveſcat, ſaeviuſque me cruciet; id certe nunc ut fieret, adminiſtraſti. Vt enim verbo abſolvam, unis iſtis literis Tuis ultimis conſecutus ſum omnia. Proſpexiſti enim mihi ſecuriſsimum adverſus famae malignitatem antidotum; miſiſti praeſidium ad comprimendam intolerabilem falſarum linguarum audaciam, optimae, ſed deiectae conſcientiae ſuffragium, & ſuſtentationem, materiem augendis gaudiis; denique feciſti, ut & dulcis eſſem mihi, & iam confiteri debeant omnes, dubitationem nullam ultra relinqui, quin me tenerrime ames. Haereo prorſus in cogitationibus meis aperiendis: ut enim Tu finem facere non potes bene de me merendi; ita ipſe ne initium quidem video ad gratias Ti-

bi dicendas; quod tamen opis meae non eſt, & ſi eſset, quantum ſingulis epiſtolis inſudandum mihi foret. Tantum igitur dico factam a Te rem fidei, rem humanitatis, ſed Tuae, ſed, repeto, Tuae, hoc eſt inuſitatae, & incomparabilis. Inſtabant huius civitatis ἐγκαίνια (noſtro idiomate *Kermiße*) quae oblectationibus & feriis traduci mos eſt, ſoletque tunc avus meus omni cognationi noſtrae epulum praebere. Captavi & ipſe id tempus, & a publicanda hac fortuna mea me continui, donec ea hora veniſset. Omnes non ſecus ac ſi ipſa ſalus de Coelo mihi veniſſet, id acceperunt, uno ore mihi certatim gratulantes, & exemplum honoris incogniti (1) teſtantes. Volo igitur ubi res ſe, ac tempus dabit, Sereniſsimo & tantopere in laudem meam Propenſo Domino noſtro affirmes, me ea qua par eſt, & animi exultatione, & reverentia in Divino hoc munere admittendo uſum eſse. Sed & Tibi perſuadeas, me in tantum nunc gaudio deſipere, & in luce adſpicienda ambitioſum, in quantum antea latere, & me hominum, quos malos noram, oculis ſubtrahere cupiebam. Vt enim ſcias, eram de Te moeſtiſsimus; quum quinta iam iret hebdomas, ex quo nihil a Te acceperam literarum, & in ultimis die 16. Maii datis indicaveras mihi reconciliatam duorum amicitiam, ex qua nihil fauſti augurari Tibi poteram. Itaque quam ni-

1 Adludit ni fallor ad annuam ſtrenam quam *Coſmus III.* M. D. Etruriae ipſi benigne elargitus eſt.

nihil poſſem niſi meliora expectare, incipiebam me fortioribus remediis munire, & depoſitis tantiſper meis ludicris, ipſa *Biblia Critica*, quae apud Anglos edita poſſideo, volutabam, ſic ut viderem aliorum interpretationes, & nonnunquam ipſe accuratius attenderem, cuius operae exemplum infra iudicio Tuo ſubiiciam. Sed magnas gratias Coelo, cui cordi videris eſſe, utque perpetuum ſis ex animo precor.

Ego autem ex hac urbe Menſe Maio ac ſequente, iam binas ad Te dedi, quarum altera Te certiorem faciebam de Tua epiſtola menſe Februario per *Lanoyum* curata; altera de variis rebus, quas mihi ſignificaveras, agebat. Deinde Frater meus reliqua libelli mei folia ante tres hebdomades ad Te curavit per Reverendiſſimum *Fabricium Cecinium*. Spero iam utique eo omnia recte perveniſſe; Teque id quamprimum mihi indicaturum.

Ante cuncta autem cupio cognoſcere, quid apud vos narretur de illo cerebri, & iudicii admodum podagroſi homine? an ipſe hunc ſuum titulum iam inaudivit? *Graevius* enim mihi ſcripſit totam Academiam Leidenſem plenam eſſe his verbis, alioſque *Datium*, alios *Nicolaum* interpretari. Reſpondi, ut relinqueret hos ludos incertos, mihique placere iſtam interpretandi rixam. Praeterea antequam ipſe vidiſſet librum, adfuiſſe ſibi *Spanhemium*, eruditionemque materiae multum ei laudatam; ſed parum liberaliter a me factum, quod id inſectatus ſum, quod fugiſſet eius memoriam. At ego ſubdole agere illum dixi, quum

non memoriam eius vel una voce attigerim; ſed iudicium, quod ſcripſerit ea, quae ipſe non intelligeret, idque iactabunde, quum nihil eſſet neceſſe; & ne putaret id ſemel ab eo factum, miſi epiſtolam plenam ſimilium locorum, in quibus multas voces ſine ulla fruge effundit, addidique melius eſſe parvulum libellum purum ad poſteros mittere, quam ingentes ſine examine cumulos. Quid reſponſi accepturus ſim, videbo.

Papenbroequio interim, optimo & doctiſſimo ſeni, velim, ubi commodum eſt, ſignifices honorificam illam epiſtolam opera eius recte mihi traditam, & viciſsim omnia ipſius cauſa me velle. Multum etiam hoc approbo, quod quibus Tibi videbatur, quoſque nominas, eam oſtenderis. De titulis nunquam ſollicitus fui, quos ſi infinitos exaggeraſses, ne una quidem vocula ex ſacra hac epiſtola penſare vellem.

De *Germano ventre* ſatis facetam hiſtoriam narras, & iam illam omnem *Rulaeo* perſcribam, ut facile exiſtimas, non abſque iocis ac leporibus, quum & ipſe flores ac ſemina ei conferre voluerit. Si quid ultra acciderit, perge oro pertexere. Sed cur *Norifius* finire nequit *Diſſertationes* ſuas?

Impedimenta mea tandem . . . . . . intelligo. De *ſupplementis* meis a Te edoctum ſe nuper mihi ſcripſit *Arnoldus* noſter Noribergenſis, iam quinquies ſe ita compellatum gaudens. Quod ſi libet, ac licet, conſidera, ſodes, quae nunc ſubiungo. Geneſios capite XVII. verſ. 2. & 3. ab *Hieronymi* uſque tempore omnes Interpretes, atque

adeo

adeo ipſe *Hieronymus* utroque hoc verſu eundem intelligunt, voluntque *Eliezerum* acceptum *Abrahamo* haeredem inſtitutum, idque addit *Grotius*, ex teſtamento. Sed primo id credibile non eſt, quum Divino prorſus odio contra Damaſcum, & vicinas Canaanitarum gentes inſtinctus, plenuſque eſſet *Abrahamus*, qui ideo per contemptum, ac vilitatem videtur appellare eum Damaſcenum. Certe non ſtatim ille, qui amorem alicuius meretur, aut rebus alterius adminiſtrandis praeponitur, etiam ad haereditatem, hoc eſt, ſubſtitutionem in Domini locum admittitur. Deinde quum tam clara enunciatione *Eliezerum* vocet *Damaſcenum*, qui potero cum *Vatablo* & *Grotio* credere per *filium domus meae* intelligi *Eliezerum* vernaculum? Vtique qui Damaſci erat natus, is domum *Abrahami* pro Natalibus non poteſt dici habuiſſe, niſi ſi illic habitaverit *Abrahamus*. Et quanquam illud *Damaſcenus* allegorice poſſet accipi, tamen ſimpliciſſimus loquendi modus maiori iure admittitur in re incerta, in primis ſi & ipſe affatim commodus eſt, ut hoc loco. Quin etiam ſi vel maxime is fuiſſet vernaculus, cur ſi talem ſacra Scriptura verſu tertio intellexit, non uſa eſt eadem loquutione, qua id protulit cap. XVII. verſ. 12. & 23. ubi *vernaculi* ſit mentio? Quod quum non faciat; verius eſt eam non intelligere *Eliezerum* fuiſse vernaculum. Praeterea cap. XXIV. verſ. 2. eundem *Eliezerum* pergit *Abrahamus* vocare ſervum ſuum, maximum natu in familia, cuncta gubernantem. Nam ratio nulla eſt, cur dubitemus, quin capi-

ti-

tibus 24. & 15. unus idemque intelligatur, quum ſit eadem deſcriptio, & de morte *Elie-zeri*, aut mutatione villici nihil memoret Sacer Codex. Non ibi vocat libertum, non alio honoratiore nomine, ſed *Servum* ſuum. Itaque quum dicit *Abrahamus filius domus meae* non videtur reſpicere ad familiam ſuam propriam ac domeſticam; ſed cognationem. Id praecipue videtur probare adiecta vox *meae*; quam verſ. 12. in vernaculis notandis omittit. Scilicet non *ſuum*; & ex ſe natum filium ſibi ſucceſsurum, ſed qui eſset ei in filii loco propter conſanguinitatem; qui non eſſet ſuus, ſed domus paternae filius. In quo quidem tanto magis confirmor, quod talis tantum unus erat *Abrabamo* ad manum; vel etiam notus fortaſse, qui filius domus meae ab ipſo vocari poſset; nimirum *Lothus*, quem *Terah* pater *Abrahami* ſolum comitem ſecum ſumpſerat ex Chaldaea diſcedens; & cui *Abrahamus* longo tempore aſſueverat. Quid quod hic locus a *Ioſepho* non aliter ſit intellectus? Is enim expreſse ait *Lothum* ab *Abrahamo* patruo; antequam pater eſset factus, adoptatum fuiſſe, ſpe ſucceſsionis in eum collata. Libro I. Ἀρχαιολ. cap. 8. Ἄβραμος δὲ Λῶτον τὸν Ἀρρὰνου τοῦ ἀδελφοῦ υἱὸν, τῆς δὲ γυναικὸς αὐτοῦ Σάῤῥας ἀδελφὸν εἰσεποιήσατο γνησίου παιδὸς ἀπορῶν. Quae quidem ab eo tunc ipſum locum reſpiciente ſcripta inde apparent; quod nuſpiam aliunde id haurire poſſit. Et quum id *Ioſephus* tam aperte, quaſi in re indubitata referat, ſimul inde videtur concludendum; eam non fuiſse opinionem ſolius *Ioſephi*; ſed plane communi-

munem ſententiam Interpretum Hebraeorum tunc temporis in explicando iſto loco. Haec mihi in mentem veniebant; quae ſi placent, gaude; ſin obiurga, & obliviſcere. Novi his in locis nihil.

Rogari feci *Friſium* an haberet occaſionem mittendi quaedam exemplaria, ſed nondum reſponſi aliquid recepi. Quod reliquum eſt, inſto rurſus, & Te precor, ut quam frequentiſsime ſalutem mihi Tuam nuncies. Fac autem ut Reverendiſs. & Honoratiſs. illi Viri, quos nominas, *Lorinus*, *Bardius*, *Gamurrinus*, Feſulanus Abbas, & alii Patroni mei per Te intelligant me ſolemniſſima recordatione ipſos venerari, & beneficia quae accepi plurima grato animo agnoſcere; neque quidquam optare, niſi ut mihi occaſio naſcatur id facto potius, quam verbis demonſtrandi. Itaque ſi quidquam eſt, cuiuſcunque etiam modi id ſit, quo in his regionibus iuvare illos poſsim, fidem, operam, diligentiam, quantam in meis rebus adhibere poſſum illis addico, & promitto. Non poſſum id ſingulis in epiſtolis teſtari: at Tu affirma illis me frequentius de illis omnibus, & benefica Florentia cogitare, quam ipſi de me loquantur. Vale, & ſalve, Fautor, ac Patrone Amantiſſime.

Daventriae die 24. Iulii 1675.

EPI-

EPISTOLA XV.

Eodem tempore accepi utramque Tuam; etſi diviſis temporibus, & octo diebus interpoſitis dederas, nempe 8. & 16. Iulii praeterlapſi die; quippe *Gaasbequio* in Friſiam profecto, aliquamdiu apud eum delituiſſe intelligo. Vt ad id quod me imprimis attinet, verbo reſpondeam, ſcias oportet, quod intriviſti, Tibi exedundum a me relinqui. Significabam ſane Tibi, quae mihi fuerit iniecta cogitatio de *Fragmento Stephani*, ſed ita, ut non modo celatiſſimum haberes, ſed etiam ſcires eam omnem a me ſimul abiectam eſse. Itaque qua de cauſa rem Tibi ſoli commiſsam evulgas, fidemque Tuam ac ſilentium quod implorabam denegaſti, quum ipſe id Tibi omnibus modis, omnibuſque in rebus quae inter nos occurrunt, praeſtem, & certiſſime in aeternum praeſtiturus ſim? Quid igitur a Te factum aliud, niſi quod ea de me pollicitus es, quibus exſolvendis plane me imparem cognoſco, & palam profiteor? Ad rem illam implendam exigitur floridum ſcribendi genus, nitidi in ſermone tranſcurſus, inventionis varietas amoena, & non affectata. Quodnam illorum mihi hoc in tempore poteſt adeſse quem quotidianae horum hominum loquelae, vel potius querelae totum obſident, nec ullam aliam cogitandi materiam obiiciunt, niſi ex qua quiete felicitateque exciderim. Nihil audias niſi de prae-

te-

teritorum temporum horrribili ſtrage, aut hodiernis exactionibus omnino intolerandis; ne dicam, quam ſuſpenſi vivant de exercituum congreſſibus, unde pene ſalus pendet; & ſi iam omnia meliora proveniant. Immo niſi obſtaret Avi ſenectus, iam ego has tantopere mutatas a priſtino faſtigio ſedes denuo reliquiſsem, & venuſtiores oies circumſpexiſsem. Quid igitur ſapidum, quid placiturum proferre me poſse cenſes? Vt taceam, quam ſim in talibus ipſe moroſus & acerbus. Itaque omnino pronuncio non impletum iri a me promiſsa Tua. Sed & hoc nunc accedere video; ſi eam ſcriptionem per epiſtolas dividam, non potero minutiora, quae ſatis multa ſunt, cum guſtu proferre, quum non niſi primaria quaedam loca huc recte conveniant. Itaque ſi fortaſse lubiturum ſit mihi ea proferre (nam nunc etiam *Graevius* noſter urgere incepit ternis ordine literis) ſimpliciter edam, & Notas inſcribam. An id Seren & Rev. Principi Cardinali conſecrare auſim, & deinde utrum dignus ſim, qui tantis auſis accingar, haereo.

Quam ſtudiorum ſectam apud vos nunc vigere narras, improbare nequeo; quum ſane omnia noſtra ad illum unum finem, quem magna iſta dies apportabit, ſint referenda; neque ego is ſum, qui vel unum digitum a me remotiores, aut alieniores fieri patiar, aut exiſtimabo, qui ſententiam in tanto negotio diverſam amplectuntur, quum hoc unum noſtrae poteſtati exemptum ſit, & ſanam propterea mentem a Deo rogandum ſit. Sed ut recte admones, melius eſt linguam conti-

tinere, & iſti interiorum ſpectatori haec relinquere. Interim tamen invitus audio reliqua ornamenta, quibus illa veritas & proponi longe ſuavius, & manifeſtari certius poteſt, negligi. Quicquid tamen id ſit, obdura; nihil detrahitur honori Tuo. Certe *Graevius* mihi iam menſe Maio ſignificavit ſe Tibi reſpondiſse, eaſque literas commiſiſſe *Elzevirio*, inſertis aliis, quas ad *Falconerium* curares ad *Ciceronem* pertinentes, & ita ſcriptas, prout ego illum edocui & formavi. Quin idem nunc in ultimis, quas ad me a. d. III Non. Auguſti dedit, ſic eloquitur. *Quid autem laetius mihi afferri potuit iudicio Sereniſſimi Magni Ducis, quo Te ornavit? quid Tibi amplius potuit accidere & honeſtius? quid ad obtunendas malevolorum voculas praeſtantius? Tu vero non committes, ut frauder laetitia, quam lectio ipſius epiſtolae mihi afferet maximam: id quod pulchre videtur intellexiſſe Praeſtantiſſimus* Magliabecius, *qui auctor tibi fuit, ut illam mecum communicares. Rogo cum quid ad eum dederis, ut meo nomine ſalutes verbis amoris pleniſſimis. Spero literas meas, quas* Elzevirius *aliquot ante hebdomades Florentiam miſit, ei redditas eſſe. Scripſi quoque ex veſtra ſententia ad* Falconerium, *ſed nihil reſponſi etiam nunc recepi*. Vix poſsum dubitare, qui iam acceperis, idque a Te propediem me intellecturum. Tamen reſpondens *Graevio* addam & illas tum etiam quum nuperrime ſcripſiſti, latuiſse, & quae alia de marginibus *Mureti*, & reſponſo *Falconerii* nuncias. Omnia autem optima de hoc amico noſtro ſpera; nec quam primam rapere poterit te-

teſtandi ſui de Te iudicii occaſionem, praetermiſurus eſt, videbiſque illum alio modo Tecum agentem, ac cum aliis. Vtinam facere poſses, quum *Falconerio* epiſtolam *Graevii* miſsurus es, ut ne excerpta illa in iſtius ſtolidiſsime κακοπραγμονέστατος manum venirent, ſed a *Falconerio* recta ad Te mitterentur; etiam quum apud Te de illis ſermonem facit *Carolus*, de induſtria ſilere Te melius foret. Omnino vehementer miror *Heinſium*, ſi qua re conciliare Te ſtuduit, id per illum ineptiſſimum internuncium, & quem ipſe novit Tibi tantopere inamoenum eſse, exſequi; & quum alii ſoleamus munera exornare tum verbis, tum omni alia ratione, ipſum ultro id agere, ut Tibi ingratum reddat. Sed, & ipſum & vitam eius iam ab aliquo tempore ignoro, & ipſe veriſſime de iſto grege potes opinari. Tantum ante aliquot dies mihi ſcriptum eſt, quia & *Heinſius*, & omnis vulgo Batavia nunc nihil loquitur, niſi de illo iudicii ac cerebri admodum podagroſi homine, quam deſcriptionem ipſius eſse, tum ipſe, tum omnes alii exiſtimant (niſi quibus *Graevius* ingeſsit hunc *Carolum* eſſe) eum habere ad manus epiſtolam, quam paſſim oſtendet, eamque eſſe, quam ad Te de me exaravit. Sed nihildum ex argumento potui expiſcari, an ſit haec ipſa, nec ne? Sed parum refert.

Gaudeo autem quam maxime, creſcere in dies numerum eorum, qui divinis Tuis dotibus ac meritis veros hymnos accinunt, & his nunc acceſſiſſe praeſtantiſsimum *Mengolium*, quem tanto impenſius Bononiae ſalu-

taſ-

taſſe mihi gratulor. Quaeſo Te & hunc, & Illuſtr. *Zanium*, & omnes in illo tranſitu communes amicos meis verbis ſaluta. Faxit Deus, ut hic chorus quam maxime augeatur, idque tanta animi vociſque intentione enitantur, ut in hoc ordine poſtremus recenſear; id, quod tenuitati meae ſatis erit. *Vialius* non habet quod doleat, quum ipſe me commentis, falſiſque rumoribus, & quibus ipſe patrocinari Te convincente non poterat, primo diſtulerit; id quod merito apud *Fontanum* queſtus ſub, adiecto qualem ipſum ex vero cognoſſem, nec enim queri poteſt me quoque falſa ſcripſiſſe. Ego quidem amicitiam eius amplector, quatenus ultimo tempore meritus eſt; ſed ut ei multum deferam, cauſam non habeo; etſi fateor imprudentius paulo a *Fontano* actum.

Quibus autem in rebus haec aeſtas a *Coſſonio* exacta eſt? nihil ne in ſtudiis noſtris oſtendit ſe ſuſcepturum? *VVittium* opinor Te intellexiſſe Viennae mortuum eſſe. Certe ſic mihi Frater, & alii amici Haga ſignificant, quod non ſine moerore intellexi.

Multum diſplicet tam aliena hoc tempore a Fratre meo apud Te iacta. Equidem ſatis eum omnia edocui, impetumque eius refrigeratum putabam, quem neſcio unde revocavit. Sed faxo ut ne amplius ſomniet.

Quinque verſiculos ex ſatira *Macedonica* ſatis acri, vero roſuros veſtrum hominem credo. Cupio audire plures ſi ad manum Tibi ſunt.

Video *Paraphraſin Epicteti Chriſtianam*, quae in Laurentiana apud vos ſervatur, edi-

tam

tam eſſe a *Merico Caſaubono*, ſed intervenientibus pluribus lacunis. Itaque doce me, ſi quis Italorum quoque eandem vulgaverit, id quod puto aliquando ex Te audiviſſe, ni fallor.

Heri venit ad me faſcicnlus cum epiſtola, inque eo alter item faſciculus cum epiſtola a *Placcio*. Meam ſcripſiſſe dicit die 24. Aprilis, ſic ut tres admodum menſes in via fuerint. Si tantum temporis conſumendum eſt in itinere octo dierum conficiendo, quando tandem ad Te venturus eſt? Et miror, quum ipſe degat Hamburgi, hoc eſt in Civitate, unde quotidie vela in omnem Orbem dimittuntur, cur me ambiat viventem longe a mari & in praediis. Tibi tantum id ſignifico, ut ſcias, idque ubi commodum erit, ei ſignifices; tum ſi quem certum hominem Amſtelodami habueris, eum mihi indices, cui poſſim committere.

Audio exiiſſe nuper *Notitiam Galliae Valeſii*; *Olai Borrichii* (is *Stenoni* notus eſt) *Annotationes in Voſſium de vitiis ſermonis*: *Aratum cum Eratoſthenis nonnullis* ἀνεκδότοις. Monachus ille Hollandus in S. Marci Caenobio, quod mihi tam indecore fucum fecit, vehementer ulciſcerer, ſi adeſſem. Nec enim Nummulorum, quos illi mutuos dedi, iactura me movet, ſed quod indignis modis amicus nuper meus, quem Amſtelodamum profectum hoc negotiolo oneraveram, & multo riſu a fratre eius exceptus ſit, negante ſibi quidquam eum illo eſse. Etiam ſarcinulas hac hebdomade veniſſe intelligo parum bene curatas. Sed hae nugae ſunt.

Haec ſcripſeram, quum tradantur Tuae

 iſtae,

iſtae, quibus *Graevio* noſtro reſpondes. Non ſine admiratione ſumma eas legi, agnoſcetque *Graevius*, & quibus aliis ille oſtendet, nihil me temere dixiſse. Nam ne hoc etiam neſcias, incipiebant quaedam futiles linguae neſcio unde dolum ſpargere, tanquam & multos haberes libros, & curioſus eſses, iuvareſque doctos; ſed ipſe parum attenderes, potiuſque velles ſcire aliorum lucubrationes, quam eaſdem cenſere & ex eis annotare. Nunc is rem ipſam auctorem habet. Ingentem vero poenam infliges mihi, ſi quod minaris, per alios potius tales literas poſthac ſis curaturus, quam per me. Ego Te omni prece contendo ne id facias. *VVittium*, ut amicum dolere fas eſt; ſed invidenda haec optimo iuveni felicitas non eſt, nedum Tibi querenda. Si reverſus eſſet ad hos homines, audiviſses procul dubio alia, quae iſtam Tibi lacrimarum cauſam darent. Non poſsum ulcus ſine dolore tangere.

Cl. *Magio* noſtro per ſequentem tabellarium reſpondebo.

Stephani fragmentum, ut dico, urget *Graevius*; promiſique me excurſurum, ut ſimul recenſeamus, & examinemus. Vbi ſententiam dixerimus ſcribam Tibi quid ſententia ſedeat. *Brunoni* noſtro, & *Ruyſchio* Nobiliſsimis viris ſalutem. Si has traditione dignas, & ſine ullo aculeo, ut volui, ſcriptas invenies, cura, ſed otioſo tempore ac molli. De Monacho illo non poſsunt alia expectari; plumaſque oſtendet apud imperitos. Iam abeundi tempus eſt. Vale, & ſalve.

Daventriae d. 20. Aug.

EPI-

EPISTOLA XVI.

QVantum video dum Daventriae moratus ſum, beatior laetiorque fui in accipiendis Tuis, quam in mittendis meis promptior. Accepi autem recte, niſi fallor, omnes Tuas; niſi quod in illis quas per *Fontanum* miſiſti Calendis Ianuariis, eadem veſpera refers alias itidem miſsas publica via; quas quidem ego non video. Nam quae duae ultimae hoc modo ad me venerunt, earum aliae diem XV. Ianuarii praeferunt, alterae XI. Decembris. Quod ſi ex eo me damnum feciſse intelligis, precor, ut id prima occaſione reficias; neque enim mihi Tuarum literarum ſermone tam humano, tam candido, quidquam gratius. Caeterum cave poſthac aut Tuarum, aut mearum rerum quidquam in manus *Elzeviriorum* mittere. Quod ſi certus eſsem meam habitationem Leidae ſtabilem manſuram, melius fore ſcito ut recta Leidam ad me mitteres. Sed quum Daventriae Avum meum longo ſenio, & continua huius praeteriti triennii crudelitate mirifice exeſum viderim, mihi in animo eſt, & de eo iam cum fratre, ac ſororibus conveni, migrare Daventriam, ut tum extremos eius ſpiritus excipiamus, tum haereditatem noſtram ſatis lautam propinquiore oculo intueamur. Vnde ſecuriſsimus modus erit poſthac, & ab omni mala manu tutiſsimus, ſi ſub inſcriptionem nominis mei adiicias: *Raccomandata alla corteſia del Sig. Adriano Gaasbeeck, Mer-*

tante di Libri achter het ſtadhuys (hoc eſt, a poſtica parte Curiae.)

Sed quod ad rem attinet, ſuccedat ſane illis fallacia ſua hactenus, & per me, qui illorum ſubſidiis nullus indigeo, plurimum in ea laetentur. At ſaltem quod in me eſt, faxo ut ſua eos opinio egregie fruſtretur. Nam & quibuſcumque rationibus potui, *Rulaeum* noſtrum deterrui ullam cum iſto profano capite conſuetudinem ſcribendo conſervare, & ut viceverſa recordaretur Tui, Tuorumque beneficiorum magnitudinem recte aeſtimaret, admonui. Id quod eo uſque inſtare & obtundere non deſii, donec ſancte mihi promiſerit ſe in utroque ſententiam meam, utpote honeſto congruam, ſecuturum. Itaque affirmat mihi ſe praeterita hebdomade ad Te ſcripſiſse, & Te de eo conſuluiſse, teſtans prout ſuaderes ſe facturum. Iam Tuae partes erunt omni modo dehortari, & ſuperbiam, impotentiamque eorum, praeter mendacia, quae forſan exinde ſi ſcriberet, ſparſura ſunt, exaggerare, ne improbitas quoque per ipſum triumphet. Sic illi ruſtici expectent licet, dum defluat amnis. Idem tamdiu perſtiti apud occupatiſsimum *Graevium* facere, donec ab eo impetravi hanc quam vides epiſtolam, in qua tarditatem ſuam videtur compenſaſse argumenti copia. Non dubito, quin aliquid in ea narret de me; ſed quum ipſe ſic obſignatam eam mihi miſerit, precor ut ex Te quamprimum reſciſcam, ſi quid mea intererit. Credo enim Te ei aliquid reſponſurum, idque volo ut meis includas, & ſi me ſecretorum veſtrorum participem admittis, quaeſo, apertum

ſum relinque, ut ipſe obſignatum tranſmittam. Sed id prout Tu volueris. *Aproſii Bibliothecam* (1) ei tradidi, monſtrata etiam epiſtolae Tuae parte ea, qua honorifice de eo loqueris. Si *Offredius* me negligit, certe ego tanto magis illum. Epilemmate illo, quo de *Heinſii* erga Te voluntate concludis, nihil verius, nihil certius eſse puto; & ſatis opinor Te potuiſse ex literis meis odorari, eandem prorſus meam de ipſo ſententiam fuiſse, gaudeoque ſane tam clare indicio illum ſoricem ſeſe prodidiſse. Maximo ſane illi pudori erit, ſi conſuetam Tuam comitatem iuvenibus illis ampliſsimo loco natis demonſtraveris, ut redeuntes in patriam praedicare poſsint homo homine quantum diſtet, candidus ſimulato, ac boni nebulonibus quid interſint.

Audio *Ruyſchium* in Turciam pergere, at *Hogevenium* in reditu iam eſse.

Qua in re Mediolanenſis ille Monachus ſuſtineat obſtrepere *Tito Livio*, utrum in Hiſtoria, an in Geographia, & quod ei ſit nomen, lubens ex Te cognoſcerem.

Gaetano noſtro propterea ſcripſi, ut & ipſe iocandi cauſa aliquid mecum garriret, non ut Tibi moleſtus fieret, quod quidem illum feciſse doleo plurimum. Sed quoniam ille non niſi ſeriis intentus eſse cupit, mox cum ſorore ipſius per literas iocari incipiam. Sed ut aliquid etiam novi impertiar, ipſe *Heinſius*, ut audio, diu ambita legatione Con-

1 *Cornelio Aſpaſio Antivigilmi (Angelico Aproſio da Vintimiglia) la Biblioteca Aproſiana. Bologna per* [illegible] *Manoleſſi* 1673. 12.

ſtantinopolitana, inſignem repulſam tulit. Cuius dolorem ille non ferens ex Haga Comitatenſi ſeceſsit, & in conducta prope Vltraiectum villa ſe abdidit. Praeterea etiam ille (1), qui eius ſuffragatione in hanc Academiam irrepſit, inaudito exemplo nunc vapulat. Nam ne qua in parte hic *Ryquius* a ſuffragatoris ſui *Heinſii* vita diſcederet, ſimulatque homo in paupertate natus educatuſque aliquid nummulorum contrectavit, laſcivire, & fortunam petulanter habere coepit, ancillam virginem violando. Qua contumelia inſtigati Curatores ante duas hebdomades eum ab Academia removerunt, ſic ut nec publice docere, nec Academicis commodis frui ei liceat, antequam cauſam ſuam, infamiamque omnium ore exagitatam emendaverit. Cuius ut eventum expectabimus, ita dolendum tantum hic eſse Muſarum ſilentium. Sed quid haec ad me, qui Daventriae mihi vivam, ut Tu in patria Vrbe facis, & interdum reſpiciendo chartulas meas componam, & in ordinem redigam, quo Tibi poſsim gratias publice agere. Nec teneri poſsem, qui nunc ſimul mittam Tibi exemplum, tum ut accurate examines, tum ut emendes, ſi me tanti facis, quod ſpero; Quod ſi apud Sereniſsimos noſtros Dominos ſcias Nummum cum ſimili fulminis, aut ſagittae forma deliteſcere, eo precor ut me bees.

Gaetanus neſcio quemadmodum ſarcinis meis conſuluerit. Scribit enim modo *Fontanus*

1 *Theod. Rychius qui Nic. Heinſii* auctoritate *Io. Frid. Gronovio* ſucceſſor datus fuerat in Profeſſione Bonarum Artium apud Leidenſes.

nui arculam adhuc apud ipſum haerere, quam ego putabam iam iam in portu hic fore.

Quanto cum dolore, quanto cum gemitu, mi Pater, etſi quid illo poteſt eſse carius, vidi legique illa? *Con lo ſcriverle conſolo in parte il mio eccesſivo dolore, dell' averla perduta, parendomi di diſcorrer ſeco ec.* Sed Deus iſta viderit. Nihil precor niſi amoris Tui continuationem. Quod reſtat, vale, ac ſalve, & ſi res dat, Illuſtriſsimis illis nominibus, & tam bene de me meritis *Farinolae*, *Strozzio*, *Zanio*, *Naldinio*, *Giraldo*, quique alii profanas illas fraudes oderunt, addictiſsimam meam operam ſalutemque nuncia. Idem facias velim Reverendiſs. DD. *Gamurinio*, *Lorino*, *Bardioque*. Sed & quum commodo id facere poteris, idem velim nuncies *Magio* noſtro; meque memorem ipſius vivere; inter alia autem poſsidere *Hieron. Magii de Gigantibus*, & *Eilbardae Almae Belli Gigantei libros* XV. *apud Commelinum* 1603. Vale iterum.

Leidae, die XV. Febr. 1676.

Graevius mihi miſit faſciculum, quem ad Te curabo certiſsime, ſimulatque tempus dederit. Frater meus quotidie inflammatur Tui videndi deſiderio: quod ut neſcio an fieri poterit, ita nunc Te ex animo reſalutat.

In Triremium ordinatione, quam viri docti faciunt, non queo mihi ſatisfacere, totuſque ſum in veterum publicatis nummis per omnia volumina contemplandis. Non dubito quin huius generis plures ſint apud Sereniſs. Dominos. Vtinam cum occaſione illis velles attendere.

Audio ex *Rulaeo* Columnam Traiani, &

Antonini accuratiſſime per partes expreſſam eſſe Romae. Id ſi ita eſt, & Tu eas ſine moleſtia coemere poteris, quaeſo id facias. Impenſas libentiſſime feram, & per *Fontanum* numerari Tibi iubebo. Fac modo ut habeam.

EPISTOLA XVII.

SI medicae opes, & temporis diuturnitas infirmitatem meam non recreaviſſent, utique id lenitas, & immoderata pectoris Tui malacia, & tam ſingularis erga clientem Tuum cura praeſtitiſſent. Nunc cauſam mihi eſſe puto, ut utrique gratias agam, quum profecto benigniſsimae Tuae literae, ſi nihil aliud, ſaltem animum moerore concluſum aperuerunt, praeparaveruntque ad illas Medicorum rutas facilius intromittendas.

Quantum putas me in epiſtolis ad Graevium noſtrum luſiſſe, ac riſiſſe in morte veſtri *Rufi?* non potui loquacitati ac facetiis modum ponere, dum ſciſcitor, quo moeroris genere ſe deformet noſter *Alexander* ob amiſſum ſuum carum *Hephaeſtiona*, & quod nemo amplius Florentiae ſuperſit, qui ipſi collegas a G. traduci ſcripturus eſt. Interea ipſum monui, adeo non debere eum pati, ut aliqua moeſtitiae pars ad ipſum perveniret, ut vice verſa gratulari, laetarique debeat; certo enim futurum, ut ſi filius aliquando illuc miſſus videret patrem ſuum tali amico uti, ab eodem procul dubio rideretur. Expecto, quid reſponſurus ſit,

Cu-

Cupero voces Tuas recitavi, & is iudicio Tuo maximas apud me gratias dixit. Eſt quidem ita, ut amico illo utar: *Terborgium* etiam cognatum appello. Si tamen rem illam huc deventuram opinatus fuiſſem, ante Tibi in aurem aliquid familiarius inſuſurraviſſem. Qui autem miſit, adulandi illis, qui nunc in Republica potentes ſunt, cauſa id feciſſe certo ſcias. An vero recte advertiſti pag. 33. ubi ſcribit *Oſirin* cum triplici pene alibi occurrere, & vix diſcerni poſſe num vir, an vero foemina ſit. Quale illud monſtrum eſt? aut qua re alia diſcerni inter ſexum vult? ſed ſileamus.

Non queo non ſummis acclamationibus vigilantiam, & ſenſum Tuum in cauſa *Meieri* proſequi; qui tamen ſi ſapuiſſet, diutius frui iſto beneficio, ſi recte literas amaret, debuit. O quoties haec reputans doleo &c.

Libellum Altorfii editum (1) evolvi. Vt aperiam ex animo ſententiam meam, non attendo in his antiquitatum controverſiis quinam ſint ii qui ſcribunt, ſed ſolummodo quid ſcribatur, & in maximo lepore verum involvere nemo prohibetur. Itaque diffiteri non poſſum millies mihi riſum expreſſum eſſe, dum adeo apte Plautinas perſonas rurſum in ſcenas vocatas, & offam maxime opiparam iure feſtiviſſimo affuſam oculis percenſui. Sed vidit ne Auctor, quae ad *Sidonii* librum II. Epiſt. VIII. *de Philematia* obſervavit?

Va-

1 *Henr. Noſis ſub nomine Annibalis Corradini miles Macedonicus Plautino ſale perfrictus. Altdorfi Noricorum per Io: Henr. Schenneſtaed.* in 4.

Vagenſeilium, & *Arnoldum* in Noricis, ac in Svevis *VVelſchium* (1) ita cognovi, ut, donec iſti vivent, nunquam iuſti praecones Tuorum meritorum illic ſint defuturi. Si tamen ullus alius, certe ego laetor id ipſum Illuſtriſſimis modis patefieri: Deumque multis precor, ut diu iſto triumpho fruaris, & aliquando iſtos invidiae gladios, qui tam multi fuerunt in Te diſtricti, hebeſcere & exedi vivus videas.

Epiſtolam Tuam ad Eruditiſs. Principem (2) apud me non tenui niſi unum diem, dum diſceſſum curſoris opperior. Nil iſta conceptius,

1 *Io: Chriſt. VVagenſeilius*; *Chriſtoph. Arnoldus*; & *Georg. Hieron. VVelſchius*, quorum Epiſtolas edemus.

2 *Ferdinandus* Liber Baro *de Fürſtenberg*; Comes Pyrmontanus S. R. I. Princeps, Epiſcopus Paderbonenſis; & Coadiutor Monaſterienſis; Literatarum fautor ſummus, de quo in alia Epiſt. d. Daventriae a. d. 8. Kal. Octob. 1675 haec ait *Gronovius*: *Profecto eruditionem ſpirat ſingularem hic Princeps infinita cum ſuavitate mixtam; ſtudetque noctes ac dies. Oſtendebat enim mihi quantum laboris poſuiſſet in condenda* Hiſtoria Saxonica; *& per omnes aetates deducenda; quam nunc curat deſcribi, ut praelis ſubiiciatur. Quin & Arcem ſuam Neubuſianam prope Paderbonam Typographia; & omni inſtrumento Librario adornavit &c.* Aliud autem *Furſtembergii opus* de quo agitur in hac Epiſtola; eſt: *Monumenta Paderbonenſia ex Hiſtoria Romana; Francica; Saxonica eruta; & novis Inſcriptionibus; Figuris; Tabulis Geographicis; & Notis illuſtrata.*

ptius, nil gratius, & (nullus dubito) nil ad iſtius Aulae guſtum aptius. Debeo tamen uno verbo Te deprecari, ne tam vehementes amoris Tui erga me ſignificationes ubicumque edas. Facio id vere, & ex animo Te moneo; ac nollem me bis illic nominatum. Sufficiebat, ſi Princeps intellexiſſet me mandato functum eſſe. Quis ſcit, quam illi *Heinſius* opinionem de nobis infuderit? Nam ego quidem de tam perverſe adminiſtrata Principis liberalitate in dilargiendis *Monumentorum Paderbonenſium* exemplaribus, ſumma cum iſtius hominis invidia, *Adolpho Overhamio* Monacho Benedictino (ſed Graece, ac Latine doctiſſimo, & qui in illo comitatu, quantum odorari potui, τα' πάντα eſt) perſcripſi: nec celatum Te habebo, ſi quid ad haec recepero.

Graevio etiam noſtro partem Tuae epiſtolae, qua ſtudium voluntatemque Tuam ampliſſime largiſſimeque ipſi confectas, verbotenus miſi, quam mirificos in homine honeſtiſſimo affectus moturam ſcio certiſſime. Exemplaria *Noriſiani* libelli de *Ludis decennalibus* (1) etiam exſpectamus.

Ruyſchium decentibus verbis comitatem Tuam agnoviſſe laetor. Vbi rurſus venerit dies

Accedunt Caroli Magni Capitulatio de partibus Saxoniae ex antiquiſſimo MS. Palatino Biblioth. Vaticanae; & Panegyricus Paderbonenſis. Editio altera auctior: Amſtelod. 1672 in 4.

1 *Henr. Noris Duplex Diſſertatio de duobus Nummis Diocletiani & Licinii; cum Auctario Chronologico de Votis Decennalibus Imperatorum & Caeſarum. Patavii per Frambottum* 1676 in f.

dies in Hollandiam proficiſcendi, ad quod reor illum quoque reducem fore, plurima, opinor, intelligam.

Immenſe ſtupeo ad verba *Ferrarii*. Quid eſt, ſi non hoc, deridere omnem illam Academiam? An vero, ſi res ita ſe habet, non ipſum debet pudere, qui per annos XL iſtius cathedrae incubator ne unum quidem excitavit, quem bonorum librorum ſupellectilem comparandi voluntas inceſſeret? Sed Tu quidem in perſpicienda huius querimoniae cauſa Lynceus plane es.

Boſcae opinionem (1) tanto minus miror, quanto ſaepius rebus aliquam vetuſtatem praeferentibus hoc modo ab illis hominibus venerationem acquiri ſolere expertus ſum.

Cl. *Patino* proxime gratias agam. Nunc auriga inſtat, & ipſe ruſticatum per paucos dies ibo. Vale igitur, Patrone Optime, & inter amicos Tuos, quos ego omnes officioſiſſime deveneror, aliquando mei recordationem iniice.

Daventriae a. d. x. Cal. April. Iulian. 1676.

Epiſtola Tua ad *Duſſenium* iam abiit. An *Blauvvius* nondum miſit Supplementa mea?

EPI-

1 Alludit ad *Petri Pauli Boſchae Diſſertationem de ſerpente Aeneo Ambroſianae Baſilicae Mediolani*. *Mediolani* 1676. in 8.

EPISTOLA XVIII.

VT paucis omnia expediam, doleo die 28. Aprilis nondum ad Te veniſſe epiſtolam meam, quam 21. Martii ſcripſeram; magis autem dolebo, ſi ne nunc quidem recte curatam fuiſſe intelligam, ac penitus periiſſe, aut in aliorum manibus haerere. Ego autem poſt illud tempus placidiſſimae in villis meis vitae operam dedi, & nulla interpellatione per duos menſes me inde avocari paſſus ſum, ſive ſtudiorum meorum cauſa, ſive ne tam foedarum rerum, quae quotidie hic eveniunt, ſenſu, & auditu aſſiduo contunderer: inter quas non minimum eſt, quod poſtquam Aerarium huius regionis publicum a bellis, Magiſtratus legitimi a viliſſima plebe, nunc quoque Academiae a latratu Concionatorum, & Curatoribus turbari incipiant, qui nuper *Abrahamum Heidanum*, per xxx. annos Profeſſorem Theologiae in Leidenſi laudatum quam qui maxime, Graece & Hebraice imprimis peritum, Concionatorem prae omnibus facundiſſimum, & quondam Patri meo coniunctiſſimum a Cathedra removerunt, tantum quia veritati apertius, & ſenſui ſuo inſervierit. Neque mihi ipſi privatam hanc vitam agenti pauca amara ſuperveniunt ab hac importunitate, quae nunc recenſere nihil attinet, & melius magno animo contemnuntur. Itaque quid interim alii ad Te retulerint, ego praeſtare nequeo. Certe quod ſemel iam Tibi me indicaſſe memini, nul-

nullum rumuſculum de *Virgilio Heinſii* etiamnum percepi; & tamen frequentes inter *Graevium*, & me commeant literae, ac frater meus Hagae vivit, *Heinſiumque* ipſum interdum inviſit. De *Antonino Liberali* hactenus neſomniavi quidem, & longiſſime ab iſto conſilio abſum. Neſcio autem, utrum percrebuerit epiſtola mea, in qua de editione nupera & notis *Munkeri* iudicium tuli. Noli credere, Domine, a me quidquam non dico publicatum, ſed vel ſuſceptum iri Te non prius admonito. Vel ſi vellem, tamen non poſſem aliter facere; adeo ſancta mihi, ac religioſa Tui reverentia incumbit. Quin ſicut plurima de me ab omni hominum genere ſpargi, & perferri poſſunt; ita cave putes quidquam eorum fidem mereri, cuius aſſeverationem a me ipſo non acceperis, qui nullius rerum mearum Te inſcium eſſe ſinam. Itaque & nunc accipe occaſionem iſtius epiſtolae a me conceptae. Ante octo & plures, opinor, annos in navicula Roterodamum remulco trahebamur ipſe, & alius non indiligens Patris auditor; & quum in manibus haberem *Apollodori Fabulas*, accedit ille ad latus meum, ubi poſt alios de rebus noſtris ſermones, de *Apollodoro* ipſo egimus, moxque (nam fabularem hiſtoriam tunc ex *Ovidio* acceperam, & hunc attentius adhibueram) oſtendi locum, qui ineptiſſime etiamnum circumfertur, a me tunc emendatum. Id poſtea ille *Munckero* ſignificat, cui mirifice placuit, ſic ut, & *Munkerus* ipſe ore ſuo mihi iſtam fortunam fuerit gratulatus. At hic furcifer tam fuit inverecundus, ut in iſtis notis ad *Antoninum* pro ſua eam publicaverit. Ob-

Obſervaveram ſane id quidem, ſed omnino comprimebam me. At alter iſte, a quo velut internuncio eam audiverat, non tacuit, ſed omnem Leidam conſciam iſtius furti fecit, ut poſtea *Berkelius* per epiſtolam id ex me ſciſcitatus fuerit, cupiens omnem rem liquide noſcere; cui etſi Amicus nec ſum, nec ultra eſſe volo; reſpondi tamen, & quum praeter multa alia inſulſa, viderem in tractando *Heſychii* loco eundem velle ſe doctiorem oſtendere Patre meo, qui eundem quoque attigerat; pateſeci inſulſitatem eius tum in iſto loco, tum in aliis, quanquam ſupereſſent plura. *Berkelius* autem mentito praetextu iſtam epiſtolam a me impetravit, promittens ſe quamprimum facturum, ut denuo excuderetur *Antoninus*, de quo tamen huc uſque altum ſilentium.

Valetudine interim fruor ſatis confirmata, & ne quid ignores, in eo ſum, ut integrum *Arrianum* caſtigem, (in quo ſane maius erit operae pretium, quam in *Antonino*) non ad edendum, ſed in privatum meum uſum, etſi non ſim invidus. Nolo prorſus cuiquam homini id innoteſcat.

De cenſoribus librorum apud vos, eſt quidem ita ut refers; ſed fateri quoque debes iſtos tres auctoritate publica electos, atque adeo eosdem loqui veſtrorum omnium ore. Si enim id illis non conceditis, cur conſtituitis, & tanti momenti opus illis delegatis? Si indignos reperitis, cur non removetis? Quare mirum videri non debet, ſi per trium iſtorum latus vos omnes impetamini, praeſertim ab homine, qui quibus artibus, & ſubreptioni-

nibus eae approbationes impetrentur, fortaſſe non admodum exploratum habet.

Coſſonium, & *Ruyſchium* quandoque officii ſui, & humanitatis Tuae admoneri libenter audio.

De rebus *Noriſii* nihil has in oras perfertur, ſic ut nullum eorum, quae commemoras, viderim.

Laurentii Legati mortem invitus intelligo, ſi nihil . . . . . . am hominis cupientis omni induſtria & labore ſe exſerere.

Libros Tuos *Fontano* commiſſos (id quod memini quoque in prioribus ſcripſiſſe) ne hos quidem accepi. Quod non minus miror, quam Tibi nec dum traditos *Graevianum*, *Placcianum*, meumque faſciculos, quos Novembri menſe praecedentis anni *Blauvvius* curandos receperat. *Duſſenius* libros a Te traditos iamdiu ad *Graevium* miſit. Sed hic longe eſt occupatiſſimus, de qua re in ſingulis literis ad me queritur. Quae nuperrime ad me ſcripſit, quaeque ad Te pertinent, haec ſunt, quae in illa chartula vides.

Hamburgi *Iuſtinum cum notis Scheſſeri* excudi audio. Amſtelodami prodierunt *Variae Lectiones Borremanni*, hactenus incogniti, ſed, ut videtur, aptiſsimi ad conſarcinandos omnis generis centones.

Fratres illi, quibuſcum diſceſsit *Meierus*, ſunt gente *Donopii* Archiſatrapae Lippienſis filii, commendati quidem Epiſcopo Paderbonenſi; ſed neſcio quo gradu eum contingentes. Eſt in eiusdem Principis aula *Adolphus Overbamius*, ad quem, ſicut plerumque ſoleo, nuper quoque & literas Tuas Principi tradendas

das miſeram, & de *Heinſiana* diſtributione liberalitatis Principalis ſcripſeram in chartula ſoluta, quam in epiſtola mea incluſeram. Has literas narrat mihi *Overbamius* incidiſſe in manus Principis, & reſignatas fuiſſe, neque ad *Overbamium* pervenit quidquam niſi ſola epiſtola, retinente Principe chartulam. Sic res acta eſt, & omnis iam Ei nota. Itaque ſi quid inaudieris, fac me oro certiorem.

Gamurrinum quaeſo amantiſsime reſaluta. Certe ſimul potero, arripiam tempus publice eius in me officia celebrandi. Etiam Cl. *Patinum* multa ſalute a me impertias velim, eique ſignifices, *Veſtinum*, *Elzevirii* ſervum, mihi negare exemplar *Moriae Eraſmianae* praetexentem ad ſe nulla eius libri exempla veniſſe. Denique poſtquam Reverendiſs. Viris *Lorino*, *Bardio*, *Aproſio*, *Macedoni*, *Sigiſmundo*, & tum aliis amicis noſtris, tum vicinis Tuis omnia fauſta meo nomine precatus fueris, ipſe quoque fac ut valeas ſartus tectuſque, quod quoties intelligam, ſcias nihil gratius optatiuſque mihi poſse accidere. Ego vivo & moriar totus Tuus &c.

Daventriae ipſis Calendis Iuniis 1676.

EPISTOLA XIX.

NE Caniculares iſti calores, qui hac aeſtate in primis immoderati has regiones torſerunt, mihi iniuriam facerent domum aliquandiu deſerui, & comite fratre circumiacentem huic Vrbi plagam, ac finitimos comi-

tatus pererravi, ita ut nunc demum ſalvi, & bene valentes reverſi quiſque iterum ad penſa noſtra aggrediamur; in quibus prout video, *Livius* non parum me tanget. Ab *Elzevirio* enim, diſtractis omnibus ultimae editionis exemplaribus, novam inchoare rurſus volente tres hic epiſtolas invenio, quibus me urget, ut communicem, ſi quid reſidui Paternarum curarum penes me ſit, aut ad curationem eius a me aliquid adiumenti poſſit proficiſci. Non potero effugere. Habeo enim non modo editionem poſtremam locis nonnullis a Patre interpolatam, ſed antequam in peregrinationem mitterer, eum auctorem eo diligentius evolveram, quo magis id *Polybius* requirebat, & pluria animadverſa Patri tradideram; poſt & in Gallia, & in Anglia ad MSS. eum contuli. Vnde quia Paternos labores tantopere is ſcriptor demeruit, non video honeſte ſubtrahere me poſse, quae ad eius nitorem videntur factura. Quod ſi nunc in Laurentiana copia liceret aliquandiu conſidere, ſcirem ubi horas ponerem. Sed de his alias: modo ſi quid Tibi ad manum, quod huc facere queat, nolis invidere.

Quas autem Tibi rurſus laudes grateſque dicam, qui me interim tot teſtimoniis ſummi ac veriſſimi Tui amoris ornaviſti, ita ut pene ruminem recente guſtu, quidquid humanitatis (quod certe fuit maximum) in me olim contuliſti? Ante omnia crede me firmiter opinari, neminem reperiri poſſe qui ſe tantis vinculis Tibi illigatum fateri debeat, quam ego: neque mihi quidquam fore magis propoſitum, quam ut ſemper oſtendam

dam me nolle in nobiliſſimi Tui nominis veneratione, ac fide, officioque cuidam ulli concedere. Non queo aliter exprimere, quam gratae iſtae Tuae omnes mihi acciderint. Prorſus eas omne ſuavitatis genus perfuderat: utinam tantum uni earum aliam materiam tempora dediſsent, & non tam immenſae conſternationis hiſtoriam! & utinam ſceleratus ille puteus depreſsus numquam fuiſset! Quod ſi ille prorſus nobis vixiſset ignotus, quantus tamen dolor eſset intelligere hominem reperiri, qui quum amplam ita, & conſpicuam Divinae particulam Aurae eſſet ſortitus, adeo laevus & nugas ſit, ut ipſam futiliſſimis rebus, & Nummorum contemplationi, quam Coeli, ac Dei, cui quotidie operabatur, vel operari ſe oſtentabat, affigere maluerit. Nunc quum non fuerit ille ab affectu noſtro alienus, quo queſtu lugubre illud exemplum proſequi debeo tam vivum, maturumque, & efficax ingenium abſque ulla bona fruge edita intercidiſse, exitu dubium, an cauſa foediore? Sed ipſe reddat Iudici ſuo operam: nos nobis videamus, & hoc ſaltem precemur, ut ſaniore intelligentia, & perfectiore quadam cognitione res tam ſordidas intueamur.

Virgilium ex recenſione *Heinſii* impreſſum ab *Elzevirio* audivi, ſed nondum publicari; & tamen eandem recenſionem ſequi Lugdunenſes, qui *Virgilium* cum *Servio* typis ſupponunt.

Quid autem? an non intelligis fraudem eſse, quod ὁ δεῖνα rurſus Tibi impegerit exemplar optimi *Fragmenti Stephaniani*; ſed ineptiſsimarum notarum? Satis ubique ex me au-

divit a *Coſſonio* iam diu eius poſſeſſorem Te factum. Quae iſta importunitas? Cur non potius miſit alteram editionem *Antonini Liberalis*, quam percipio iamdiu prodiiſſe, ſed ita illum moderari, ut per regiones exteras paſſim volitet, in his terris nulli prorſum pateat aditus vel ad conſpectum eius? Itaque licet illic nonnulla mea (ſic mihi relatum eſt) appareant quoque, ipſe nihilominus quoque fraudor. Neſcio equidem quid ſit; hoc tantum ſcio, iſtum hominem & dolis, ac aſtu ſcatere, & omnem ipſius doctrinam in audacia & imprudentia ſitam eſſe. Sane & ipſe, ſicut Tu nunc facis, ei ſcripſi; ſed ita tamen, ut nulla nota oſtenderim aut eius amicitiam me velle, aut eruditionem mihi placere; tantum de quibusdam notis *Thomae Munckeri* locutus ſum, ita ut, & ipſius falſitatem in mutando non tacerem. Neque ego adduci ullo modo poſſum, ut velim mihi aliquod ius cum iſto homine intercedere. Tibi autem ſicut omnia omnino per me ſunt libera; ſic peto, ut nulla, ne minima quidem parte me admiſceas. Facile fero, ut ei ſcribas, ſed meam operam hac una in re precor excuſes, qui illum indigniſsimum cenſeo, ut de Te vel loquatur; nedum ut literis Tuis ſe iactet. Furcifer eſt, ac ſtellio magnus; neque vero, quo minus hoc meum de ipſo iudicium, ac ſenſum vel ipſi ſignifices. Denique ut ſcias omnia, epiſtolam Tuam ipſi non trado. Potes illum alia via convenire. De Tua venia ſic quoque mihi omnia ſpondeo. Si Romae, vel alibi unam mihi iſtius *Antonini Liberalis* (qui eſt oppido exiguus libellus) collationem obtinere poſſes, alia Ti-

bi

bi oſtenderem: ſed pudori eſt, illos libellos ſola cerebri ope aggredi.

In nuperis meis literis non memini de alia re mentionem iactam eſſe, niſi de comitate τȣ̃ μονάζοντος, & ſi aliud quid inſparſum eſt, vellem retinuiſſes. Scio enim probe ita rem ſe habere ut dicis.

Elegantes ex Dania Iuvenes (1) Tibi adeſſe laetus intelligo, & volo, ubi commodo poteris, illis vota fauſta meo nomine annuncies. Tempus me excludit, ne plura nunc adiungam: ideo vicem meam ſuppleant noviſſimae hae *Graevianae*. Vale, Domine Honoratiſſime, & ama &c.

Daventriae die 2. Septembr. 1676.

Frater meus pro memoria ſui, quam toties tam grate a Te repetitam vidit, Te quibus debet laudibus verborum proſequitur, vitamque longam, incolumen, & felicem conceptiſſimis precibus Tibi exoptat: id voluit, ut per me intelligeres.

EPISTOLA XX.

SPero poſtremas meas, quas binae *Graevianae* comitabantur, recte ad Te curatas eſſe. Ex eo tempore binas item a Te recepi, quibus reſpondere huc uſque diſtuli, quia inſtabat menſis undecimus, quo mihi ad colligendas annuas mercedes in Hollandiam deſtinatus erat excurſus.

F 3 Pro

1 *Thomas* & *Caſpar Bartholinii* fratres, & *Oligerus Iacobaeus*.

Pro libellis recte atque ordine optimo diſtributis gratias ago plurimas. Mirari non oportet, ſi etiam ii, a quibus omnia alia exſpectari fas erat, alienis & parum aequis ſententiis eos configant: multo minus taedere dati muneris. Hi enim nihil aliud niſi animum ſuum denudant; & nobis interim gratulari licet, quod ſic a nobis res geſta ſit, ut in ipſo tamen argumento nihil pateat, in quod acerbitatis ſuae tela ſtringant. Satis ad haec praeparavi me: & ubi unus *Sparaverius* (1) laborem, quem in eo exhauſiſſe nobis conſcii ſumus, & aliquam iudicii micam agnoſcere ſuſtinet, profecto illic facile centum F. (2) taciti feremus. Tantam teſtimonii amplitudinem hactenus ſentire mihi ab nullo contigit, niſi a *Graevio* noſtro, & *Io: Baptiſta Steenbergio* Mechliniae Senatori ac Patrono fiſci, *Papenbroequii* noſtri amico. Itaque rogo ut iſti nobiliſsimo *Scaligerorum* civi meis verbis ſummas gratias dicas, meque totum illi conſecres, & ſi videtur, hoc chirographum tranſmittas.

Quem vero me eſſe cenſes, Domine? an ego unquam oſtendi & prae me tuli gratiam alicuius iudicii maiorem proceſſuram, ſi Latina Lingua potius quam veſtrae deliciis perſcriptum eſſet. Certe non debuiſti propterea efficere, ut tamdiu carerem voluptate iſta, quam mihi ſuffundis ex epiſtola Nob. *Orſati* (3). Summopere a Te contendo, ut quamprimum, vel

1 *Franc. Sparaverius* ſcriptis editis notus:
2 *Octavium Ferrarium*, ni fallor, carpit.
3 *Sertorius Urſatus* Vir Literaturae Laude inſignis.

vel ipſam, vel eius exemplum ad me tranſmittas, ut iſtum quoque Virum non indebita veneratione proſequi valeam. Quod ſi iſto damno mactari Te non aegerrime feres, aviſſimum prorſus me ſcito eſſe & *Sparaverii* & *Orſati* Chirographi videndi.

Amſtelodamum tranſiens *Blauvvium* ſalutare volui, & ſciſcitari de 18. iſtis exemplaribus; ſimul ut pro iis impenſas numerarem. Sed eo tempore iam ſe in curiam receperat.

Heinſius, quantum ante biduum videre potui quum illum adirem, valde eſt exeſus morbis, nec poterit multum perannare, niſi bona Fati gratia eum reſtituat. *Virgilium* a ſeſe emendatum, *Elzevirio* impreſsum finitumque aiebat, ſed non evulgari. Cauſam non addebat. Inter alia monſtrabat *Florum* ab *Anna Tanaquilli Fabri filia* editum, additis notis.

Ante aedes fratris mei inopinato me alloquutus fuit *Bruno* noſter *Duſſenius*, mirifice oſtendens ſe delectari commemoratione immenſae Tuae erga ipſum prolixitatis. *Albertus Burgius* huc reverſus nihil cogitat, nihil crepat praeter omnium rerum hominumque mutationem, in omnibus plane ἀλόγως, & ferociter ſe gerens. Itaque iam iterata vice aggreſſus eſt fratrem meum, ſed ut ipſe mihi retulit, inaniſſima ratiocinatione. Ipſe hodie eum inviſere volui, ſed Amſtelodamum profectum aiebant.

Berkelius notas ſuas in Antoninum Liberalem denuo publicavit, vindictae in *Thomam Munkerum* plenas.

His in Muſeo fratris, cuius pectus Tuo nomine mirifice impletum eſt, quique omnia

fauſtiſsima Tibi per me precatur, ita ſcriptis, ſubitus a ſororibus nuncius domum reverti feſtinanter me coegit. Quo pariter mecum intraverunt literae Tuae, quas die 7. Nov. dediſti. Enim vero abunde intelligo, nihil fieri potuiſſe, quod magis honori meo velificaretur, neque excogitari prorſus. Itaque rem video maiorem facultate mea; unde nec expedire quidquam poſsum, & conſilii omnis ratio ac vis pene effoeta apparet. Certus vero ſum neminem unum tam accurate, fideliter, & pie calculos meos omnes ſubducturum, quam Tu, Honoratiſsime Domine, facis. Itaque graviſſima merito apud me eſt, eritque Tua auctoritas. Caeterum peto, ut mihi, qui nondum omnia complecti cogitatione poſſum, indulgeas aliquot etiam dierum ſpatium ad rem iſtam accuratius conſiderandam. Interim unde mihi origo ipſius decoris proceſſit, agnoſcendum putavi, & quidquid etiam futurum eſt, Sereniſſimum Patronum noſtrum eo nomine venerandum. Quod ſi decenter a me factum videris, peto, ut opportune a Te tradatur; ſin, pro exiſtimatione Tua agas, quod cenſueris conſultiſsimum. Reverendiſſimo etiam *Coſmio*(1) officioſiſſime peto, ut pro ſua favorabili de me opinione gratiſſimas agas gratias, eique declares me poſthac victurum in ſumma nominis eius & tantae benevolentiae celebratione; ſed certe poſt octo, vel quatuordecim dies ipſe ſenſum meum ſum-

1 D. *Stephanus Coſmius* Poeta *Franciſci* Cardin. *Medicei* familiaris, poſtmodum Archiepiſcopus Spalatenſis.

ſummo Viro exponam. Doleo non perlatas ad me illas literas, quas priores ab eo acceprſti, quaeque ſententiam eius de *Supplementis* meis continebant. . . . .

Elzevirius mihi *Virgilii Heinſiani* exemplar dedit, in quo praecipue laudat vetuſtatem Laurentiani codicis, quem noſti. Vale plurimum σεβάσμιε Patrone, & rem meam omnem Tibi commendatam habe.

Daventriae a d. 10. Cal. Decembr. 1676.

Libros quinque priores *Livii* (1) ad novam editionem paratos *Elzevirio* iam miſi. Magnam illic meſſem meditandi ſuperſtitem inveni. Simul aliqua folia abſoluta erunt, Tibi ſpecimen tranſmittam. *Stephanus de Vrbibus* cum narrationibus *Thomae Pinedo* (2) ad literam M iam proceſſit. Valde urget a me collactionem libri Peruſini. Dubito an conceſsurus ſim; maxime quum nimis alibi viderim ab illo exagitari Hiſpanam Inquiſitionem: qua re plurimos erit offenſurus. Et cur ego illis meum quoque nomen additum velim? Procul dubio a veſtris inter prohibitos referetur. *Stephanus le Moine* ipſo illo momento, quo illum Leidae ſalutabam, referebat ſe in animo habere aliquid ad Te mittere.

Plurimam ſalutem nuncio *Bartholino*, & *Iacobaeo* florentiſſimis, ut undique mihi ſignificatur, iuvenibus. Et *Paſſerinio* noſtro utinam ali-

1 *T. Livii Hiſtoriae cum perpetuis Car. Sigonii I. F. & Iacobi Gronoviorum notis. Tomi* 3. *Amſtelod.* 1678. & 1679. in 8.

2 *Stephani de Vrbibus Gr. cum Latina interp. & notis Thom. Pinedo, & Iac. Gronovii. Amſtelod.* 1678. in fol.

aliquid praeſtare hic poſsem. Reverendiſſimo etiam *Gamurrinio* pro epiſtola veteris amoris indice, & conſultiſſimo *Coltellinio* pro libello de compon . . . . ibus per ignoti hominis manus ad fratrem meum miſſo gratias ago, quem nunc quoque intellexi malevolentiae ſtimulis agitari.

EPISTOLA XXI.

EGo utique Deum hominesque conſcios & teſtes habeo graviſſimae aegritudinis, quae me iam tres menſes oppreſsum, & inundatum, & pene liqueſcentem infandis modis habuit. Ex tot epiſtolis ne unam quidem perferri ac pervenire ad Te? nihil mihi a Te, quem ego Numen in terris exiſtimo, reddi niſi amariſſimas querelas? Non potui tantam indignitatem ſuperare, ac non iniquiſſimo animo, meque inprimis urente ſuſcipere; quam quod hactenus ſaltem levaveris, & in hac quoque utriusque noſtrum fruſtratione benevolentiſſime de me cogitaveris, rurſum amantiſſimas Tibi ago gratias; & ſcito, quantum ſpiritus ac vitae mihi hac vice denuo inſtillaſti, tantum accreviſſe, etſi ea ſumma ſemper fuit, eritque cumulatiſſima, reverentiam meam erga admirandam, coeleſtemque pectoris Tui conſtantiam, nobilitatemque.

Principio menſis Martii, quum intelligerem ex Tuis, quas tunc accipiebam literis, eas quas ad Te ſcripſeram, & in quas coniectae erant aliae ad Rev. *Coſmium* de negotio Pata-

vi-

vino (1) non recte curatas eſſe, aut ſaltem ad Te nondum veniſſe, rurſus earumdem aliud exemplum paravi, & recta Venetias ad *Coſmium* miſi. quarum haec fuit ſententia; mitto enim utramque, ne quid rerum mearum Tibi ignotum ſit, poteriſque, ſi ita videbitur, *Coſmium* mei infortunii certiorem facere, & utriuſque exempli copiam. Poſtea quoniam de illis quoque in dubitationem cadebam, & iam plane clauſum, interceptumque omne noſtrum commercium mihi proponebam, recta Patavium ad *Patinum* noſtrum ſcripſi, ut omnibus tentatis viis aliquid ſaltem de me cognoſceres, maxime quum mihi *Graevius* indicaret ſollicitudinem, quam de me in epiſtola Tua declaraſſes. Ea epiſtola etſi mihi inſcripta non erat, tamen Daventriam huc ad me venit, neſcio quo curatore, a me ſtatim Vltraiectum ſecure dimiſſa eſt. An vero *Graevius* binas Tuas acceperit, quas videris dicere illi a Te ſcriptas eſſe, prorſus ignoro: certe ipſe de hac una tantum me certiorem fecit. Haec omnia ideo ut videas nulla in parte me debito meo defuiſſe.

Satis perſpicue teſtatus ſum, ut puto, non invidere me, nec obſtare, quo minus *Berkelio* ſcribas; caeterum ipſe nolo quidquam cum iſto homine rei mihi eſſe: inde deprecatus ſum, ne per me illam epiſtolam ad eum cu-

1 Quantum coniicere licet ex hac & inſequentibus Epiſt. *Coſmius* Archiep. Spalatenſis auctore *Franciſco* Cardinali *Mediceo* apud Curatores Patavini Lycei adnitebatur, ut *Gronovius* Publica ibidem Profeſſione decoraretur.

curari velles. Caeterum ſi quid a clientulo Tuo Te admoneri non dedignaris, hortor, ut in eam mentem ſcribas, ut laborem eius, ac induſtriam agnoſcas, ſed ut intelligat verum laborem non in eo conſiſtere, ut grandibus commentariis onerentur ſcriptorum veterum monumenta, praeſertim plus verborum, quam doctrinae aut iudicii continentibus. Id unum namque iſte facit, & quo frequentius ad illud *Stephani Fragmentum* accedo, eo vilius id mihi fit, quum pulcherrima ex eo diſci ac demonſtrari poſſint.

In *Livio* quantum queo proceſſi; & nunc me tenet liber xxx Praecipua quaedam loca Geographica excuſſi. quae poſt *Sigonium*, *Glareanum* ac Patrem meum videntur mihi aliter tractari debere, & applauſit mirifice *Graevius* noſter, quum ei quaedam recitarem. Id quoniam mihi videtur paulo invidioſius, ut poſt tot ſummos Viros, qui vitam omnem in *Livio* conſumpſerunt, meum nomen ſupponatur; incipio deliberare, an non praeſtet ſeparatim Syllogen Obſervationum Geographicarum colligi, & publicari, ſed nihil etiam conſtitui; habeo tamen operoſam ſilvam.

Petii a Te, ut Latine mihi interpetraris Religioſum Ordinem, cuius primas eſt Rev. *Coſmius*, *li Padri Somaſchi*; nunquam enim memini audivisse.

Iacobaei dedicationem avide vidi. Sed quid quaeris? quia in Te nihil commune, nihil vulgatum, omnia pene ſupra humanum modum ſingularia cognoſco, vellem quoque non pervulgata ratione Tecum agi. Cerno velut lineamenta quaedam operis mei; ſed, quod Ti-

bi

bi ſoli dictum cupio, ſufferta ſunt omnia plebeitatis in ſermone: itaque libentius ad ipſum *Scalam* (1) conferar. Laetor tamen & hoc ſenſus mei conſorte. Oxonii anno 1670. familiares valde habui *VVormium*, *Bornemannum*, *Schelderuppium*, *Opicium*, atque item *Iacobaeum*, omnes Danos, omnes non inepti ad amicitiam colendam ingenii Quod ſi iſta nomina non ignota ſunt amico Tuo, devincies me, ſi ſciverit me etiam nunc illis apud Te gratias egiſſe, ob tot ſoles in mutua familiaritate iucunde conditos.

Audivi Romae in Vaticano aſservari *Ammianum*, qui in fine longe eſt plenior editis exemplaribus. Numquam poterit ad id certo cognoſcendum dari commodior occaſio, & ſi Tu dignaberis intercedere, ego de eius comitate non dubito. Ante omnia precor, ut ipſum *Bartholinum*, & *Iacobaeum* peramanter meis verbis ſalutes.

Expecto ardentiſsime Diarium XIV. quod Romae (2) publicatum memoras, & quibus carere potes Virorum doctorum epiſtolis de *Supplementis* meis aliquid exiſtimantibus. Nunc defatigatus, & maceratus continuo per hiemem omnem forſan nimis intento in *Livium* ſtudio, & pene debilis tam ſuſpenſa, ſed in tantum fruſtrata expectatione de cauſa Patavina, moleſtus ob tot literas in vacuum ſcriptas, nec poſsum, nec habeo plura; quibus Te

1 *Barthol. Scalae Hiſtoria Florentinorum. Romae per Tinaſſium* 1677. in 4.

2 *Il Giornale de' Letterati per l'anno* 1676. *Roma per Nic. Angelo Tinaſſi*. in 4.

Te detineam. Fac modo ut valeas, & me amori Tuo commendes. Deus Opt. Max. omnia Tibi proſpera & fortunata eſse iubeat.

Velſebius menſe Aprili anni praeteriti ad me ſcripſit, domumque miſit librum tunc editum. Hoc Martio menſe demum literas Hamburgo a patruo accepi; libro etiam illic iacente. Vide, quos errores! In literis illis laudabilem, decoramque Tui mentionem facit. Saluta omnes, qui ſalutandi ſunt.

Daventriae die XIII. Aprilis 1677.

EPISTOLA XXII.

QVanti me per haec tempora impetus rapiunt, & in omnia momenta impellunt? taceo de re Patavina, quae mihi glorioſiſſima eſt. Qualis haec acceſsio, quam ipſa velut poſt ſe traxit, ac me ſequi iuſſit, a me tanti ſane aeſtimatam, ut ipſam primi operis cauſam facile ſupergreſſa iudicetur? Ego quidem datorem omnium bonorum cognoſcere debui Sereniſs. Patronum, cuius benignitas Tuo interventu incenſa, mihi tam feſtos, laetos, honoratoſque dies fecit. Neque potui ultra optaviſſe, niſi ut eamdem tranquillitatem iſta addicta, grataeque mentis profeſſio experiretur, locumque priſtinum mihi conſervaret. Itaque tanto potentiora ſunt haec Principalis gratiae miſſilia, quanto in agris, etſi grata ſint ea, quae ubi ſata & expectata ſunt, proveniunt, gratiora tamen ſunt ea, quae ſua ſponte, & praeter ſpem

ſpem naſcuntur, maxime ſi accedat bonitas. Credere potes; nec animo, nec oculis prae calore admirationis conſiſto: & tam denſo Ducalis clementiae ſplendore illuſtris micare, & effulgere mihi videor, inſtar aquae ſolari radio ſcintillantis. Et ſic tamen mediocritatis meae conſcius, Tuis in me meritis hunc quoque cumulum ſuperimpono, & adſcribo; mihique dies, ac noctes inſuſurrabo, ne quid, quod mea cauſa unquam feciſti, infectum fieri malis. Quid autem volunt poſtremi verſiculi ſummam Sereniſs. Principis ad mea ſtudia voluntatem interpretantes? opinor enim eius exemplum penes Te eſſe. An ſi adhuc ſemel ſtatuerem excurrere, paterent mihi Pandectes, & Laurentianum, an poſſes mihi id auctor eſſe? Sed vivimus hic infauſtos dies, & Patriae meae inopia quotidie augeſcit.

Novi his in locis nihil. Vbi a *Graevio* & *Heinſio* aliqua collegero (cogito enim in Hollandiam) plura a me expectabis. Attamen ego hac hebdomade expectaveram ſucceſſionis Piſanae hiſtoriam: cur ea non venit? Sed novi occupationem Tuam. *Ruyſchius* ubi haereat, penitus ignoro. Sed & illud reſciſcam. Vale, ſubſidium meum magnum, & communes amicos omnes ſaluta.

Daventriae a. d. 8. Cal. Maias MDCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

PEne mortuus, & mundo ſublatus mihi videor, qui tempore bene longo nihil a Te, niſi unas perbreves accepi, & neque aliquid (fateor) ad Te dedi. Duae res profecto, in quibus liquide ſcias oportet maximas voluptatum mearum cauſas conſtitutas eſſe. Et ego tamen, quid ultra ad Te ſcribere habeo, niſi magnam querendi multitudinem de re Patavina, quam undique intelligo Te plenis buccinis in laudem meam perſonaſse, quum ipſe tamen ſuper ea rogatus nihil admodum enunciare ſuſtineam; qui omnino derideri videor, quia nullo aliquo reſponſo epiſtolam meam (cuius exemplum menſe Martio ad Te tranſmiſsum ſicuti Te recte accepiſse ſcio, ita communicatum cum *Coſmio* ſpero, & prorſus confido) dignari eos videam. Doleo quidem Tuas ſanctas horas tot moleſtiis interturbari, Teque a *Paſſerino* tantopere Tuo ſic deſtitutum eſse; non potes tamen iuſto iure ulterius mihi celare quorſum evaſerit res iſta, & quid in illa actum reſciſcas. Vix queo aliquid generoſius ſuſcipere; adeo cogitandi omnem vim meam iſta interſecant, ut nihil unquam de iis inaudiſſe mihi melius fuerit. Vtcunque tamen erit, hilaritatem ſequemur, non diſſolutam illam negligentemque, ſed muſicam, & quam nulla faſtidia coerceant.

Hagae quum nuper eſsem, oſtendit mihi

Hein-

Heinſius chirographum *Puteani* (1) (*Pozzo*) Equitis, ni fallor, Romani, quo teſtabatur haeredes *Car. Dati* ſibi repetenti ab illis libros nuper ab *Heinſio* miſsos, reſpondiſse eorum librorum Dominum *Datum* fuiſſe, & nunc ad ſe tranſiiſſe, idque Te auctore, qui dixeris ſolitos eſſe *Datum* & *Heinſium* mutuis librorum donationibus invicem proſequi. Id quod paulo aegrius videbatur ferre, quum libros illos diverſis amicis deſtinatos . . . .

Paucis poſt id acceptum diebus allata mihi ſunt exemplaria *Diſſertationum D. Kavinae*, & *Noriſii*: neque praetermiſi ſtatim ea diſtribuere prorſus, uti mandabat manus Tua, excepto uno, quem facile ſuſpicaris, qui cum nihil rei prorſus mihi eſſe nec fore non ſemel indicavi. Multa equidem habet *Noriſius* non infirma ad Chronologiam ſtabiliendam, ſed tum ſcripta aſoti & ſuperbi more, tum paſsim ſero doctum ſe prodit, etſi videatur velle apparere, ut qui per omnes Auctores veteres Graecos, Latinoſque aetatem univerſam cum aſſiduitate graſſatus fuerit. Nam quid, quaeſo, eſt quod pag. 32. narrat de Conſularium Nummorum nomine? Quis unquam alios vocavit Nummos Conſulares, niſi eos, qui in Republica ſtante ſub Conſulibus, nondum cognita Caeſarum Potentia, cuſi ſunt? ſic pag. 16. in fine art. *Kalendis Aprilis An.* 286. *habebatur poteſtas Tribunicia ſecunda Diocletiani*. At debuit, certe voluit dicere *finita erat*, vel *elapſa*. Nam

1 *Carolus Antonius a Puteo* D. Steph. Eques, Eruditiſſimi *Caſſiani* Frater.

ſi in eundem annum 286. incidunt Tribunicia poteſtas II. *Diocletiani*, & II. *Maximiani* * * An ſcholae veſtrae docent diſcipulos τῳ *coram* adiungere quartum caſum? ſic enim pag. 113. hic grandiſonus: *coram frequentiſſimos Auditores*. Haec *Noriſios*, & *Ferrantes* decent, non Italiam, non Etruriam, nedum tanta nomina, quae in eum libellum intexuntur, unde optem Patris mei nomen eraſum habere, quem nec novit immodeſtus ille M. nec noviſſe unquam poterit.

Habes hic primas paginas novae *Livii* editionis, in quibus forſan omnia placebunt, praeter illa quibus nos ſubſcripſimus. Itaque petere non auſim, ut noſtris iſtis oculum adiicias; ſatiſque nobis erit, ſi in turba potuerimus latere. Tomum ſecundum penitus a me elaboratum *Elzevirio* iam tradidi. Nunc animus fert paulum otiari, antequam ad tertium convertar. *Thomas de Pinedo* pene me obſtrinxit ad publicanda Peruſina *Stephani* (1), dum publica voce me appellat, ut ex appoſito folio intelliges.

Graevius in ultimis literis haec ad me: *Magliabequii gratiſſimum munus propediem penſabo pro mea facultate Tullianis Epiſtolis, quas in dies expecto. Iam ante quatuor hebdomades omnia ſunt profligata. Cur nondum in publico compareant, & nullum ad me perferatur exemplum, exputare non poſſum, nec reſcire ab Elzevirio ſaepius a me ſollicitato fru-*

1 *Variae Lectiones in Stephano ex MS. Codice Abbatiae Peruſinae collectae ab Iac. Gronovio, & eiusdem notae. Lugd. Bat.* 1688. in f.

fruſtra. *Interea cum reſponderis Magliabequio, quaeſo ut amantiſſimis verbis eum ſalutes, & ſimul expiſceris num noviſſimas meas valde ponderoſas acceperit*. *Curatae ſunt ab Elzevirio*. Haec ille: ad quae, ut & ſuperiora, precor ut aliquid ſaltem reſponſi digneris exarare. Vale Honoratiſsime Domine, & perge favere ei, qui toto animo vivit &c.

Daventriae die feſto Iulii 1677.

An nulla ratione ſperari a me poſſunt icones Columnarum Antonini, & Traiani, quos Romae editos hic rumor eſt. Quidquid nummulorum erit perſcribendum, ſimul indicaveris, libens lubenſque mittam:

EPISTOLA XXIIII.

QVia poſt paucos dies proficiſcendum mihi erit in Hollandiam, ideo differebam reſponſum ad priores Tuas, quibus indideras *Acta Bononienſia de Face Volanti* (1); ſed aliis aliiſque impedimentis dies ſingulos eximentibus, ſupervenerunt nunc mihi aliae Tuae, in quibus & ſunt ad *Cuperum*. Si perſpecta eſt Tibi indoles mea, quae non poteſt non eſſe Tibi perſpectiſsima, ſcias oportet,

G 2

1 *Petri M. Cavinae Acta Theſium Bononienſium occaſione controverſiae ſuper diſtantia, & itinere Facis, ſeu Lampadis volantis anni* 1676. *editarum, quibus defenſionis dumtaxat animo pro ſuarum Diſſertationum veritate narratis accedit Appendix Aſtronomica*. *Faventiae* 1677. in f.

tet, tum ſemper me ſummis & pluſquam humanis efferri gaudiis, quoties intelligo laetum aliquid Tibi evenire; tum in primis, ſi per me tale quid fiat, aut fieri putes, qui vel animam Tibi deberi a me agnoſco.

Caeterum ſi quos ad reverentiam Tui excito, id noli putare me potius Tua cauſa facere, quam ipſorum commodi ergo, vel ut gratias agant Divinae Liberalitati erga ſeculum hoc noſtrum, cui Tu contigiſti, vel ut ſciant, quo ipſis tuta ac parata via ire liceat, ſi vel conſilio vel alio quo adiumento ad nobilia incoepta, quae fortaſſe animo habent perpetranda, egeant. In his tamen nullus eſt *Iacobus Tollius*. Abſit, Domine, abſit, ut adulatorem, neſcias ingratiorem, an magis immodicum, Tibi ſiſtere ſuſtineam. Is enim ab *Heinſio*, quum in Svecia Legatus eſſet, domo eiectus (erat enim ipſi a manu) quod malefidus in libros eius fuiſſet, ac nudus in patriam reverſus tamdiu Patrem meum divexavit, ut tandem Recturam Scholae Goudanae ei impetraret. Ibi non contentus munere ſatis alioqui in his regionibus laudato, & copioſo, repente medicum profiteri voluit, & infeſtius quam fas eſt in ſectas vel Religionum vel Reipublicae ſe immergens, per haec tempora rurſum expulſus, ruri pueros aliquos erudiendos circumſpexit. Vnde varia agitans, ſpem impudentiſſimam capere auſus eſt in Academiam Leidenſem irrependi, atque ideo depoſita omni verecundia, farraginem ſimilium locorum in *Orationem Ciceronis pro Archia* corrogavit, cum ſpecimine laboris ſui in *Dionyſium*

ſium Longinum, ubi iſte homuncio taxare *Ovidium* auſus eſt, illepidiſſime quidem, & in ea parte, quam omnes ut ingenioſiſsimam admirari debemus. Quod plus eſt, id *Spanhemio* Theologo dedicavit, homini omnia turbanti, atque etiam averſiſsimo ab illis, quibus antea *Tollium* fuiſſe addictum ſignificavi: inque ea dedicatione eius epiſtolam omnibus convitiis & diris excipi dignam. Et hic idcirco multum pro iſto, ut intellexi, prenſavit, ſed irrito ſucceſſu. Itaque amare non queo, nec commendare oſtentatorem infamem prorſus: & ſicuti quid Tu vel feceris vel facturus ſis, ignoro, ita & illa Tibi ſcribenda iudicavi, & quoque monere, ut videas etiam atque etiam, quid ei reſpondeas. Non enim continebit domi reſponſum Tuum, ſed publice omnium lectioni exponet, ventilabitque.

Cl. Kavinae Diſſertatio facile ſuam tuebitur ſententiam; ſed ultimam illam periodum ex *Carpzovii* praefatione omiſſam mallem. Non enim *Carpzovius* illic loquitur de ſigno in aere viſo, quod *Aquilam* vocavit, quemque in fumos quandoque abire dicit, ſed intelligit alteram *Aquilam*, a Veneto amico noſtro ſcriptam, plenam adulationis erga Gallos, atque adeo inſcriptam *Aquilam Imperii Gallici* (niſi fallor) quam ut omnes alii Germani, ipſe quoque deridet ac ludibrio habet.

Cuperus epiſtolam Tuam laetus vidit. Eſt apud amiciſsimum mihi ſenem liber hoc titulo: *La terza parte del Teſoro Politico, nella quale ſi contengono Relazioni, Inſtruzioni,*

ni , Trattati , e Diſcorſi , non meno dotti e curioſi , che utili per conſeguire la perfetta cognitione della ragione di Stato . Non prima dati in luce . Turnoni 1605. Cupit ſcire, quis auctor ſit , & edoceri , an comparari duo priora volumina queant . Admodum enim iis legendis delectatur .

Haec ego quum circa quintum Octobris diem conſtituiſſem ad Te ſcribere , negotia quaedam mea Bremenſia me ex patria evocarunt , & non modo illuc , ſed Hamburgum quoque excurrere compulerunt , ubi cum *Gudio* (1) (ob rixas inter Regem Daniae & Holſatiae Ducem illic exſulante) homine nunc etiam Tui ſatis ſtudioſo , non pauca garrivi , & cum Patruo meo , qui & mihi gratulabatur , quod tantum patronum inveniſſem , & licet militiae addictus , tamen mirifice ſtudiis etiam inter ipſas urbicas excubias delectari ſolitus , ingenti favore nomen Tuum proſequi coepit.

Bremae vidi praeter exſpectationem *Nicolaum Meierum* Conſulis filium , egregie in Tua memoria laetum , & quantum horae unius ſpatio aſſequi potui , perelegantem. Alterum *Meierum* , qui ex Vrbe Romana importunas literas ſcripſerat , fruſtra quaeſivi ex oppido tunc profectum , ut dicebant . Inde redux ternas Tuas apud fratrem meum inveni , omnes ſtudio Tuo ſingulari , & humanitate immenſa refertas , ſed quarum nullam abſque lacrimis legi . Adeo omnia deſciſcere &c. ſed iſta lubentius praeteribo.

Quod

1 *Marquardus Gudius* Vir doctiſſ. & ſcriptis editis notus.

Quod primum eſt, adivi *Heinſium*, & quid de *Poemätibus Paderbonenſibus* reſpondere Tibi deberem, rogavi. Is igitur rem ſic habere ait: Principem ſibi aliquando multa exemplaria permiſiſſe viris eruditis hic illic conferenda; ex his quaedam ab ſe miſſa Florentiam ad *Carolum Datum*, editis nominibus iſtorum quibus donari voluiſſet. In iis fuiſse Tuum. Eos libros ab Gubernatore Portus Liburnici veniſse ad fratrem *Dati*. Ab illo igitur *Dato* petere Te debere. Addebat Principem, qui nupertime Hagae fuerit, duo rurſus donaſse ſibi exempla *Monumentorum Paderbonenſium*: ex iis alterum exemplar ſe tradidiſſe *Graevio*, qui pollicitus ſit id una cum *Familiaribus Ciceronis Epiſtolis* ad Te ſua opera venturum, idque petebat ut Tibi ſignificarem. Igitur ſi veniant illa ad Te, non eſt, quod ad Principem referas; & ſatis credo fore, ſi per *Graevium*, (prout hic tum ſcripſerit) uno verbo grates *Heinſio* dicas: ſi modo accipere id exemplar dignaberis. Id omne eſt, quod ab *Heinſio* audivi. Nam reliqua querelarum, quas iterum repetebat, de adfirmatione Tua commutationis librorum, quae inter ipſum & *Carolum Datum* interceſſerit, taedet apponere.

Super omnia volupe eſt in mentem mihi veniſſe, ut quas conſtitui in epiſtolarum formam publicare Notas, earum principia Tibi primum cognoſcenda eſſe cenſuerim. Ne quidquam inter nos effluat paucis ago; & Te credere iubeo, omnia quae mihi ſignificaviſti, Oraculi ac Divini nuncii vicem fidemque apud me obtinere. Itaque quae ſcripſiſse me vi-

diſti, non ſcripta ſunto. Certum tamen eſt, officioſiſsime ab Illuſtri Viro illo (1) Bononiae nos exceptos: & quum per omnia nos deduxiſſet, in Muſeum nos recepit exigua, ſed nitente externis ornamentis Bibliotheca inſtructum; praecipue illis libris, qui in hac regione prodierant, quos, & nos, & omnes docti contemnimus. Et ipſe quoque videbatur incipere ridere, neſcio an ſermone noſtro commotus: putabamus autem proprio iudicio id ab ipſo fieri. Itaque perſaepe & ipſe, & *Ruleus* comitatem eius memoravimus, & ad eum uterque ſcribere propoſuimus: ſed ſemper dilatione quadam intercidente huc devenimus. Ego a Te admonitus cavebo, ſpero autem Te omnia Tibi ſoli ſervaviſſe; nec cum quoquam verbum ullum communicaſſe.

Stenoniana, & quae ad *Graevium* mandas, curabo diligenter. Hic magnam expectationem reſponſi huius Tui diu fovit, eritque ei acceptiſsimum.

Tomas de Pinedo ſaepius omnia fauſta Tibi per me mitti iuſsit.

Ad Cl. *Goeſium* retuli hac hora, quae mihi ſcripſeras: iſque binas Tuas recte ſe accepiſſe affirmavit, & iam reſponſum ad eas cum tertio foenore ad Te remiſiſſe. Hinc ego non omiſi vel Tuo nomine ipſi gratias agere, profeſſus ingentem laetitiae partem ex veſtra inter vos conſuetudine ad me fluere, ut certe fluit. Omnino uterque eſtis viri honeſtiſsimi, & *Goeſius* ſummo favore me videtur incoepiſse complecti; ut ſancte mihi pre-

can-

1 Comes *Valerius Zanius* de quo ſuperius egit.

candum ſit, quo haec nupera inter vos concordia magis magiſque in dies coeat & arctius conglutinetur. Frater meus, in cuius cubiculo iſta ſcripſi, Te plurimum ſalutat. Id quod & ipſe facio ex omni affectu.

Quaeſo, mitte mihi, an *Steno* veſtras ſit renunciatus Epiſcopus.

Hagae Comitum die 18. Novembr. 1677.

EPISTOLA XXV.

CAuſam intermiſsionis literarum ex prioribus meis iam percepiſti opinor, ſi modo eis ſperata in curſu fortuna contigit, quam habuerunt poſtremae Tuae. Noli quidpiam de me ſollicitus eſse; fieri nequit, ut unquam poeniteat me honeſte feciſse; fieri nequit, ut lugeam conſilio Tuo obtemperaviſse: neque id operabuntur in me iſta exempla quae colligis (quae tamen ſic evenire moereor ſane ex animo) ſed quod mihi id ipſum ſententia mea ſemel perſuaſit de rationibus Tuis in conſilium ingreſſa; adeo ut nunquam ceſsaturus ſim hoc quoque nomine gratias tutelae Tuae, ac benignitati etiam ex longinquo mittere.

Nequeo me continere quam nuper riſerim, ob nuncii lepidi profecto inſulſitatem: ſcribebat enim ad me *Antonius Matthaeus* in Academia Leidenſi Iuris Profeſsor ſatis eruditus, *Ioannem Coccium* Collegam ſuum habere in animo editionem *Appiani*, quae quum ſine ope Manuſcripti procurari vix poſsit, eo nomine aut iam ſcripſiſse, aut ſcripturum eſse

ad

ad Te. Quem putas Te videri iſtis ineptiſsimis hominibus? non ſecus ac ſi tralaticius quidam omnium ſcriptorum Codicum inſpector eſses, & opera Tua velut vulgaria ipſis quoque proſtaret, vel ut aliquis ex ipſorum grege? Hic *Coccius* vero quum omnia dicatur legere, tam abſurdi tamen eſt ingenii, ut ſciat omnino nihil, & ex triviali ſcholarum Rectore in Academiam importatus nil niſi.... edit; unde & quum Senatus ei impoſuiſset laudationem Patris mei, me in Galliis abſente, tam infantiliter omnia egit, ut nec gratias illi agere, nec edere illam (qui mos eſt) voluerim. Vehementer deſidero ex Te ſcire, ecquid iam iſte homo ſignificationem aliquam huius propoſiti apud Te ediderit: Ego enim quum reſponderem *Matthaeo*, ſcripſi eum valde ridicula narrare.

Danorum munera cupide expecto: neque omittam, ſimulatque accepero, ſolemnes ipſis gratias in Daniam mittere, prout iubes. *Cuperus* has mihi litteras reddidit, quae mihi ſuperiora ſcribendi cauſam dederunt, nihil alioquin habenti, niſi ut Te certum faciam me eſse Tui quam maxime reverentem, optareque omnia ſalva & felicia in hoc temporis circuitu. Vale.

Daventriae die 22. Decembris 1677.

EPI-

EPISTOLA XXVI.

OMnibus feſtivis voluptatibus, quas ut aliis horum locorum incolis, ita & mihi attulit novi anni periodus, non dico immenſam aliquam partem, ſed ipſum cumulum & caput ſuperpoſuere Tuae, quas die 28. Decembris dediſse Te ſcribis, literae non tam argumento, & rebus pleniſsimae, quam amoris ſtudiique Tui priſtini ſignificantiſsimae. Etſi enim doleam illo ſatis aculeato dolore Tuo, vel potius noſtro communi, quos intelligo tam brevi tempore rurſus ita multiplicem, & apud vos & in aliis locis iacturam feciſse in tot ſplendidis mortibus (praecipue me tetigit repentinus *Velſchii* obitus, cui eo ipſo tempore reſponſum parabam propter Legem in Digeſtis, de cuius lectione, & ſenſu me conſuluerat) ita ſcilicet adminiſtrante fato, ut intelligeremus non poſse converſionem temporum abſque tonitru, quod nos afflaret, & alicunde ambureret, praeterire; tamen quum iam diu didicerimus humanitati veniam dare, praegravarunt apud me, & quantacunque fuit, iſtius offenſionis μειλίγματα fuerunt illa capita, quibus multiiugam in poſteros dies ſpem bonam excitaſti. Nempe licebit aliquando, & quidni iam licet? etiam ſeculo noſtro fateri ἐστὶ δίκης ὀφθαλμὸς, & qui meruerunt poenam habebunt, & Tu, quem mihi primum tanta notitiae innocentia copulavit, mox familiarius introſpecta vitae morumque ratio, & eru-

& eruditionis ſumma venerabilem fecit, eris & manebis eo ordine & gradu, in quo ſemel Te virtus Tua collocavit. Vive igitur, Honoratiſsime *Antoni*, amor Maximorum Principum aeque ac Civium Tuorum; & quoniam haec Tua poteſtas eſt, effice, ut Tuo auxilio agnoſcatur in domo Auguſta avulſo priore non deeſse alter aureus, & toto orbe fulſurus ramus. Flens pene hoc Tibi ſcribo, flens illam ſuaviſsimam epiſtolae Tuae partem legi, qui toties ante, ut meminiſti, omnia alia invitiſſimus perceperam. Spero Te quamprimum mihi indicaturum nefarii iſtius hominis tragoediam.

Vbi tempus dabit, de *Carminibus Furſtenbergianis Heinſium* certum faciam, ut & *Graevium* eius quod iubes; quanquam is nihil unquam ad me de *Operibus Salmaſianis*, quum certe & ipſe ſim numeraturus.

Ante paucos dies, quum allatus eſset in urbem hanc liber Gedani impreſsus, *Faſti* nempe, & *Encomiaſticon Livianum Eliae Conſtantini von Trevven Schroderi* (vides Germanum Allemannum) cupidiſsime illum comparavi, ſed ſtatim deprehendi ſperatum theſaurum in carbones exiſse. Nam & Faſti erant ex aliis compilati, & in Conſulum nominibus non quid dicendum ipſi placeret, ſed quid dicerent alii, notatum erat, & *Encomiaſticum* quoque erant aliorum verba, ut nihil iſte homo me docuerit. Sed in ipſo *Encomiaſtico* memoratum vidi aliquod excerptum ex *Sertorii Vrſati Monumentis Patavinis* (1). Certe quum ſaepe mihi de

1 *Sertorio Orſato: Iſtoria di Padova, Parte I. Padova per il Frambotto* 1678. in f.

de hoc illuſtri viro praedicaveris, non ſine rubore illic animadverti illum quoque in ea opinione verſari, ac ſi Patavini ipſa Hiſtorici *Livii* oſsa, & monumentum ei erectum poſsideant, atque adeo multa narrare, quae nullo modo probari poſsunt. Certe inſcriptio ſepulchri docet illic agi de quodam *Tito Livio*, qui fuerit libertus cuiusdam *Liviae Quartae*, idque apparet ex cognomine *Halys*, quod oſtendit eum Graecum hominem fuiſſe, & nomina *Titi Livii* adſumpſiſſe ab patrona. Indignum prorſus eſt, & indecens eadem rurſus imprimi, quod tamen ſcribis, niſi fallor, de hoc ipſo opere.

Theologus ille non eſt *Spanhemius*, ſed *Burmannus Graevii* collega, vir imprimis facundus & eruditus, & cui hoc accidiſſe nollem. Sed qui manum de tabula auferre nunc nequit, vapulare ſolet. Ampliſſimum Senatorem etiam, quum locus eſt, occulte tentabo, ut mones.

Valde grata ſunt, quae narras de *Auguſtini* Epiſtolis, & *Stephani* Manuſcripto, ſaltem id Te oro, ut feſtines illam collationem. Amico noſtro, cuius ea intereſt, iam ſignificavi benevolentiam hanc, & curam Tuam.

Epiſtolarum mearum ad *Titi Livii loca Geographica* editio in paucis diebus fiet. Literarum forma, quas huic rei deſtinavit Typographus, eſt iuſto minor, & pertenuis; ut pene taedeat me *Elzevirio* iſtas commiſiſſe: & id cum eo queſtus iam ſum, petens ab eo veniam, ut mihi liceret aliis literis, meo ſumptu alibi vulgare; ſed non concedit. Profecto admodum aegre me res illa commovit: ſed,

id ſolum maximo labore conſequimur. Vide rationem meam. Simulac finitae erunt, aliquot exempla ad Te dirigi curabo. Vale, Magne *Magliabequi*, & perge pro Tuo habere qui eſt &c. Ill. *Seminettio* (1) omne officii genus a me ut deferas, quaeſo.

Quum iam iſta ſic ſcripſiſſem, interior animum cogitatio ſubiit de tam benigna Illuſtris Viri erga me comitate, & in chartas effundere caepi, quae mihi exultans animus propere dictavit: quae ſi ita cenſebis, trades cum commemoratione amici pectoris mei, nec tamen quod ſuperius poſitum eſt omittes. Idque omnibus noſtris facias, peto. Quod pene omiſeram, inprimis *Gaetani ἄνοιαν*, & imprudentem ſtulti fervoris indulgentiam doleo. Qua conditione is Roma nunc utitur?

Daventriae die 21. Ianuarii 1678.

EPISTOLA XXVII.

Minime vero, ut ex conſuetudine noſtra, tam familiari, tam conſociata quidquam immutandum cenſeas, aut ego is ſim, qui diligentius abs Te agi mecum velim. Quod quomodo in me caderet, qui, Deum teſtor, nihil prorſus poſt privatas meas curas eſſe, quod voluptate pari me adficiat, quam Tuorum beneficiorum recordationem ſimpliciter ac non meditate ſcriptis, eoque ipſo magis placentibus

1 *Averanus Seminettius* Nob. Flor. de quo V. *Negri Iſtoria degli Scrittori Fior.* 73.

bus epiſtolis Tuis excitatam, quarum quidem ego nullam huc uſque accepi, ex cuius lectione non aliquid comprehenderim, quod ſcire & intererat, & iucundum fuit. Itaque foveo haec gaudia mea ſtudioſe, & extrema expectatione ſuſpenſus vivo ad horam, qua Tuae ad me curari ſolent: & per benignitatem Tuam plurimam Te precor, ut tum in hac ratione perſtare mihi ad ultimum liceat, tum quam frequentiſſime ſuaves illas ſarcinulas exhilarare me permittas. Ego autem quod aliquantum temporis deſedi, credas oportet ita frigide in otio nos vivere, ut vix argumento merito impleri epiſtola queat. *Livii* etiam editio immenſus labor eſt, quod quotidie magis ac clarius comperior, ut vix ad eum accedam, quin novi quidam ſe prodant ſcrupuli. Sed & quum hinc me expedio, tot in re familiari nugae me adſiliunt, ut ſaepe officii debiti rationem habere impediar. Itaque ſi recte rem aeſtimare conſtituis, miſerearis mei oportet, non vel minimum ſtomacheris, & tanto crebriore literarum Tuarum dulcedine, ac amoris Tui benevola interpretatione conſoleris; maxime quum partim *ἀκριβεστάτη* Tua eruditio, partim inaudita ad ſuccurrendum omnibus facilitas eam dignitatem acquiſierit, ut quae per Literatam Europam geruntur, cunctis ad Te referri ſolitis, non poſsit non Tibi quavis hebdomade abundare materia, quam mihi eſſe unice iucundiſſimam ſatis abundeque perſpectum habes.

Iconem Nummi Othoniani ſtatim ad *Graevium* ex dono Tuo miſi, ut & epiſtolam ad *Goeſium*; quae quin maximum ſit factura momen-

mentum, dubitare nullus debeo. Quare & Tibi ob nobile illud excerptum maximopere nova vice obſtrictus ſum, & quantas debile, ſed efferveſcens in Tui admiratione pectus poteſt, gratias dico, & ſimul commodum erit, faciam, ut hanc ſententiae ſuae declarationem amet Sereniſſimus noſter; quod quo minus nunc poſſim exſequi, faciunt multiplicia negotia, quae me circumſtant.

Ego autem ut vere dicam, nihil a Te de Leidenſi Cathedra (1) retuli, quod eam rem ad me pertinere nullo modo cupiam, atque ideo etſi bis ter ab amicis monitus, nolui me hinc movere, aut odoratum in Hollandiam proficiſci; quum & optime norim iſtas occupationes, quae ſi mihi ſupervenient, facturae ſunt, ut poſthac nihil queam perpolire egregium; atque adeo hanc vacuam liberamque vitam amare iam incepi. Vehementer tamen in

1 Non diu poſt *Gronovius* Graecae Linguae, & Hiſtoriarum Profeſſor P. in Academia Lugduno-Batava renunciatus eſt; & Orationem ſuam inauguralem edidit hoc titulo: *Iacobi Gronovii Oratio de Ratione ſtudiorum ſuorum recitata publice quum Graecae Linguae, & Hiſtoriarum Profeſſioni auſpicaretur, die octavo decimo menſis Martii* 1679. *Lugduni in Batavis apud Iacobum Gaal.* in 8. De illa autem haec ſcribit ad *Magliabechium* in Epiſt. data Leidae die 10. Octobris 1679. *Non diſplicuiſſe Tibi prima verba, quae publice proloquuti hic ſumus, triumpho. Vtinam ſemper iudicium hoc Tuum merear! & quidem cum maxime in* Livio, *quem Tibi ſecum portabit Frater ille meus unicus, ille mihi toto pectore dilectiſſimus, & candidiſſimus Frater.*

in eo negotio *Goeſium* ſe ſtudioſum mei ſignificaſſe, idque ſponte ſua, nec a me, nec a Fratre meo rogatum, undiquaque intellexi, ut quiſquis demum exitus futurus ſit, multum iſti amico noſtro debeam.

Quae de *Nicolao Antonio*, *Paulo Ricaldo &c.* memoraviſti, tam iis gaudeo, quam non eveniſſe vellem, quae ingrata Tibi accidiſſe narras, vel mortibus amicorum Tuorum, vel facinoribus iſtius inhumanae μοναχικῆς excetrae. Quando illum diem, quo ſerena ac plena tranquillitas dies Tuos, ut mereris, comitabitur? Sed quid querimur? quaſi ipſam mundanae huius nequitiae faecem ad votum noſtrum commutatam ſubito velimus, cui tot ante noſtram aetatem praeſtantiſſimi homines ſanguinem dare coacti ſunt? Sed Tu impera modo Tibi, ut velis omnia vincere; rem profligatam habebis: & excellenti naturae Tuae cedere debebunt.

Si nomen navis ab Fontano ſuggeſtum miſeris, forſan potero aliquid expiſcari; etſi ego iam perſaepe ſim expertus mercatores non eſſe noſtrae Muſae homines.

Literae Ignatianae poterunt haud dubie multum illuſtrari ab *Pearſono* (1) modo iſta collatio ſit inſtituta cum attentione: nam non pauca ibi requirunt ingenium ac doctrinam.

Exſpecto ardenter locos *Senecae* inſpectos

1 *S. Ignatii Ep. Antiocheni & Martyris Epiſtolae genuinae iuxta exemplar Mediceum denuo recenſitae, Graece una cum veteri Latina verſione, & cum Annotationibus Io. Pearſoni, & Thomae Smith &c. Oxonii* 1709. in 4.

ex optimo Codice Laurentiano. Etiam in *Anno Liviano* Lib. XXII. Cap. II. non poſſum mihi ſatisfacere; nec quae attulerunt alii, melius placent. Haec in tempore occurrunt, quae Tibi ſcriberem; neque reſtat, niſi, ut Tibi valetudinem Tuam, & amorem porro mei commendem. qui vere vivo &c.

Daventriae a. d. 3. Idus Decemb. 1678.

EPISTOLA XXVIII.

QVibus binis me viſitare voluiſti, eas, & accepi recte, & habui longe gratiſſimas. Praecipue me exilarabat conſpectus priorum, quas Calend. Novembr. dediſſe Te ſcribis, quod quum eſſent craſſiſſimae promittebant longum abs Te ſermonem, quo quidem mihi crede, nihil rerum omnium poteſt eſſe iucundius. Sed apertae longe alium mihi habitum dabant, quod non Tuis verbis, ſed *Anatomia Oculi* (1) ſtipatae erant, quam Tuo munere iam diu noveram. Ego autem Tua verba deſidero, quae nullis aliorum redimere, aut mutare velim. Itaque rectius feciſti, quod deinceps pleniores mihi literas miſeris,

1 *Anatomia artifiziale dell' Occhio Umano deſcritta dal P. N. B.* (*Niccolò Bartolini* ut puto) *inventata, e fabbricata nuovamente da Gio: Batiſta Verle Veneziana* (Tornitore della Real Galleria) *e dedicata al Ser. Ferdinando Principe di Toſcana. In Fir. e Venez.* 1679 in 8. Latine reddita, & recuſa eſt Amſtelodami 1680. in 12.

ris, quae maximo fuere mihi gaudio in tam infeſto febris horrore, qua iam ipſas decem hebdommades rigidiſſime vexor, ſic ut nec publicae, nec privatae rei quidquam gerere poſſim, iaceantque cum maximo dolore meo omnes libelli. Quare ſummas Tibi ago, habeoque gratias.

Caeterum de quo ne verbum quidem ieciſti, ante omnia per quidquid debet, ac poteſt eſse ſanctiſſimum Te precor, ut ubicunque inveſtiges quo loco ſit Frater meus, utrum Genevae, aut Mediolani, aut Romae nihil amicis Tuis de eo innotuerit. Non potes dubitare, quin eius vicem vivam ſollicitiſſimus, qui die 27. Septembr. Pariſiis egreſſus, & recta ad Te proficiſci in animo habens, die XXI. Novembr. nondum Tibi apparuerit. Omnia peſſima timeo. Oro Te rurſus omnem in modum, ne hanc meam anxietatem flocci habeas, ſed quamprimum poteris, eam diſſipes & abigas. Ipſe quidem omnino peccat, ſi tanto tempore nullas ad me literas ſcribendas cenſuit.

Quod ad exemplaria *Epiſtolarum Ciceronis* attinet, omnino nihil ſcio, nec quando miſerit, nec ad quos deſtinaverit amicus noſter. Interim prima occaſione faciam, ut habeat verba epiſtolae Tuae. Nam de altero illo quod ſcribis in adiecta chartula, multo minus novi: adeo penitus abſtraxi me ab illo (1), & alienavi; ut ne videre quidem velim, nedum ullum cum eo ſermonem habere: itaque nec *Livii* exemplar ad illum miſi: & quicquid

1 *Io: Georgius Graevius*, ni fallor.

vel dicat, vel faciat, tanti non aeſtimo. Agnoſco interim veritatem querelae Tuae, quod qui Te tam lato ſermone celebrandum iudicavit, is oſtendit magis ſe fidere aliis, ſed ipſa re, quam Tibi. Ego autem quum ab ſoco, & extra cubiculum meum exire non poſſim, nullo modo compos ſum, vel cauſam tantae varietatis inquirere; vel Tibi eam indicare; quod tamen, ſi me Deus ſalvum, & incolumem aliquando reddiderit, non negligam.

Pariſiis intelligo fratrem meum ab *Elzevirio* accepiſse iuſſu meo exemplar *Livii* ad Te deportandum. *Cuperus* faciam, ut recte epiſtolam Tuam accipiat.

Saepe mihi conſiderare contigit, unde tam antiquus in Latio *Martis* cultus prodierit, ut multo ante Romam conditam conſecratos habuerit lucos. *Huetius* in praeclariſſimo *Demonſtrationis Evangelicae* opere nuper edito (quod evolviſse Te non dubito) multa de omnibus aliis Diis divinat, de hoc ſolo ait nihil. Eſt autem id tanto magis mirum, quod *Mars* proprie Thracium Numen, quod neſcio qui in Italiam adeo propere venerit. An legiſti aliquid, aut habes in expedito, quo me iuvare in hac dubitatione potes?

Appendicis Tuae *Bibliothecae Neapolitanae*(1) maximam mihi ſitim excitaſti. Itaque horas ipſas numerabo, donec nanciſcar.

De

1 *Niccolò Toppi: la Bibliotheca Napolitana. Napoli* 1678. in f. *Lionardo Niccodemi: Addizioni copioſe alla Bibliotheca Napolitana di Niccolò Toppi. Napoli* 1683. Poſtremum hoc opus fere totum e *Magliabechii* ſymbolis crevit.

De *Baronio*, optimo, & erudito ſene, taedet, doletque quod narras.

In ſtudiis hic parum novi: niſi quod amicus noſter *Gr.* narratur mihi *Catullum*, aliosque duumviros nova recenſione edidiſse cum aliorum commentariis, ut ſolet magnos libros edere aliorum ingeniis, quibus ipſe vix pauciſſima interſpargit. Caeterum *Iacobus Perizonius* edidit tres eruditiſsimas *Diſſertationes*, I. *De Conſtitutione Divina ſuper ducenda defuncti fratris uxore*. II. *De Lege Voconia*. III. *De Variis antiquorum Nummis*. Has vellem haberes; nam cum voluptate legeres. Vale, Honoratiſſime *Antoni*, & me veteribus amicis commendans, inquire ſodes de Fratre meo (1).

Lugduni in Batavis die XIII. Decembr. 1679.

1 In aliis Epiſtolis datis Leidae d. 2. Februarii, 11. Aprilis 1680. 14. Kal. Octobres 1681., & d. 6. Maii 1682. quas omiſimus, fuſius de Itinere Italico *Io: Frid.* fratris ſui agit *Gronovius*. Ille quidem diu ſubſtitit Florentiae aperta favoris ſignificatione a M. Duce exceptus, & ingentibus beneficiis a *Magliabechio* cumulatus; cumque plures veteres Scriptores cum codicibus MSS. Biblioth. Laurentianae contuliſſet, in Patriam reverſus eſt menſe Maio 1682.

EPISTOLA XXIX.

QVod primum omnium eſt, quodque praecipue vereor ne obliviſcar, peto ut quae ſunt in Laurentianis ſcriniis exemplaria *Taciti* bina (alterum eorum continet libros *Annalium* priores ſex, alterum ſequentes ab undecimo, literis Longobardicis ſcriptum) ea inſpicias, noteſque, an vel nomen auctoris, vel operis titulus in ipſa fronte habeatur, & literis ne illa iisdem, quibus ipſe liber, ac manu, an diverſis. Refert mihi ea ſcire. Id ut non modo petere audeam, ſed etiam in prima huius epiſtolae parte, antequam gratum me oſtendam pro tot recentibus ſtudii Tui experimentis, facit confirmatiſsima illa fiducia, quam Tua facilitas mihi indidit, ita nimirum velle Te, ut ad opem Tuam in omnibus meis dubiis decurram. Interim ego non deſino quotidie millies exoſculari comitatem Tuam, tum in *Carmine* politiſsimi *Verini* (1), tum in *Poggiano Dialogo* tranſmiſsis, ſed maxime in tantis auxilio Tuo per fratrem meum collectis ſtudiorum adminiculis commodum huc allatis. Et neſcio an non, licet haec ſint ſumma, tamen praeponderet eximia interioris animi Tui declaratio adverſus illud vitium ſaeculi noſtri, ſed quod pauci videre poterunt. Pro tanto beneficiorum cu-

1 *Vgolini Verini Poemata edente Nicolao Bartholino. Lugduni* 1679. in 12.

cumulo gratias ago maximas, uſurus ſingulis, prout Tu iuſsiſti partim, partim poſthac iubebis.

Quoniam autem ex eo, quod ultimum attigi, intelligo innotuiſse publice illam meam; ſcias oportet, me inprimis haeſiſſe in eo, quid ſcribere ex decore meo foret. Nam quum mercator Italus Amſtelodamo miſiſſet mihi *Cenotaphia Piſana* (1) non reliquit ille mihi deliberationem an vellem, ſed quotidianis literis urſit, ut ſcriberem, etiam priuſquam illa perlegiſſem. Itaque quum quinquaginta circiter paginas evolviſsem, perurſit ille, eo magis invitum, quod in illis ſane plura inveniſſem ridenda & vituperanda, quam laudanda, atque adeo favorabilem materiam epiſtolae proſus non offerentia. Propterea converti me ad rei huius ſummam contemplandam, quum utique negari nequeat, quin Sereniſsimus Noſter P. inſigne magnanimi favoris ſui erga literas documentum dederit, quod tanti temporis commeatum ab Academico labore indulgere voluerit, ſapientiſsimo conſilio, ut publica utilitas adiuvaretur. Sed quod ſcribere auſus non fui, dolui triſtiſſimus, quod viderem tam conſpecta & eximia benignitate frui ingenium nonniſi ieiuniſsima temeritate ferociens: etſi quid dico frui? potius erit ſi dixero perdere, & indignum in

 mo-

1 *Cenotaphia Piſana Caii & Lucii Caeſarum Diſſertationibus Henr. Noris illuſtrata; cum Parergo de Annis Regni Herodis; de Praeſidibus Syriae, ac Romanis in Aſia Provinciis. Venetiis per Balleonium* 1681. in fol.

modum abuti. Adeo quum paucas illas paginas perluſtraſſem, non irritata eſt mihi orexis ad reliqua cognoſcenda, ſed quidquid cupiditatis mihi adſuerat exſtinctum eſt, quum viderem eum in illis Diſsertationibus non inſtar φιλολόγυ cum iudicio inter flores amoene deambulare, ſed quaſi feram belluam rupto fune emiſsam furere, & bacchari nunc in eos, qui cum honeſtiſsima memoria defuncti ſunt, inſultantem, rurſus eos, qui nunc vivunt, & nauci non ſunt, humillimis blanditiis adludentem: Quod Te quoque ſatis luculente animadvertiſse non miror. Sed, ut dixi, non omnes norunt, qualia ſint illa hominum corpora. Iam quod ad rem ipſam pertinet, ipſam Inſcriptionem nego liquide ab illo exhiberi: adeo optime conſcius mihi ſum multorum, quae longe aliter, & melius in ipſo marmore exhibentur. Pag. 20. refutat, & plane nominat Cl. *Graevium*, quaſi qui argumentum *Epiſtolae Ciceronianae* praefixerit de anno quo illa ſcripta eſt; quum diu antequam naſceretur *Graevius*, in mundo illud fuerit, & in editione Elzeviriana modo revocatum, ut ne inſpexerit quidem, opinor, *Graevius*. Pag. 3. de Piſa loquens Peloponenſi Vrbe, vocat *Virgilium* locupletiſsimum auctorem, quum utique, ſi nemo alius eum confirmaret, Virgilius habendus eſſet fingens Poeta. Pag. 9. ſcribit *Strabonem* teſtari pag. 116. ſe Populonio inſcenſo Sardiniam, Corſicam, atque Aetoliam conſpexiſſe, ſcilicet quaſi nulla eſset differentia inter Aetoliam Graeciae regionem, & Aethaliam inſulam Maris Tyrrheni. Pag. 12. accuſat codices Livia-

vianos editos, id quibus perperam legatur *M. Baebium*, pro *Cn. Baebium*. At quid aliud facit, quam recoquere notam *Sigonii*, cui utique ab poſtremis editis Livianis codicibus obtemperatum eſse quiſque poteſt videre, ut ſero ille id moneat. Pag. 26. fingit hiſtoriam monachali hiatu ex *Dione* lib. 48. pag. 375. quaſi *Menas*, qui in maritimam Etruriam impetum fecerit, Piſanum agrum non levi clade affecerit. Sed nec vox *maritima* eſt apud *Dionem*, nec quidquam ibi legitur de Piſano agro; immo ne ſuſpicio quidem eſſe poteſt de Piſis; quum haud dubie partes Etruriae propiores Romam verſus invaſerit *Menas*, & intellexerit *Dio*, non Piſanum agrum. Pag. 27. ait *Narbo Martia*. Probet vel ſemel ſic illam Vrbem vocatam eſſe. Scriptoribus omnibus dicitur *Narbo Martius*. Pag. 29. ſcribit *ad Ciceron. lib. 8. Fam. Ep. 8. Doctiſſimus Graevius e vetuſto ſuo Codice legit SC. auctoritates*. Vbi hoc invenitur? Tantum de patre meo illic ſubiectum legitur. Sed ego deſino talium, non quia non eodem pede perrexerit, & melius prudentiuſque ſe in ſequentibus gerat, ſed quia non minus taedioſum erit Tibi illa legere, quam mihi ſcribere, & utriuſque noſtrum refert parum quid ille audeat coniicere in chartas, quum noſtra haec culpa non ſit. Sed ſane publice rei intereſſet, ut ad ſcientiam Sereniſſimi Magni Ducis ea inſania perveniret, ac recognoſceret Indulgentiſsimus Princeps, quam claudant illi oculos ad tam eximiam benevolentiam recte computandam, & unicam profecto aevi noſtri felicitatem reverenter aeſtimandam.

dam. Quod me attinet, certe nunquam videtur magis mihi ſuccenſuiſſe, quam cum me velut unum e numero ſui gregis illic inculcavit; nec ſane ab eo pendebit quid in poſterum futurus ſim, nec quidquam illum a me ſtipulari unquam paſsus ſum, quem multis exprimentis mendacem ſcurram eſse apertiſsime probavi. Sed mittamus iſta.

Habes literas ab amico noſtro communi, nam cum illo, ut iuſseras, egi, neque quidquam illi de *Columella* Tuo compertum.

Memini inter nos aliquando actum eſse de eo, qui in Alloquutione Patris pag 9. *Manilius Marullus* dicitur, quum is vocatus fuerit *Michael*. Sed nuper incidi in magnam auctoritatem, qua praenomen illud *Manlius* ei vindicatur. Nam in praefatione *Vrſini* ad *Feſtum* (illius enim eſſe autumo, quae inſcribuntur *Annotationes in editione Veneta*) ſic ſcribitur, *Eius libri adtecti ut ferunt ex Illyrico, habuit aliquas pagellas Pomponius Laetus, ut Prus, ut Polittanus ſcripſerunt; maiorem libri partem Manilius Rallus*. Sed in praefatione notarum ex editione Romana ſcribitur; *Ab eo autem ſeparavimus ſchedas illas, quas a Marullo dicitur habuiſſe Pomponius Laetus.* Idem qui nunc *Marullus*, ante appellatus fuit vitioſe *Rallus*, & cum praenomine *Manilius*.

Faſciculus librorum, quem Fratri commendaveras, noſtro *le Moyne* traditus eſt. Vtinam feſtinares in ſatisfaciendo & promiſsis Tuis, & meis votis, ac mitteres Epiſtolam *Nicolai H.* Frater meus multum Tibi ſalutem mecum mittit. Putas ne iuſtum, & decorum fore, ſi indulgentiam ei praeſtitam apud S. C. obſe-

quio

quio chirographi agnoſcam? Vale plurimum, & fruere cum D. Cl. Fratre Tuo communibus literis & iuſta in eis adiuvandis, promovendiſque gloria.

Lugduni ad Rhenum die x. Iulii 1682.

Per naves, quae nunc Amſtelodamo ſolvunt, venient ad Te terna exemplaria *Tragoediarum Senecae* (1) *Valeſianarum notarum ad Harpocrationem* (2) mearum ad *Stephani* *Δωδώνην* (3) quorum ſingula bene compacta facies ut habeat Bibliotheca Sereniſs. Noſtri P., & *ἡ μεγάλη Chriſtina*, & Tua ſcrinia.

EPI-

1 *L. An. Senecae Tragoediae cum Notis Io: Frid. Gronovii auctis ex chirographo eius & variis aliorum.* *Amſtelod.* 1682. in 8.

2 *Henr. Valeſii Notae & Animadverſiones in Harpocrationis Dictionarium, & Phil. Iac. Mauſſaci in idem notas. Lugd. Bat.* 1682.

3 *Fragmentum Stephani Byzantini Gramatici de Dodone cum triplici nupera latina verſione, & Academicis Exercitationibus Iacobi Gronovii. Lugd. Bat. apud Dan Gaesbeeck* 1681. in 4. Inſerta eſt pag. 40. Epiſtola *Steph. le Moyne* ad *Gronovium* in qua de Dodonaeo Oraculo diſſeritur. De ea *Gronovius* haec ſcribit ad *Magl.* in Epiſt. data Lugd in Batavis die 9. Iulii 1683. *Epiſtolam* Stephani le Moyne *longe aliam fueram opinatus, quam quidem eſt: quippe mihi non placent ita temere congeſtae coniecturae, ſic ut ipſe Auctor eligere nequeat; ſed quum mihi ſic daretur, debui inſerere amicitiae cauſa. Sed nullus certe articulus in ea eſt, qui mihi placeat, nec dimoveor quidquam a ſententia mea, quam illic propoſui.*

EPISTOLA XXX.

EX quo accepi parvulas Tuas literas cum Patavina Cometae obſervatione (quod quidem ante non paucas hebdomadas contigit) nihil de Te reſcivi. Quod tanto amarius me uſsit; quia in horas expectabam me intellecturum de adventu ad Te librorum mari ante multum tempus a me commiſsorum; aut ſi non illud, certe literas meas, per quas notoriam & nautae & navis & totius rei tranſmiſi, ut petere eos libros certo iure poſses, recte curatas intellecturum me ſperaveram. Sed neutrum reſpondit voto meo, nec quae cauſa moveat Te, ut malis ita latere potius, quam ex frequenti ſalutatione denſiſsimas voluptates praebere Tuo clienti, coniicere, aut aſsequi cogitatione poſsum. Nihilominus omnia proſpera de Te mihi propono, neque etiam nunc turbator ſacrarii Tui venio importunus, ſed tantum demonſtro, rem mihi eſse omnium gratiſsimam Te alloqui.

Bellinii frater nuper mihi adſtitit in comitatu nobilis Florentini (nomen excidit) ex peregrinatione Germanica per Angliam ad Vos revertens. Ex eo multa, opinor, de me audies. *Graevius* faſciculum diu latitantem his demum diebus recepit.

Heinſiani haeredes (quos noſti, credo eſſe IV. liberos *Goeſii* noſtri, in quibus puella paulo ante *Heinſii* mortem collocata *Carolo*

Cru-

Crucio, qui cum amicitia fideliſsima a primis annis mihi fuit) quum mecum agerent de *Catalogo*(1) in Italiam mittendo, & inter amicos hic illic ſpargendo, neminem affirmavi iis eſse, cui certius ac ſecurius fidere poſsent recte illa munera diſtributum iri, quam Te; quod negotium reor in his literis *Crucii* humanitati Tuae commendari.

Rector Scholae Harlemenſis eſt *Phil. Munckerus*, qui paulo poſt reditum meum imprimi curavit carmen *M. Muſuri*, praefixum *Platonis* editioni, ad *Leonem* X. P. M. Is ex eo tempore ſedulus fuit in conquirendis, colligendiſque omnibus, quae paſsim ſparſa magni illius, & tum doctiſsimi, tum ingenioſiſsimi viri leguntur: atque adeo nunc conſilium cepit memoriam eius Viri paulo clarius in his regionibus ſuſcitandi. Quod ut ſane probare cogor, ſic quacunque in parte illum iuvare potui, libens praeſtiti. Nunc Te oro, ut venias in auxilii partem, qui & pro firmitate memoriae, qua quicquid ſemel viſum complecteris, retineſque, & pro incredibili vel aſſiduitate vel varietate lectionis poteris non modo quam plurima conferre, quae nobis ſunt abſcondita, ſed unice illud omne perfectum reddere & abſolutum. Itaque patere Te exorari, ut quaſi indiculum conficere velis, & mihi mittere omnium eorum, quae aut meminiſti alibi exſtare ad *Muſurum* pertinentia, aut ipſe etiamnum poſſides. Curabo ego, ut

1 *Bibliotheca Heinſiana, ſive Catalogus Librorum, quos dum viveret, collegit Nicolaus Heinſius. Lugd. Bat.* 1682. in 12.

ut meritorum Tuorum habeatur iuſta ratio. Etiam ubi commode poteris, peto ut ſecunda vice inſpicias *Tacitum*, & ſtudioſe videas utrum illi adſcriptum ſit ex Fuldenſi Coenobio veniſse (ut nuper in Tuis ſignificaſti) an Corbeienſi, ex quibus non prius, ſed poſterius verum eſt.

Interea vidi comparationem a Te inſtitutam *Iof. Scaligeri*, & *M. Velſeri*; quam non indignaberis, ſi fatear me credere eam in tantum non mihi modo, ſed Tibi quoque veram eſse, quanto maioris animi ipſe exemplo, & documento Tuo oſtendis eſse, dignitates, & *cariche onorevoliſsime* contemnere, & ſolis ſe devovere ſtudiis, quam curiarum foeci ſe immiſcere. *Scaliger* cum *Velſero*! quanti huius errores in *Rebus Boicis* (1), ubi *Polybium* vitioſiſſime videas ab eo plus vice ſimplici deſcribi? ſcilicet tale quid fecit alter Heros?

Fuit *Petrus Paulus Vergerius*, qui iuſſu *Sigiſmundi* Caeſaris dicitur *Hiſtoriam Arriani de Alexandro* latinam feciſse. An non meminiſti aliquid Tibi lectum, ſi ea interpretatio vel edita ſit, vel extiet alicubi? aut potius an non ipſe eam poſſides? Quaeſo me inſtrue. Quod ſi *Crucio*, ubi exemplaria nactus fueris, reſpondere voles, mitte ad me, & ſocerum ipſius, affineſque ſalutare iube; quod ſcio pergratum fore. An auſa eſt manus mea intrare S. Palatium? Vale, Maxime mor-

1 *Marci Velſeri Rerum Boicarum Libri V. Auguſtae Vindelic.* 1602. in 4.

mortalium. Frater meus Tibi & gratias ſaepiſsime agit, & nunc ſalutem precatur.

Leidae die 18. Decembris 1682.

EPISTOLA XXXI.

FEci quod faciendum ſuggeſſiſti, ut vides. Tu illic meam vicem ages, ſpero: leges, releges, & ſi quid inconcinnum auribus Tuis accidet, potius combures, aut mihi remittes ut corrigam, quam tradas. Etiam momenta temporum leniſſima Tu noſti: ea captabis ſagaciſſime, ſi tradendam cenſueris, & ita ſignabis prudenter, ut ſigillum impreſſum non laedas. Tandem etiam ab inerti Bibliopola folium *Grotianum* abſtuli, quod in exemplari Romam, niſi fallor, miſso deeſſe Tu, & Frater ſignificaſtis; id etiam curabis. Etiam ab Mercatore Amſtelodamenſi accepi ſyngrapham, & indicium, cui Nautae, navique faſciculum meum ad Te iturum commendaverit, & ad quem Mercatorem Liburnenſem is deportaturus eſſet. Id noſtra lingua ſcripſi in tabella, quam adiectam vides; vel eam mittes ad noſtrum *Van Cappellen*, vel eius exemplum, & ſciſcitaberis, ad quod tempus ea navis in Portu veſtro expectetur. Quantum in me eſt, contra omnem fraudem in hoc viam clauſi, nec poterit ullo modo averti, ſed ſecure ad Te veniet; modo Mercatorem moneas.

Interim accepi expectatiſſimas Tuas literas, & eas comitati Tuae omnibus modis maximae grates, laudeſque dixi amantiſſimas

tam

tam de *Tacitis*, quam de *Marullo*. Vellem, uti ſimul potuiſſem de epiſtola *Nic. H.* Scribis moram eſſe in *Cinellio* noſtro. Quid multa dicam, Domine? Indicavit mihi aliqua Frater de illis aliis epiſtolis iſtius hominis, quae ego ut decuit, riſu & contemptu excepi. Sed tamen fateor in Tua poteſtate eſſe, ut decernas de illis, prout voles: ſed idem quoque diſſiteor in poteſtate Tua eſſe, ut amicum & clientem Tuum deſtituas, eum quem per octo annos tam continuo favore proſequutus es. Nam quum ipſe vivum adhuc *Nic. H.* palam viſerim, & paſſim dixerim me nolle quidquam cum eo habere; idque omnes hic ſciant; tum nuper tamen accidit, ut in conſortio, cui aderam, magnifice de eius ſtudiis nonnulli inciperent praedicare; nec ſatis, etiam de amore eius erga me. Hic ego raptus loquutus ſum ringentibus illis de interpellatore meorum profectorum, expulſore ex Italia, invido amicitiae quam Tecum colo, largiſſime ut fas erat: etiam de ſumma iſtorum ſtudiorum, quae in hoc ſita eſſet, ut omnem vitam in tribus quatuorve Poetis recudendis, & denique nugaciſſimis, & ridiculis notis in *Velleium* iaciendis triviſſet. Nihil negari potuit. Ea res iam fervet, nec ego quidquam niſi rideo & contemno. Tuae nunc partes ſunt, ſi vis me vivere, ſi vis me ridere, ut ſolitus ſum: Tu ſcrutatus es plurima, Tu inſtruere me debes, Tuum erit excerpere, quae aut Te, aut me (ne enim fallaris unus ſumus) tangentia veſtigaveris. Niſi largiſſime id feceris, me deſtitueris. Nihil Tibi imperare poſſum: ſed ut fata mea non adiuves,

non

n n poteris ipſe Tibi imperare, cui ſemel amorem mei & fortunarum mearum adiumentum imperaviſti.

Graevius per ferias excucurrit Coloniam in Vbios: nunc reverſum modo intelligo, cui hac nocte Tuas literas mittam, & vellem ut in gratiae Tuae conciliationem ulla mei vel animi, vel corporis pars hoc in loco poſſet vigilare ad maiora Tibi praeſtanda.

Propediem prodibit *Catalogus Bibliothecae Heinſianae*, qua Dominus nunquam uſus eſt, audio praeclaram eius fuiſſe in ultima vitae parte inſaniam; emebat ingenti pecunia Theologos, Mathematicos, Iuriſconſultos, & Medicos, quos nec intelligebat, nec lecturus erat: ea ſpe, vel ut Academiae noſtrae Curatores, vel Proceres noſtrae Reipubl poſt ipſius mortem ſimul illam emerent, & ſic perpetuum nomini ipſius monumentum relinqueretur. Id tamen non videtur futurum, & in hoc Oppido publicam ſectionem ei imminere apparet.

Libros, quos Fratris opera mihi donaſti, gratiſsimos habeo omnes. Perlegi etiam omnes. *Quinquaginta ſomnia*(1) perſaepe mihi imperarunt riſum. *Ambroſium Camaldulenſem* (2) video in hoc *Hodoeporico* fateri virum verae Pietatis cultorem, in rebus agendis *μὴ ἀναβαλλόμενον*, circumſpectum, & prudentem, in

1 *Henr. Noris* ſub nomine *F. Fulgentii Foſſei*: *Somnia quinquaginta Fr Macedo in Itinerario S. Auguſtini poſt Baptiſmum Mediolano Romam*. *Lugd. Bat.* 1681. in 4.

2 B. *Ambroſii Camaldulenſis Hodoeporicon edente Nicolao Bartholinio*. *Lucae apud Marc. cardolos*. in 4.

dubiis, & ſuſpectis cautum, & conſilii conſtantis: certe ſi huic ingenti Viro plures alii fuiſſent ſimiles, multorum malorum gratia mundo facta eſſet. Et interim quam perpetue declarat inſitum ſibi amorem ſtudiorum? Quam ſuaviter pag 33. de *Petrarcha*? quam lene *Hieronymi* elogium pag 44. & 45.? Quam non temere credulus pag. 50.? Quam repoſuit mihi ante oculos Piſas pag. 68.? Sane de eo dono devinctiſsimum me agnoſco. Interea huius Viri effigiem alteram peto; nam prior infelix fuit. *Scalae* Hiſtoriam cupidiſsime quidem etiam perlegi; ſed is mihi narrationibus μυτικωτέρας praeter modum & gratiam deditus mihi videtur. Sed & hoc quoque gratus accipio, petoque, ſi ἀμοιβαῖα quaedam hinc Tibi mitti queunt, ut id mihi ſignifices. Nihil enim fruſtra deſiderabis, modo certiorem me facias.

Hactenus me parare debui Academiae; nunc illi vitae incipio aſſueſcere mollius: itaque ad domum meam ornandam, & Bibliothecam inſtruendam amplius aggredior. Id autem non conſtitui facere vulgaribus quiſquiliis; ſed Viros amo. Nihil huic deſiderio meo congruentius, nihil ad Veſtae meae addendam reverentiam efficacius quam &c. Quid dico? efferar gaudio, Patrone optime, & indulgentiſſime, an licet fateri? Tutelarem praeſidem habere cupio. Is nemo erit, niſi una picta tabula, continens vivam illam & toties mihi adoratam faciem Sereniſs. Domini noſtri, cui ſi adderetur Tua, compos eſsem votorum meorum omnium. An non potes, an non vis hoc mihi conficere? Elige pictorem

& cum

& cum eo agito meo nomine: quidquid nummorum, ad id requiritur, promptiſſime, & feſtinanter ſtatim mittam. Quid recuſas implere mea gaudia.

Aliquot hos dies in *Arriani* libro primo de expeditione Alexandri conſumpſi, & mirificam inveni ſegetem cogitandi.

In Academicis proluſionibus, quoniam praeterito anno privatim exponens Πράξεις τῶν Ἀποςόλων, mihi ſatisfacere non potui in conciliando *Luca* & *Mathaeo* de interitu Ἰούδα τοῦ προδότου, & interea gravidus hac cogitatione, collegi omnes omnium Interpretum, qui noti ſunt vulgo, ſententias, penſum illud ſumpſi, ut diligentius in verbis illis utriuſque Evangeliſtae examinandis aliquot recitationes ſim collocaturus. Nihil omnium quae dicta ſunt mihi placet. Adeo hi multa adſumunt, quae non illic dicuntur: hi mirificos caſus comminiſcuntur: hi Diabolum introducunt, ut me taedeat haec ſacra ſic tractari. Quid mihi videatur, forſan poſtea intelliges. Sed interea oro, ſi vel in Italis, vel aliis Scriptoribus aliquod examen inſtitutum praeterea noveris (quid enim Tu inſcrutatus non es?) maxime illis, qui ita in publicum paſſim memorati non ſunt, id quaeſo mihi indices. Datur enim mihi non poenitenda exercendae cogitationis ſeges: tempus docebit. Frater heri Hagam ſe recepit; cuius nomine, ut & *Hogevenii*, & *Ruyſchii*, quibuſcum nuper hilaris egi, amanter Te ſaluto. Vale plurimum, Honoratiſsime Patrone, ſed qui paternum mihi affectum praeſtas.

Leidae a. d. VI. Cal. Octobr. 1682.

Eſt diſcipulus *Graevii*, *Antonius Byneus*, Theologus, qui ſcripſit non elegantem libellum de *Calceis Hebraeorum*; quod ſi petis exemplar, faciam ut Tibi fiat ſatis. Aliud novi nihil, niſi quod *Chriſtophorus Arnoldus* mihi miſerit exemplar operum *Velſeri*; cui ſi ſcribes, peto ut ei gratias agas meo nomine: ego enim piger ſum, & nulli fere ſcribere ſoleo.

Goeſio quae voluiſti ſtatim ſignificabuntur.

EPISTOLA XXXII.

Quominus iam utaris *Seneca Tragico*, editionis novae, atque etiam poſsideas exercitationes meas ad *Stephani* Δωδώνην, nihil obſtat, niſi longinquitas regionum & mittendi difficultas. Nam his quidem locis utraque iam vulgata ſunt. Quibus poſt duas hebdomades acceſsura ſpero *Valeſiana ad Harpocrationem*, ut tandem graviſſimo hoc labore liberer. Nuper miſi epiſtolam *Monachii*, quam Te accepiſse iam ſpero; certe opto. Interim ex Fratris literis, quas hodie accipio, intelligo eum Venetias excurriſse, eo conſilio, ut viſa ea Vrbe mox & Genua, Florentiam rediret, ac tunc denique per Germaniam huc rediret. Gratum prorſus eſt eum excurrere ad illud παραθαλάσσιον decus contemplandum: ſed certe maiore commodo id facere debuit, quum illuc parvo divertigio ab recta via in Germaniam deflecti ſoleat. Iſte autem anfractus multas horas abſor-

forbet, quas cum aeterno fructu collocare ſtudioſius in *Laurentiano* adyto debuiſſet. Quis autem illi auctor eſt reditus per Germaniam? Certe ſi eadem ſemita, quam ego quondam preſsi, poenitebit eum: adeo nihil illic ad animi ſtudiis ſuavioribus imbuti gratiam. Si commode fieri poteſt, & non limes Italiae novo illo armorum Gallicorum progreſſu & caſtellorum venditione turbatus eſt, profecto moneas illum fore conducibilius per Galliam, ut renovet potius amicitiam conciliatam ante aliquot menſes cum doctis Pariſienſibus.

Cupio autem ex Te ſcire, ſi quid unquam legeris inſigne de *Dodone* vel Oraculo eius loci, maxime certum aliquid de tempore quo & abolerit, aut an non; vel noveris vel poſsideas aliquid librorum eius generis, qui *Epiri* aut veteris, aut novae deſcriptionem diligentiorem continent. Scribit *Sponius* in *Itinerario*, Corcyrae inſtitutam eſſe Academiam Humaniorum Literarum, cuius partes ſint *Iuſtiniani*, *Lupina*, *Marmora*, quorum poſtremus deſcripſerit Hiſtoriam Patriae: legiſtine? an non habet aliquid de *Dodone* & *Epiro*, cui obiecta eſt Corcyra? Quaeſo inſtrue fratrem & me; & utrumque amans vive hilaribus in Muſis Tuis. Ipſo ſervatoris noſtri Natali.

EPI.

EPISTOLA XXXIIII.

TAndem pauxillum nactus otii, ut aſſeverare Tibi poſſim indicio & pignore chirographi huius, ſummam quotidie voluptatem mihi adferri ex recordatione maximorum tuorum beneficiorum, ante omnia indicabo deſiderium meum, cuius ſumma in eo conſiſtit. Eſt inter *Cypriani* Epiſtolas aliqua *Celerini* num. xx. in qua ſunt haec verba. *Nam ipſam Etecuſam ſemper appellavi (teſtis eſt nobis Deus) quia pro ſe dona numeravit, ne ſacrificaret, ſed tantum aſcendiſſe videtur uſque ad Triamfacta, & inde deſcendiſſe*. Qui locus poſt alios examinatus quoque eſt ab Patre meo in *Obſervationibus Eccleſiaſticis* Cap. XIV. Nuper quoque ab Anglis, in nova *Cypriani* editione, ſic, ut cum indignatione quadam eius meminerint. Mihi nihil penitus adhuc ſatisfacit, & plenus ſum cogitationibus Sed antequam facere ſummam queo, ad Te ſupplex venio, ut qui ſunt, vel in Vrbe veſtra Codices harum Epiſtolarum, inſpicias, & mihi deſcribas, pari me devincturus beneficio, ac in *Senecae Tragaedia* nuper feciſti (quod ne dubita, brevi tempore fructum ſuum feret) vel quos noſti in aliis Vrbibus prope vos eſſe, per amicos Tuos conſulere velis. Eſt enim certe dignus locus, qui Tua etiam opera tandem ſplendeat.

Interea binas a Te accepi epiſtolas, ita ſcriptas, ut ſi non diu ante infixa & inuſta mi-

mihi fuiſſet veneratio Tui, neque adeo Te noviſſem, ab hinc certe immortales bonitati Tuae gratias laudeſque a me deberi faterer. Si operam, ſi fidem, ſi veritatem, ſi elucentem ſuper haec favorem Tuum erga me contempler, omnia enimvero illa, nec fraudulenti huius temporis, nec ſubleſti mundi eſſe pronuncio, & maius aliquid in corpore Tuo habitare ad ineffabile auxilium ſimul meum & ſolatium, cui & ſimul publico bono ut diu ſervetur iſta mentis altitudo, Deum Opt. Max. enixe & veneror, & quotidie venerari non ceſſabo.

Nunquam in animum meum inducere potuiſsem aberraturam *Heinſii* malevolentiam ad tam frivola, & tam falſa; praeſertim quum nemo unquam aut gloriatus in his locis ſuerit, aut gloriari potuerit vel minimum verbum mihi excidiſse, quo videri poſsem fortunas meas huic, vel illi commendare voluiſse, aut ambitionis cauſa pedem unum moviſse: atque adeo ipſum hunc locum, quem nunc teneo, plane ſpreturus fueram, niſi *Graevius* & ipſius collega, nunc mortuus, *Burmannus Caroli Crucii* vitricus, adegiſſent me ad mitiora conſilia. Reliqua prorſus ſunt fatua; quae ſi ſciviſsem vivo *Heinſio*, vehementius me ad eum deridendum compoſuiſsem. Nunc ſolide riſit mecum & *Carolus* ille *Crukius*, qui me intime a puero novit, & ſuaviſsimus *le Moyne*, cui nota ſunt haec tempora, de quibus ater ille ſcribit. Nihilominus conſumma, oro, munus Tuum; & ſi qua reperitur eiusdem farinae periodus, adiunge his, neque me cela: ſed ante omnia illam deſidero epiſtolam, in qua

ſcripſit *Gr. malam linguam ſuam temperet*, quamque ego, & *Rulaeus* olim legimus. Hanc toties promiſiſti mihi; & quare cunctaris mittere? Ita omnium aures fictis de me quiſquiliis implevit *Heinſius*, ut eas perforare nequeam, neque fidem merear ex vero aliquid narrans; adeo ut mihi ſufficere debeat, ſi re, & ipſa praeſenti vita mea me ipſum approbem, & occaſiones ſic aucuper pedetentim me defendendi, & convincendi iſtum falſiloquum. Accedit quod ne Tu quidem videaris fuiſſe ſatis prudens, & circumſpectus in epiſtolis ad certos huius gentis homines mittendis. Etenim nuper accidit, ut praeſentibus Curatoribus noſtris ſermo de Te naſceretur; ubi quum ſimplicitate mea uſus dicerem quae dici deberent, Collega meus *Ryquius*, totus imbutus *Heinſiana* vafritie, ingeſſit mihi palam, ſe poſse producere epiſtolas Tuas, in quibus ipſe ſcripſeris a quibus, & quibus in libris appelleris. Hic vero habens locum non tacendi, ſed plenis velis effundendi mentem, vitamque, & rationem Tuam omnem, egi profecto, ut decuit, & quanta innocentia id ipſum quoque a Te fieret, ſed apud amicos interiores; dolui tamen, & pungi me ſenſi ideo, quod haud dubie ad aliquos ſcripſiſses paulo familiarius, quam decebat ad ignotos, praeſertim quum ſatis monuerim Te, cum nullo hic locorum aliquid negotii contraheres, niſi ex me intellexiſses, quis in illo habitus nimi eſset, niſi id ab vivente *Heinſio* receperit, utique. Ego valde ſuſpicor nimis Te aperte agere cum *Cupero*, qui & fraudulentiſſimus certe; & quum inter me, & hunc intercedat

fri-

frigus ingens, video ab hoc ſemper in tra[illegible] tu civitatis huius ſalutari *Ryquium:* [illegible]s am[illegible]lare ſimul & colloqui; quod ſane non fero aegre, ſed contemno utrumque, & ſavebunt aliquando meliores dies. Sed etiam atque etiam Te moneo, ut & poſthac videas, cui, & quid ſcribas atque etiam, ſi potes, recolligas memoriam . . . . . an alicui tale quid paulo amplius inculcaveris, ut ex eo poſſim formare me quoque conſultius.

Epiſtolam *Cinellii* noſtri vix potui a me impetrare ut dimitterem quo iubebas nec niſi communicatam cum *le Moyne* noſtro miſi; iſque ad *Graevium* ut is curaret ad alterum. Ego autem maxime vellem nullam illic in fine factam fuiſse mentionem Aſinorum, & atheorum iſtorum &c. quos nominat. Quid enim ſi noſtras hic aut ipſas, aut earum exemplum mittat ad illos, quos vocat Aſinos &c.? an non male ſcribit de eis, qui poſſunt illum proſcribere! Nollem certe optimo Amico noſtro aliquid aegre inde obvenire; ſed tamen non deſino omnia timere.

Poſt inde accepi alteras Tuas, & ipſas gratiſsimas, niſi quod ſubinfirmum Te nunciare videbantur. Nunquam ego Coelum reſpicio abſque commemoratione Tui, & ſpero fore, ut audiantur vota mea, quorum ſumma non eſt alia, niſi vita Tua, & ſalus: nec debebas ullam praetermittere hebdomadem, qua non habitum eius mihi ſignificares, praeſertim ſuſpecto tempore.

[illegible] *Bellinium*, & Nobilem Florentinum cur non omni genere obſequendi proſequerer, cau-

ſam vidi nullam: & utique ſcire debes, amari a me Italiam, atque adeo tum incolas eius, tum praecipue Populares Tuos. Agnoſco enim illic magna, & mihi, & Fratri meo benevolentiae ſigna eſse praeſtita; quae ſi diſplicuerunt nonnullis, & adeo inferioribus me oculis adſpexerunt, ego tamen non deſinam oſtendere, me bonorum, non malorum memorem eſse: Itaque & illis libenter ſtudui inſervire, & qui poſt eos, praeterita hebdomade, fuit, Patavino *Albergetto*, quem, & ego in hac Vrbe, & frater meus Hagae circumduxit, ne quo oblectari eius mens poſſet, lateret. Opinor hac a me fieri ſecure poſse, atque etiam debere, ſi nihil aliud. ut iure habere nihil poſsint, quod de me querantur.

Muſurana vehementer exſpecto.

Quae de *Velſero*, & *Scaligero* excuſas, facile accipio. Nihilominus ego non opinor *Velſerum* faviſse plus Italis veſtris, quam alterum. *Victorius* profecto honeſtiſsime habetur ab *Scaligero* in notis ad *Varronis Rem Ruſticam*; nec potuit ornatius At prior videtur mihi inopia quadam diſcernendi veram eruditionem, & interiorem laboraſse, & ideo laudaſse cunctos: quum certe, quae *Tuo Villiomarus* notavit talia ſint, quae incredibile ſit a viro vel tenuiſsime docto poſse produci: & qui talia audent ſcribere, ne laude quidem, aut honore aliquo digni ſunt. Sed mittamus iſta.

Quid autem Tibi videtur de elogio, quo *Arnoldus* proſequitur *Nic. Heinſium* pag. 2. *Plura enim edidit verae eruditionis monumenta, quam quiſquam alius, qui una eſſet aetate*. Et

quae

quae illa ſunt? nempe aliquot *Variae lectionis collectanea in tribus Poetis*. Quid eſt enorme, ſi non illud eſt?

Ego totus ſum in poliendis *Exercitationibus* meis, quas publice dixi *de morte Proditoris Iudae* (1). Iam ante memini rogaſse Te, ut ſi quid noſti ab ullo alio praeter eos, qui vulgo noti ſunt, nempe poſt *Baronium*, *Eraſmo*, *Zegero*, *Caſaubono*, *Halloixio*, *Fr. Scorſo*, *D. Heinſio*, *Buxtorfio*, *Grotio*, *Pricaeo*, *Lightfooto*, *Gerardo*, *Calixto*, *Beza*, *Ger. Voſſio* (taceo enim priores *Teophylactum*, *Oecumenium*, *Euthimium &c.*) ad huius partis Hiſtoriae Sacrae illuſtrationem inventum, & editum eſse, eius non detrectare, me certiorem facere. Sed videor a Te deſtitui. Videbis tamen aliquando, quam non ſint illa omnia proba, & me hoc etiam nomine amabis.

Le Moyne, & *Graevius*, & *Crucius* Tuas acceperunt. Nunc imminens tabellarii hora cogit finire me alias plura locuturum; utpote cui Tecum loqui, Te quaſi preſentem comminiſci, ineffabilis, & ultra fidem eſt iucunditas. Vale, meum cor, & perge vivere Tibi mihique laetus.

Leidae a. d. pridie Idus Febr. 1683.

EPI-

1 *Iac. Gronovii Exercitationes Academicae de pernicie & caſu Iudae. Lugd. Bat. per Graesbeeck* 1683. in 4.

EPISTOLA XXXIV.

QVoniam ita iubes, exſpectare incepi, & expecto adhuc; ſed, abiit, ut alia, quam quae mereris, hoc eſt fauſtiſſima & optatiſſima. Licet enim recte comprehendam illam perverſitatem, quae nunc ubique dominatur; non poſſum tamen aliud mihi imaginari, quam nihil iſti iuris in Te eſse, ſuperaſſeque omne quicquid eſt malignum. Quare iterum dico, omnia optima ut Tibi ac Muſis Tuis precor, ſic expecto.

Bartholomaeus Facius in Praefatione ad ſuam interpretationem Latinam *Arriani de expeditione Alexandri* notat *Petrum Paulum Vergerium*, virum ſatis per multa natum, ante ipſum latine vertiſse eundem librum. Ea *Vergeri* verbo nuſpiam hic terrarum eſt. An Tu aut vidiſti unquam, aut poſsediſti, aut adhuc poſsides? Quaeſo, communica mecum, ſi quid Tibi de hoc innotuerit qualecunque. Quod ſi nihil noſti, an ex amicis Tuis nihil de eo potes reſciſcere? Omnibus modis precor, ut me hoc etiam beneficio Tuo felicem facias.

Quod ſatis praevidi, nihil profecimus curanda ad *Cuperum* hunc epiſtola, quam noſti. Is enim tantum abfuit, ut monitis illis pareret, ut importunus ille Monachus in *Homerica Apotheoſi* (1) nunc publice fulgeat.

Etiam

1 *Giſberti Cuperi Apotheoſis vel conſecratio Homeri. Amſtelod. per Henr. Boom* 1683. in 4.

Etiam inaudivi illum de iſta Epiſtola neſcio apud quem habuiſſe ſermones, & non niſi riſiſſe.

Quod ut ita, qualecunque eſt, fero; ita ſane gravius nuper obvenit videre me ab *Raphaele Fabretto* ita notatum in libro *de Aquaeductibus* (1). Id quum iam ante tertium annum contigerit, dic mihi cur non putaviſti mihi ſignificandum? Imo cur non vel Fratri, ut is ſaltem id mihi indicaret? Certe cur in hoc amicitiae munere mihi defueris, non capio. Sed hoc abiit. Quod ſupereſt, rogo Te ut mihi dicas quis ille *Fabrettus* ſit, quem nuper nobis indicaſti (quod magis miror) vacare *Commentario Columnae Traianae*; quo munere fungatur apud illum Cardinalem, cui ſecundam Diſſertationem dicavit, & ſi quid praeterea potes. Certe nudus eſt deſtitutuſque homo ab Graecis & Latinis literis; adeo in illis nugatur, & his ſordide utitur, nec profecto quidquam comparandus cum *Holſtenio*, cui tam denſas infligit plagas. In illis vero, quae in me reprehendit, vel mendax palam eſt, vel non intelligit Graeca. Habeo reſponſionem ad illa tria paratam, etſi vix decem abierint dies, quo ab *Graevio* haec primum mihi innotuerunt: ipſas autem Diſſertationes omnes necdum perlegi; adeo ieiune ſcribit, ut vix poſſim. Quae vero cauſa fuit, ut non ſimpliciter voluerit mihi errores meos declarare, ſed cum tanto potius invidiae ſtrepitu, & quaſi im-

1 *Raph. Fabretti de Aquis & Aquaeductibus*. *Romae per Io. Bapt. Buſſottum* 1680. in 4.

implorato ad partes *Meibomio*; quem & illum tantidem curo? Certe ſicut in illis Epiſtolis liquide propoſui dubitationes meas, ita gratum mihi fuiſset, ſi aliquis eas ſolviſset melius quam ipſe ibi facio. Vellem noſse, qui ſtimulus eum hominem ad id adegerit, & quid ſibi imaginetur.

Pichena in notis ad *Tacitum* citat *Franciſcum Medicem*: quis oro ille fuit?

Quum res illa, quam modo narravi, me repleverit contemplationibus Tuſculi & Algidi, doleo neminem a me poſsideri, qui eorum locorum antiquitates collegerit, & mihi maiorem aliquam lucem afferant. Et iam diu expectavi, quae de *Muſuro* miſsurum Te promiſeras. *Munckerus* quidem ille ante paucos dies interea obiit; ſed non opinor ideo peritura illa quae collegit, relicto filio ſatis agili & polito ad has res. Plura quae ſcribam nunc non habeo. Vale, & ad ſingula haec avide expectantem me inſtrue.

Leidae die 4. Decembris 1683.

Graevio, & *Crucio* Tuas recte tradidi.

EPISTOLA XXXV.

MOeſtae cogitationi, quam mihi ſubiecerat iſta diuturna intermiſsio literarum Tuarum ac tarditas, maximum ſolatium attulit dies XVII. Ianuarii menſis, quo ad me venerunt Tuae, quas die 28. Decembris ſcripſiſti. Non enim vita modo, & valetudo

Tua

Tua inde mihi innotuit in tuto eſſe (quod ego certe habeo inter res optatiſsimas) ſed etiam favoris Tui, & benevolentiae veriſsima continuatio. Itaque pro iis & gratias Tibi maximas, amantiſsimaſque dico, & ut perficere reliquum quod promittis, quamprimum velis, enixiſsime rogo. Quoniam vero dubium eſse nequit, quin, ubi has accipies, librum *Fabrettinorum Aquaeductuum* videris, & meos errores palam ibi demonſtratos, propoſui de ſumma meae reſponſionis nunc Tecum aliqua agere, ut pro prudentia Tua partes illas examinans deliberes, mecumque communices, an ſic reſpondere mihi liceat. Praecipue autem riſus me iuvat, cui *Fabrettus* magnam dat materiam & occaſionem, vel dum ſcribit *ſe emendare iactans*. Si verba mea videas, falſum prorſus patebit. Non dixi me emendare, nedum iactavi; immo contra illic videbis voces plenas timoris ac diffidentiae. Similiter falſe, & amare proponit *me nulla ſimilitudine pro Algido Pedum reponere*. Certe inter *Algido*, & *Pedum* nulla eſt ſimilitudo. Sed an ego id facio? Vide oro quemadmodum ille abutatur lectore non admodum curioſo, ad meam contumeliam. Sed ut porro augeat invidiam meam, adducit *Meibomium*? Quid *Fabretto* cum iſto? Ego quod in *Meibomio* ſtatui, non muto, nec poenitet. Caeterum ex eo clare apparet *Fabrettum* non tam id agere, ut me erudiat, (quod fane vellem, ut feciſſet, & ſi feciſſet, gratias agerem) ſed ut me vexet, ac ſtigma aliquod petulanter imponat cum aliorum excitatione ad

me

me comburendum. Hinc quum ne noverim quidem *Fabrettum*, quum ita nullo verbo eum læſerim, immo pro amico habuerim, quia ex Epiſtolis Tuis videbam eum Tibi amicum eſſe, credere debeo, vel amaram ipſius eſſe indolem, vel ab aliis vehementer ſubornatum, ut ſi quid in me deprehenderet, id acerbiſſime perſtringeret, non obiter moneret. Hoc ipſum eſt, quod valde cupio a Te indagari, & mihi diligenter perſcribi. Exinde aggreditur primum errorem, in quo fallitur quam maxime. Nam & tueri plane poſſum, ſi in locis *Livianis* Algidum pro oppido accepiſſem; & deinde evincam ſatis, non me accepiſſe pro oppido, etſi id videatur *Fabretto*. Cur ita loquutus ſim, cauſas dabo certas ac claras. In ſecundo errore mentitur ſtrenue. Nam ego non negavi eſſe vallem inter Albanum montem & Tuſculum, ſed negavi illam appellatam fuiſse aut appellari potuiſse Albanam: etiam negavi per illam ducere viam Latinam. Id utrumque negavi & adhuc nego, tanto magis, quanto ineptius ille *Strabonem* intelligit. Similiter in tertio err re merum mendacium efflat ſtatuens me velle ut Via Latina ex mente *Strabonis* duxerit tranſcenſu verticis Tuſculani. Ego enim diſputans contra *Holſtenium* & *Cluverium* id egi, ut non per vallem iſtam Albanam duxiſſe oſtenderem, ſed aliquam partem montis, idque perſpicue feci ex deſcriptione *Strabonis*. Haec omnia multis clare probabo. Inter haec quam ſcabre utitur Lingua Latina? quam nihil intelligit in Graecis? in quibus multa occurrunt ad ridendum, quae

non

non praetermittentur. Haec ego iam multis oſtendi, quos ſatis delectavi, etiam vera repoſuiſſe viſus: Iam quam captatae illae enumerationes, meorum errorum in indice? Haec quoque per luſum vocabuntur ad partes. * * En materiam ridendi. Sed quoniam Frater meus adhuc valde diligit Italiam, imò ſic omni cogitatione vos amplectitur, ut nihil aeque optet, quam adhuc ſemel illuc excurrere; idcirco neſcio an debeam mihi moderari, & talia loca poſſint eſſe periculoſa. De iis quoque Tu mihi conſilium dabis. Certe Frater meus Te, & quos illic habet amicos officioſe ſalutat. Ex Te autem plane ſciſcitatur, utrum audeas vel ipſe, vel per alios recognoſcere, an certus eſſe queat favoris Sereniſs. *Chriſtinae* in hoc, ut ſi illuc ſe recipiat, Bibliothecam eius ſibi patentem plane inveniat. Id quod ut facias, rogo ſane, & mihi ſignifices. Ita interim occupor, & diſtringor, ut Amſtelodamum excurrendi hora mihi nulla fuerit, atque ideo commodam occaſionem nanciſci ad Te mittendi *Exercitationes* meas *de caſu, & pernicie Iudae* non potuerim. Illae apud Viros doctos hic loci fructum mihi ſatis uberem ferunt; iudicantibus omnibus ea quae hactenus dicta ſunt, meras videri fabulas, & *Matthaei* ac *Lucae* vocum veram ſententiam a me productam. Tantum ut ſolent, qui queri volunt, negant me ſic diſputare debuiſſe contra viros etiam doctos. Sed id facile fero. Liburni certum hominem deſignare neſcio. Sed optimam rationem & ſecuriorem tranſmittendi eſſe puto per Vene-

tiam, ſicut factum eſt in *Catalogo Heinſiano*. Quod ſi illic haberes amicum, cui commendare id poſſes, ut per rhedas, quae inde ſatis frequentes huc tendunt, deferretur, foret tutiſſimum; eamque viam obſervabo, ſimul frigus, quod nunc eſt intenſiſſimum, remiſerit in meis mittendis.

Interea laetiſſimis oculis vidi datum eſſe tandem ſpatium virtutibus *Cinelli* noſtri, ut & illae ſe exſerant ad voluptatem & gaudia amicorum, & ſimul invidis oſtendant, quem ſuppreſſerint. Velim ſuaviſſimum illum amicum noſtrum peramanter meo nomine ſalutes, eique teſteris longo tempore nihil mihi accidiſſe intellectu gratius. Simulatque id ex Tuis cognovi, ſtatim Fratri quoque meo, qui Daventriam conceſſit haereditariae ſuae poſſeſſionis adminiſtrandae cauſa, eam rem indicavi, quem ſcio praecipue gaviſurum.

Quidnam illud futurum ſit, quod iam bis in Tuis iecisti, cognoſcendi percupidus ſum; ſed quicquid illud erit, ego non ceſſo ſalutem & incolumitatem tuam uſque Deo Opt. Max. commendare, & idem continuat caſte facere Frater, ut in tam miſeris temporibus hoc ſaltem dulce habeamus.

Ego interim ſecunda vice compulſus ſum illis, qui hanc Academiam frequentant, *Acta Apoſtolorum* explicare. In eo libro mirifice multa mihi occurrunt parum bene ab aliis tractata. *Cuperem* ſcire, quem vos ex illis, qui in ea commentati ſunt, plurimum vulgo aeſtimetis. Certe enim nihil parco labori, ut omnia inſpiciam. *Monachium* noſtrum ex eo tempore, quo accepi Tuas, non vidi,

ut

ut rogare eum de libro *Schelestrati* (cuius caſus profecto dolendus eſt) potuerim. Id faciam tamen proxime, & quidquid mihi reſponderit, audies.

An placent Tibi *Dodonea* mea? Nuper quoque *Melam* auditoribus volentibus praelegi, in quo auctore inprimis egregia ad illuſtrandum adhuc reſtant. Si fieri & poteſt & licet, cupio nomine meo reſciſcas ex *Noriſio*, an adhuc firmus inhaereat illis quae pag. 90. ad *Cenotaphia Piſana* ſcripſit de *Tingentera*. Certe enim ego non capio, qui *Tingentera* ſtatui ab eo poſſit minus celebre eius orae oppidum, ſi tranſvecti ex Africa *Phoenices* id habitaverint. Iſta tranſvectio non poteſt eſſe non celebris, & eo ſane tempore, maxime ſi per *Auguſtum* ea contigerit. Mille oppida ſunt in Hiſpania, quibus id non accidit, & tamen ſunt celebria. Multo magis id ipſum, quod vel ipſe ſitus non incelebre relinquit. Quidquid aut ibi, aut ab aliis dictum eſt, non placet mihi & facile eſt ad reiiciendum. Doleo huius auctoris MSSta Medicea non mihi, non Fratri fuiſſe diligenter collata.

Arnoldi noſtri filius (1) miſit mihi ſpecimen *Morelli*, qui ſane Herculeum, ſed omnino utilitatis ſummae futurum opus aggreditur; quo ſane meretur, ut omnes boni tantis eius propoſitis applaudant. Vale, Honoratiſſime Patrone, & oro in poſterum facito denſiores literas, quum tanta ſit Tibi

K 2 in

1 *Andr. Arnoldus*, cuius Epiſtolas edenus.

in promptu materia, quae in his ſterilibus locis me deficit.

Leidae die xxi. Ianuarii 1684.

Si putas aut fas aut aequum eſse, ut Sereniſſimo Benefactori & Domino meo cultum, pietatemque, & devotam memoriam tot bonorum aliquando teſtificer, precor, ut pro Re nata me ſubmoneas.

EPISTOLA XXXVI.

Vidiſti ergo, aut propediem videbis *Conſecrationem Homericam*, in cuius praefatione *Illuſtriſs. nec non Eruditiſs. Abbas Raphael Fabretti*, & pag 194 ſubter Tuum nomen *Raphael Fabretti absque controverſia Abbas doctiſſimus*; & pag 106. *Vir Eruditiſs. & tam in Patribus, quam profanis auctoribus, nec non antiquis Nummis & Inſcriptionibus verſatiſſimus Henricus Noris*. Et ſic paſsim ille in iſto libro ſedet quaſi βραβευτὴς talium titulorum; quod quidem non contigiſset, ſi &c ſed ego iſta video. Tantum doleo, quum videas omnes illos ita promptos, Te ita tergiverſari, & non modo quum ſcribis ad me, ſemper queri de occupatione Tua, & ſic breviſsimas mihi epiſtolas mittere, ſed ne quidem in iis quae ſciſcitatus ſum, quae facillime & ſecure potes ſignificare, mihi ſuccurrere: immo fere ſemper polliceri de proximo tabellario, quum tamen me rerum omnium incertiſsimum deſeras. Doleo id profecto; nec quid rei ſit, ul-

lo

lo modo capio. Quaeſivi nuper quis eſset ille *Fabrettus*; reſpondes nihil, niſi eſse ſenem. Non peto de aetate; peto de ſtatu vitae & conditione, & cuius famae. Omnino enim *Cuperus* illum adſpicit, quaſi Abbatem magnae alicuius Abbatiae, quum ego opiner illum eſſe * *, & appellari *Padre Abbate*, ut ſoletis Presbyteros vel Sacerdotes. Id ſcire percupio. Deinde oro ne detrectes mihi feſtinanter indicare, cuius pretii apud vos ſit nomen *Leonardi Auguſtini*, a quo noſti duas partes *Gemmarum* (1) collectas eſse, & notulis ac deſcriptionibus illuſtratas, quarum alteram partem Alexandro VII., alteram Sereniſs. Patrono noſtro inſcripſit. Mihi videtur Vir eſse modeſtus, & ſatis multi in illis iudicii. Intereſt tamen mea, ut ſciam, quid veſtrates de illo ſentiant. Cur autem opperiar alterum *Fabretti* librum? Cur id mihi ſuades? Nemo non his locis ridet, quae ille in me evomuit, ubi videat quid ego poſsim reſpondere. Cum iſto enim, qui eum laudat, quemque ſupra nominavi, nulla eſt mihi familiaritas. Illa reſponſio prorſus eſt parata; nec ſane verbis indignis ago, ſed & mea olim ſcripta defendo, & quam ille nihil intelligat, vel in Graecis, vel in Latinis, & quanta malignitatis rubigine obſitus illa conceperit, manifeſtiſsime edo. Cauſa nulla eſt, cur editio eius ſchedii differatur. Quid ad me, ſi in libro, quem nunc eſt editurus, mollius eadem dicat? Non ſi mollius dicat, verum dicet. Ita ample liqui-

K 3 de-

1 *Leonardo Agoſtini: le Gemme antiche figurate, Parte 1. e 2. Roma 1657. e 1669. in 4.*

deque probavi omnia quae ille ſtatuit falſa eſse, ut omnibus illud patere debeat; in quo ſummam rei poſitam eſse opinor. Differo tamen hactenus, nonniſi quia Tu ſuades. An recordaris per aliorum libros Te occurriſse locis, in quibus aliquae coniecturae, & explicationes *Leonardi Auguſtini* reiiciuntur? Video *Cuperum* id in his libellis aliquoties facere: Meminiſtine a pluribus idem tentatum?

Abbatem *Scheleſtratium* non eſse occiſum, ſicut Tu mihi retuliſti, & vivere incolumem, & Romae agere cuſtodem Vaticanae intelligo. Librum eius nuperum noſter *Le Moyne* necdum vidit.

Haec ut poſt diuturnam exſpectationem literarum Tuarum, ſic poſt acerbiſsimam mihi taciturnitatem ad Te ſcribo, ut tandem rurſus excitareris ad memoriam mei. Diſcrucior nullam mihi commodam dari occaſionem, mittendi ea, quae de Morte Proditoris Iudae concinnavi. Quaeſivi ſatis, ut mea iſta culpa dici nequeat; ſed nullam nanciſci potui. Frater meus vehementer imminet ſpei, & propoſito adhuc ſemel excurrendi: modo Tu ante polliceri illi poſsis apertas fore Bibliothecas Laurentianam, & *Chriſtinae*. In *Paraphraſin Chriſtianam Epicteti* ab *Mer. Caſaubono* editam nuper quoque aliquid ſcripſi. Haec prout vides variis diebus ſcripta aliquamdiu hic iacuerunt, dum incertus ambigo, tam quid faciendum mihi ſit, quam quo in ſtatu vita Tua ſit, aut quo loco apud Te nunc ſim ipſe. Complexus ſui Te unum, ut omnes alios poſsem negligere: cum Te uno omnia mea communicavi, & adhuc communico, ne cum ſimiis illis reliquis ul-

ulla mihi res eſset. Qui ergo potuiſti a Te impetrare, ut tota hac aeſtate me deſereres, Ego queror, ego exuror, ego coelo, ſolique narro hanc violentiam Tuam, & infelicitatem meam: quum tam multa ex Te diſcere ac proficere poſsem, ne reſpicere quidem me dignaris. Nullas alias a Te peto literas, niſi de literculis noſtris, quae tuto & ſecure ſcribi poſsunt, & ad quas adeo uberem materiam quotidie Italia veſtra beata poteſt conferre, & producit certe.

Nun . . . . quum haec ſcribo, adfertur mihi epiſtolium profecto indignum amore Tuo, quo me abs Te honorari ſcio. Quid? poſt tantum intervallum adeo paucos modo verſus? & nihil in eis vel de petitione Fratris, vel de *Fabtetto*, & Libro eius *Commentario ad Columnam Traianam*! nihil de tot aliis, in quibus olim rogavi opem tuam! Plane id non capio. Et tamen etiam ſic gaudeo, etiam ſic & Coelo, & Tibi gratias ago, quod & vivas & me ames; utrumque credo ſincera fide. Sed quaeſo amputa paululum ſpatii ab ſeriis Tuis, & prolixius mecum garrire velis, ſi non ad ſingula quae propono & propoſui dubia reſpondere. Hoc facias precor, hoc unum exopto.

Formoſiſsimae & eruditae *Cornarae* (1) immaturum obitum doleo, perpetuam ſervaturus memoriam vel comitatis, qua me ſalutantem admiſit, vel admirationis, qua ipſam diverſis

K 4 Lin-

1 *Helena Lucretia* (quae & *Scholaſtica*) *Cornelia Piſcopia*, cuius opera, & vitam edidit *Bened. Bacchinius*. *Parmae* 1688. in 8.

Linguis plurima interpretantem, qua alias eius dotes tunc proſequebamur ipſe & *Rulaeus*.

Has ferias ut *Pomponio Melae* impenderim, typographi me coegerunt (1). Itaque miniatulas meas propediem videbis, in quibus non neglexi ea, quae ſine ullo iudicio ſcribit ille in *Cenotaphiis Piſanis* pag. 90. Doleo exemplaria illa *Melae* non eſse diligenter a me, aut Fratre inſpecta. Vtinam ex Auctore iſtarum Diſsertationum expiſcari poſses, quae ſana ratio illum compuliſset, ut maluerit *Tingentera*, quam *Cingentera*, vel *Ingentera?* rurſus *Tingentera*, quam *Tingenteratum?* Quam cauſam habet differentiae: Haud dubie, & vides, nullam poterit dare: ut palam conſtet ea omnia vana eſse. A Fratre etiam qui Daventriae nunc vivit, has accipio literas, quibus aliae plures chartae erant additae: ſed nimium gravaturae has literas: ideo quia & ipſe hanc optionem mihi dedit, illas hic retinui.

Vidiſti, opinor, Pariſiis editum *Livium in uſum Sereniſſ. Delphini*. Si vidiſti, quid cenſes? nam ego quid cenſeam, videbis una cum Fabrettinis meis. Vale, Honoratiſsime Patrone, & ſi me amas mitius clientem Tuum tracta, hoc eſt, ſcribe & denſius, & frequentius.

Leidae die XIV. Septembr. 1684.

Hoc

1 *Pomponii Melae de ſitu Orbis cum notis integris Hermolai Barbari, Petri Io. Olivarii, Fredenandi Nonii Pintiani, Petri Ciacconii, Andr. Schotti, Iſ. Voſſii, & Iac. Gronovii* &c. *Curante Abrahamo Gronovio. Lugd. Bat.* 1722. in 8.

Hoc ipſo momento viſit ad me *Ioannes Garbeſius* Svecus, & modo recta Italiam ſe petiturum ait. Illi ergo commiſi duo exemplaria *Exercitationis* meae *de morte Iudae*, de quibus ſtatue prout voles.

EPISTOLA XXXVII.

Accepi equidem recte Tuas omnes, & nullam in illis eſse profiteor, quin referta ſit notis, argumentiſque fidei, comitatis, ac benevolentiae Tuae priſtinae denſiſsimis. Itaque quum ſingularum nomine grates, laudeſque Tibi agam profecto ſanctiſsimas amiciſsimaſque, tum quantopere propter omnes Te amem omitto dicere, quia is animi mei ſenſus efficaciam omnem verborum meorum ſuperat; quo in ſtatu ullum hominem eſse poſse nunquam crederem aut intelligerem, niſi Tua beneficia ἀθάνατα & infinita me ipſum mihi iamdiu vivum eius monſtri experimentum, & ſpecimen propoſuiſsent. Etſi quum recte circumſpicio, videam nullum eſse, qui ſe dignum guſtu admirandae magnanimitatis Tuae cenſens in Florentia veſtra diem poſuerit, quin talem eum dimiſeris, atque adeo divinitus Fratri meo in mentem veniſse opiner, ut Te vocaverit Orbis Muſageten. Itaque quum nihil agant, profecto etiam nihil eſt, quod moreris illos ſcurras, aut patiaris amoenas illas tranquillaſque Muſas Tuas ullo modo commoveri interventu iſtorum, qui vile otium & mentem nigerrima invidia infectam non ferentes,

tes, chartas miſeras Cerbereo Aconito conſpuerunt. Ridebunt hos, & contemnent boni omnes, & Tuam vicem indignatione merita illos nugatores proſternent; quod certe nos facimus, & ſi occaſio erit, publice faciemus, non minus quam ſi mea cauſa ageretur. Hanc non fuiſse a me deſertam in tanta petulantia *Fabretti* ſane non poenitet, ac quicquid in his locis eſt meliorum hominum, cenſent quod ego cenſeo, nempe *Fabrettum* poſse eſse hominem diligentem in colligendis Antiquitatum reliquiis, & Inſcriptionibus, & ſcrutandis ruderibus; ſed coecum prorſus in ſtudiis Graecis, ac Latinis, & alieniſsimum ab illa amoenitate, qua res illae dilicatae tractari debent, & olim in Italia veſtra tractabantur. Pauca profecto iſtius *Fabrettini* horroris documenta protuli; ſed ſi aut placuiſset mihi, aut per labores alios licuiſset aliorum cauſas ſuſcipere, craſsam certe *συναγωγὴν* componere potuiſſem ex illis *Aquaeductuum Diſſertationibus*. Nunc qualem ſe in *Columna Traiana* & reliquis, quae adiecit, geſserit, exſpectabimus, donec tortoribus ſtudioſorum bibliopolis placuerit id ſcriptum huc tranſvehere, aut alia via id nanciſci potuero. Quod Fratrem meum illic nominavit, & ille & ego ſuſque deque habemus. Et quum mirarer Fratrem, qui ſaepe mihi teſtatus fuit nunquam vidiſse illum (quod tamen in eo multum reprehendi) illic nominari, ſciſcitatuſque ex eo fuiſsem, reſpondit ſe recordari accidiſse, ut Te petente locum illum *Strabonis* in libris MSS. inſpexerit, tibique chartulam iſtam commiſerit. Ego interim laetor facto meo, nec opinor poſse ve-

ſtra-

ſtrates arguere, quod me non praebuerim ludendum, etiam tum quum iocari non omitto. Et quaeſo an aliqui apud vos *Reſponſionem* meam legerunt? aut aliquae de ea feruntur fabulae?

Porro quae de maiore *Vergerio* ſubminiſtras gratiſsima habui, & ſuo tempore fructum iuſtum ferent: & ſi de iſta *Arriani* verſione amplius habes, omnino noli quidquam mihi celare. Caeterum ante omnia precor huius meae petitionis rationem habeas, an non ipſe noveris, ubi locorum *Interpretatio* iſta *Arriani* lateat? aut ſi adhuc ignoras, an non inquirere ſciſcitando ex notis, & amicis Tuis queas? Ad id velim cum cura reſpondere digneris.

De ſilentio noſtri *Graevii*, & ut vere dicam, inhoneſta negligentia non miſſi exemplaris ad Te, cui obligatus tantopere eſt, & ſe obligatum ipſe palam profitetur, ſane ſtupeo. Vbi res dabit, excitabo ſomniantem faciamque ut omnia manifeſte intelligas.

Venio ad poſtremas Tuas. Atque utinam, & rurſus dico, utinam eas in tempore, & maturius accepiſsem: teſtor ſancte nunquam ad edendas Cl. *Auguſtini* coelaturas acceſsiſsem, & me negotio immiſcuiſsem, quod nunc intelligo per ipſius Auctoris ultima mandata traditum eſse curae, & patrocinio Viri, cuius nomen non modo per aliorum inſignium Virorum citationes, ſed per ipſos eius proprios, & exactiſsimos labores celebratiſsimum eſt, ac notiſsimum & mihi, & omnibus per hos tractus Viris elegantioribus; imo quem fateri cogor, & libens fateor multi modis aptiorem ad

exor-

exornandum & emendandum id opus eſſe ; quam ego vel nunc ſum, vel ullo vitae meae tempore eſse poſsum, *Io. Pet Bellorii*. Vnica huius negotii occaſio fuit ſectio *Heinſiana*, ad quam accedens Bibliopola Amſtelodamaeus *Blotelingio* optimo noſtratium ſculptori, & qui in hoc opere manum ſuam experiri ſtatuerat, ſe coniunxit. Cauſa non alia, quam ut iſte liber his locis innoteſceret, ſine ullo commodo meo, immo, & cum incommodo, quum multis aliis occupatus eſsem : neque apud vos quenquam habeo, ad quem mea refero, & niſi fallor, iam diu eſt, quum de eo ad Te retuli. Doleo igitur graviſsime. adeo tarde rem ita & neceſsariam, & cognitu iucundam mihi ſignificari. Omnia mihi praeciſa ſunt non modo finita editione, ſed iam per nundinas Francofurtenſes diſsipatis exemplaribus. Quod ad conſilium Cl. *Bellorii* attinet, id quidem vehementiſsime probo in ſeparandis Vultuum imaginibus ab reliquis ſculpturis. Sed tale quid ut ego committerem, exſpectari non debuit, qui nihil ſecurius facere potui, quam intactum ſequi ordinem ab Auctore praeſcriptum. Vt vero ingenue fatear, ſi qua in eo licentia uti potuiſsem; ego quum plurimos vultus illic reperirem notiſsimos, maxime Romanorum, unde nulla in publicum utilitas, ſed mera libri ipſius, ac pretii oneroſa ſarcina, nec capiens, quid *Auguſtinus* in illis addendis ſequutus ſit (quam tamen cauſam in nonnullis edit) optavi ſaepe illorum aliquos abigi a me poſse, aut potius ab auctore fuiſse omiſsos. Itaque Eruditiſsimus *Bellorius*, quantum vel ad me, vel ad hanc Batavam editionem perti-

ti-

tinet, prorſum utatur licet conſilio deſtinato; niſi quod in eo (dicam enim libere) illud quodammodo ἄτοπον mihi occurrat, quomodo quae Auctor ſub nomine Pontificis Maximi, quem ſane omnes bonarum rerum amatores poſt fata venerari cogimur, ſeparatim; quaeque item ſeparatim ſub patrocinio Sereniſs. & Celſiſs. Patroni ac Domini noſtri prodire, & extare *Leonardus* voluit, eximius *Bellorius* non vereatur miſcere, & alterum alteri ſupponere. Sed id vos videbitis. Quin etiam non eſt, quod ob hanc Batavicam, nova Romana & melior, &, ut intelligo auctior editio differatur; quum ſi tam rari illuc veniant noſtri libri, quam raros ſe Romani oſtendunt nobis, nullum profecto periculum ſit alicuius moleſtiae. Tantum optime facies, ſi Optimum *Bellorium* (quem ego officioſiſsime ſaluto, & omnem mei uſum operamque, & fidem in his locis offero tanto ſanctius merita eius colens, quanto indigniore latratu Vrbinas Cynicus illum quoque afflare ſuſtinuit) hortatus fueris, ut figuras (inde enim plurima diſcimus) quam liberaliſsima acceſsione ornet quum dubium nullum ſit, quin poſt *Leonardum* plurima talia vetuſtatis ludicra vel effoſsa ſint, vel aliunde Romam importata, quod ego in *ſacris Mithriacis* tentavi facere, potius quam feci. De amicitia, & mutuo uſu inter *Leonardum*, & Cl. *Bellorium* ſatis mihi conſtitit ex duabus *Leonardi* praefationibus, ex quibus ſemper dubitavi, an non annotationes illae ab *Bellorio* ferme omnes venerint. Si occaſio eſſet mittendi ſecure, libens cum *Blotelingio* agerem, ut vobis exemplaria mitteret; ſed neſcio unde

omnia

omnia fallaciarum ſunt plena. Nunc habe praefationem meam, unde noſces omne opus. Ardenter deſiderabo intelligere, quam recte haec ad Te ſint perlata.

Amſtelodami parant novam *Luciani* editionem, & a me ſymbolam flagitant. Doleo in tot Laurentianis fruſtis nihil diligenter mihi inſpectum.

Fratrem officio functum eſse laetor, magiſque etiam, quod id ita ceciderit, ut Tibi non ſit ingratum. Deus Opt. Max. & mihi, & illi eam mentem per omnem vitam inſpiret, ut Tibi probemur, quam gratiſſimi. Literas ad eum Tuas, & alteras in Daniam curavi. Vale.

Iſte *nonnemo* eſt noſter ſuperbiſsimus *Cuperus*.

Rever. *Danieli Papebrockio* noſtro ages plurimas pro fida opera gratias, etiam meo nomine.

Leidae die XXIV. Maii 1685.

EPISTOLA XXXVIII.

QVoniam hoc ipſo momento accipiens epiſtolam, quam ſcripſiſſe teſtaris die XV. Septembris, & ex ea intelligo plures a Te ſcriptas eſſe epiſtolas per hoc tempus, ſignifico Tibi poſtremam, quam a Te accepi, datam eſse die 3. Iulii; toto illo intervallo nihil vel directo a Te accepi, vel per alios de Te cognovi. Eo tempore nec ipſe quidquam ad Te ſcripſi, quia in dies expectabam, eamque

ex-

exſpectationem Tu commoveras, nempe ut reſciſcerem, ſi quid alicunde de *Vergeriana Arriani Interpretatione* expiſcatus eſses per amicos, quibus cum ea de re egiſſe Te ſcribebas; ſed & de *Inſcriptionibus Neapolitanis*; item de certo loco praefationis meae ad *Gemmas Auguſtini*, diſerte promittebas a Te neſcio quid me auditurum. Denique quid aut Cl. *Bellorio* aut aliis illic eximiis Viris videretur. De his omnibus ſingulatim iam iam edoctum me iri ſperans diem ex die protuli, donec obruere me inceperunt publicae ac privatae Scholae, quae vix haec ipſa a me ſcribi nunc permittunt. Ante omnia cupio ſcire, an non adfuerit Tibi *Ioannes a Stetten*, iuvenis affatim politus, Auguſtani Conſulis frater, cui easdem Figuras *Mithriacorum* ſacrorum tradidi, orans, ut quum ipſe non modo vivat prope illum pagum, unde ego produxi, ſed etiam haud dubie tranſiturus ſit illam quae trium eſt ultima, & per ſculptorem concepta tantum ex deſcriptione mea & *Rulaei*, cum ipſo lapide conferat: maxime enim vereor, ne alas adſpexerimus partem veſtris adfluentem in tergo. Peto igitur a Te, ut has preces meas denuo illi inculces, & negotium id acriter commendes, ſignificeſque literas eius cum ectypo Nummi ab *Thevenoto* traditi recte a me curatas. Sed & hoc permitte, ut Tibi libere proponam; quoniam illas *Gemmas* pro meis non poſſum habere, & propterea nemo per me eas dono poſſidet, an fas ſit, an liceat, an aequum ſit, ut cures duo, vel tria exemplaria illuc deferri, ut Sereniſs. Domini noſtri, cuius Auguſto Nomine ſecundam partem illu-

ſtra-

ſtratam eſſe noſti, oculos ſubeant. Ego hactenus a me id impetrare non potui, incertus rumorum, quos tamen hic quidem optatos ſatis nunc intelligere incipio. Tu me docebis.

Cum Collega meo verbum unum non feci de *Epiſtola ad Caeſarium* (1); nec quid ille in animo foveat, quidquam ſcio.

Fabrettum quod attinet, mecum ſecurus eſto. Si enim doctrinae res agetur, quidquid aget, aliter cogetur *Strabonis* locum tractare, quam fecit: & quod audio ab illo factum eſſe, ut nempe aliquot diebus Tibure vixerit, ut hodiernum illorum locorum ſitum in mappam novam, &, ut credo, accuratiſſimam conferat, in eo ineptus apparebit ſatis, quum hodierna nihil ad vetera Quod ſi vitam, & talia aggredi cupiet; profecto is ſum, qui vel αἰσχρότατα poſſim ridere, mihi conſcius, & tamen pergo, quod ſciunt hic me omnes facere, iocoſe & hilariter vivere. Quod ſi cognoveris illum de mendaciis quibusdam dubitantem in Vrbem veſtram ſcribere, ut certior fiat; quaeſo Te, cura, ut potius adfirmentur, quam deſtruantur: quo enim erunt enormia magis, eo maiorem mihi laetitiam & illis qui me norunt, quales ſunt ubique ſatis multi, clariorem falſi exprobationem efficient: ne dicam, quod ſic indoles & voluntas *Fabretti* exponeretur manifeſtius. Id vero magnopere vellem, ut inquireres; quid cauſae

1 *S. Io. Chryſoſtomi Epiſtola ad Caeſarium Monachum Gr. cum Lat. Verſione*: *Iac. Baſnage Diſſertationes tres &c. Traiecti ad Rhenum* 1687. in 8.

ſae illi fuerit, ut utique tam futili amaritudine rem illam, an errores meos dicam? aggrederetur. Potuit enim id tentare, ſed lepidioribus verbis; quod certe elegantiorem Virum decebat. Sed iam plus ego ita remotus Tibi, qui *Fabretto* ſic vicinus vivis, narrare poſsum, quam Tu quidem mihi indicas aut vis indicare: neque enim *Fabrettus* veſter, & noſter *Cuperus* adeo alieni vivunt, ut non iuncta opera ſint me conculcaturi, ſi elephantinos haberent pedes. Itaque & ab *Fabretto* didici, & ſum certus parari ſingularem libellum pleniſsimum ſcommatibus, propter quae nimium numeroſa, non poteſt maiori libro eum inſerere; & ab *Cupero* opperior in dies me baptizatum iri *M. Grunnium Corocottam*, cum acerrima defenſione *Harpocratis*, quem falſum dixi. Quid quaeris? putas me aliter omnia excepturum, quam ridendo & iocando? non certe, nec ſi mille tales veniant; quin & ſi quid opportune ad doctrinam pertinens produci poterit, reſpondebo utrique, prout aequum erit. Tantum miror non a Te ſtudioſius inveſtigari hoc arcanum, & clienti Tuo, ut ſe ad omnia roboret, declarari. Sed mitte potius has nugas; & ſi quid *Arriano* aut alteri ſtudiorum parti utilius intellexeris, unde aliquid ſolidius diſcam, mecum communica. Vides *Iacobum Sponium*, ubique iam nomini ſuo apponere *aggregè a l' Academia de' i Ricovrati en Padeva* (1); ut fere incipiam do-

1 Academia haec *Ricovratorum* Patavii celebris inſtituta fuit a *Carolo Patino*. V. *Leggi degli Accade-*

lere, cur adeo ſeverus, & nimium ſerius fueris, quum verſus a me ad *Patinum* miſſos curare ad eum nolueris. Certe ab illo tempore non videor *Patino* tam benevolo uti, quippe qui beneficium eius ruſtice ſpreverim, aut ſodales illos tacite videar neglexiſſe. Vides coniurare plurimos contra me, cur ergo non utar benevolentia eorum, qui aeſtimare volunt? Ego prorſus eſsem auctor, ut ſi alicubi verſus eos abieceris, licet tarde, tamen mittas. Poteris facile excuſare, quod inter copioſiſſimas chartas Tuas latuerint. Liceat nobis quoque hactenus phaleris uti, non tamen ut ab iis perdamur.

Fratris mei libellos accipere poteris ſimul acceſſerint Liburni apud mercatorem noſtratem ſatis celebrem, cui nomen eſt *Moylives*, etiam mihi notum, precorque ſi ad eum ſcripſeris, ut meo nomine ſalutes. Is iam novit ad ſe illos libellos directos eſſe, ut Tibi mittantur, & ſic ſe facturum literis ad mercatorem hic habitantem promiſit. Sed & navem, in qua onerati illi ſunt, tranſiiſſe fretum Gaditanum intelleximus, ut ad adventum huius epiſtolae vel habere poſſis, vel habiturus ſis.

Feriarum Canicularium partem dedi attentae lectioni *Piſanorum Cenotaphiorum*; in quibus certe occurrunt obſervata ſatis accurate & ſtudioſe; ſed in omnibus apparet ratio vitae, qua auctor in meliore aetate uſus

eſt,

demici Ricovrati riformate ſotto il Principato di Aluiſe Ant. Campoſampiero l' anno 1697. *in Padova* 1697. in 4.

eſt, quod ſane doleo: poſſem multa enumerare huius generis ſigna, quae corrigi per aliam editionem intererat gloriae veſtrae. Eſt enim Sereniſsimae Munificentiae aeternum pignus. Etiam habui occaſionem perluſtrandi *Sepulchri Naſoniani* (1), in quo miratus fui, cur in Tabula xxv. utraque ſtatua ſupponatur tenere anatem, quum tot ſint alia Hiemis indicia, & an in capitibus non eſt aliqua differentia? ſed haec hactenus.

Monachio oſtendi quae volueras de ſecunda editione libri *Albizziani*. Toto tempore nihil mihi dixit, quid de epiſtola intellexerit, vel ex Gallia, vel undecunque: nec ego quaero. Vale plurimum.

Leidae die 11. Novembr. 1685.

An ab his nihil reſciſcere potes, quo ſtatu, vel nomine nunc ſit Vrbs Epiri *Dodone*. Poterit haud dubie *Patinus* aliquid certe ſignificare.

EPISTOLA XXXIX.

QVia iam experiri incipio cingentes me occupationes, & denſiores adventuras praeſagio, & vix officio ſcribendi intra duos menſes vacare potero, fidem intere-

1 *Le Pitture antiche dei Sepolcri de' Naſoni nella Via Flaminia diſegnate ed intagliate alla ſimilitudine degli antichi Originali da Pietro Santi Bartoli, ed eſpoſte da Gio. Pietro Bellori. Roma* 1680. in f.

rea obſequii mei per hoc chirographum meum Tibi declarandum putavi. Scias igitur ante omnia mihi binas Tuas recte traditas eſſe, per quas ego gaudiis delibutus fui, quippe & Te recte habere, & favorem Tuum mihi integrum eſse nunciantes, prae quibus duabus rebus ego nihil in hoc mundo optandum habeo. Literas Tuas in Daniam curavi ut ſecure perferrentur Lubecam, & traderentur cognato eo, cui eas ulterius recte dirigendas commendavi. Cl. *Letium* (1) Amſtelodami quoque ſalutavi, & ea quae volebas reſciſcere volui. Sed reſpondebat ſe iam Tibi de his rebus ample ſcripſiſſe. Gratus mihi erat ſermo eius Viri, cum ob alia, tum quod is, qui Legatus Sereniſsimi Magni Ducis in Angliam fuit, fautor ſcilicet Tuus, meuſque (nec profecto id ego noveram, alioqui me conſpectui eius obtuliſſem) cum eo mirifice diſseruit de unico veſtro ſapiente, ob quod diu erat, ut ridere cogerer; quum putarem fieri non poſſe, ut aliquis iudicium ſuum affectibus ſtupidis ita manciparet. Etiam *Bailio* (2) Roterodamenſi Tuum obſequium ſignificavi cui omnibus modis id gratum fuit.

Interim quum acerrime ſtudere inciperet, videns ex illis, quae edideram ad *Stephani* Δωδώνην qualia ſibi deeſſent, & ſpes mihi eſset fore, ut aliquid adhuc bonum in ſtudiis praeſtaret; raptus ab morte eſt *Berkelius* vegeto corpore & florenti aetate, eo quod Re-

1 *Gregorius Letius*, de quo alibi fuſius agemus.
2 *Petrus Bayle* Eloquentiae apud Roterodami. Profeſſor.

Renes erant obſtipati, nec tranſmittebant urinam. Tanto id mihi dolentius, quod & ſenecta diſſolvit amplisſimum *Goeſium*, ſemper amiciſſime de Te loquentem, & mihi ſane benevolum. Horum numero acceſſit etiam *Paatſius*, vir & dignitate honorum, & ſtudiorum quadam amplitudine magnificus, cui comes haeſeram Legato in Hiſpaniam, & per uxorem meam cognatus ei factus eram, unde nunquam omiſit ardenter me amare, ita ut omnium horarum ei eſſem. Hinc triſtitia cogitationum me occupat; neo tam mea, quam ſtudiorum cauſa; quibus quum dediti ii tres ſummopere eſſent, eximia illorum pars certe per eorum mortes his regionibus erepta eſt, nec video ſuccreſcere meliores.

Meae res ſunt prout volo, aut optare ab Coelo poſſum; niſi quod ad pleniſſimae voluptatis fruitionem deſidero ipſum delicatuli mei *Iaſithei Apologema*. Nam quum non ſine effuſiſſimo riſu verſatus fuerim in perlegendis *Actibus Parmenſibus*, ex quibus video eum attigisſe alia loca in meis *Geographicis Epiſtolis*, tum imaginor longe denſiora mihi oritura gaudia ex ipſa lectione ſtyli, ut opinor non minus tetri, ſpinoſi, & acerbi, quam eſt ille, quo uſus eſt in *Columna Traiana*. Singulae autem materiae (quas ex illis paucis coniectare ſatis poſſum) immenſos nobis daturae ſunt ludos; ita bene me inſtructum, & ornatum crede. Maxime ridiculum ſe praebet, quum accedit ad Ill. Curatores noſtros: quod quum narrarem *Ryckio* Collegae meo, id tam inſipidum ei videbatur, ut fieri poſſe non crederet. Hinc perbelle cachinnavi-

mus * *. Non minus riſimus ea, quae monet de *Holſtenianis* in *Stephanum*: quis neſcit ea talia eſse, qualia vult? nec tamen inde conficiet ſuum *Algidenſis*. Sed de his affatim; nam ipſum Librum opperiar, ut certus ſim; quem tamen neſcio qui nanciſcar, niſi Tu mihi opituleris. Alioqui expectare illum iubebo quadriennium, ut fecit in *Aquaeductibus*. ſed quaeſo quis eſt, quem in *Columna Traiana* tam vehementer, & indecoris verbis exagitat? Qui hinc omnia ad *Raphaelem* referat, utique futilem illum *Cuperum* iam aliis indiciis, opinor, Tibi demonſtravi. Tum *Ryequius* ex iuvene Leidenſi, *Petri Cunaei* nepote, qui hac aeſtate Romae fuit, percepiſſe mihi narravit, eſſe in eo libello duas narratiunculas morae meae Daventrienſis, quas non niſi ab illo habere poteſt: earum vero materiam ardens expecto ſcire, quum non niſi laetiſſime illic vixerim, indignitatis cuiuſquam mihi non conſcius. Quod me attinet, ſic me locavit Deus, ut quantuſcunque fiat inimicorum mihi numerus, eos & queam contemnere, & contemnam. Quantam vero prudentiam licebit in reſpondendo adhibere, adhibeam, prout rem natam videbo, nullus dubitans eos, qui ex tranſverſo plagam mihi inferre conantur, pari vice excipere.

Scotum, qui a vobis veniet, necdum vidi: nec de altero illo σπερμολόγῳ mendaci ineptiarum quidquam inaudivi. De Danis illis, & tanto ſilentio miror. Quum ego literas Tuas ſecure Lubecam dirigo, & cognatus illic vivat intimus, & gratiſſimus mihi, atque adeo recta inde Tabellarius Hafniam eat, fieri

ne-

nequit, quin recipiant Tuas. Attamen quia *Robertus Goeſii* filius ab Republica noſtra nunc ſit illuc Legatus miſsus ad longum tempus, potero per illum reſciſcere, & reſciſcam, utrum tres quatuorve literas iam illi a Te acceperint.

Praeter quam quod primo tempore proditurum ſit reſponſum meum de locis *Pomponii Melae* contra Iſ. *Voſſium* (1), incepi curare imprimi *Gellium*, quibus adiungentur notae Patris mei ad libros octo priores, quibus ille eſt immortuus.

Leeuvvenhoeckius ante biduum amiciſſime, & me ſalutavit, & de Te locutus eſt, etiam ut has literas ad Te curarem obteſtans, quod ut bona fide facio, ſic ſpero proſpera via, & tuta venturas.

Cuperum unum eſſe audio, qui iam acceperit *Apologema*.

Vultum velut ab ipſa artifice Natura ad tranquilliſſimam ſerenitatem effectum, & perpolitum ſane adoravi. Deus Opt. Max. tot terris; totque populis indulgeat, ut hanc externam ſpeciem vincat interna voluntatis, & animi Pax & vere Principalis lenitas. Nunc plura addere vetat oneroſiſſima occupatio, quae quotidie me cogit per quinque horas auditoribus ſatisfacere. Vale plurimum, Venerande Fautor, & me amare perge.

Leidae die 7. Novemb. 1686.

1 *Iac. Gronovii Epiſtola qua reſpondetur argutiolis quibus in Appendice Obſervationum ad Pomponium Melam utitur Iſaacus Voſſius. Lud. Bat.* 1687. in 8.

EPISTOLA XL.

DVm fruſtra deſideo exſpectans quid mihi reſponſurus ſis de equeſtri gradu *Fabretti*, & aliis, quae occaſione *Apologematis* notavi, & ad Te miſi, quaeque accepiſſe Te ſignificaſti, imo & de ſingulis pollicitus es me edocere; dum, inquam, haec fruſtra diu exſpecto, decrevi tandem melius fore, ut per has ſecundas literas Tibi moleſtus veniam, quam celem poſtremas paginas cum tabella recte ad me curatas eſſe. Itaque ſicut per eas omnes robur ingens addidiſti vinculo, quo Tibi iungor, & obſervantiae, quam Tibi debeo, & ſemper vel tacitus vel loquens offero; ita precor ne diutius me haerere ſinas in eis, quae facilia Tibi ſunt cognitu, & mihi vehementer opitulabuntur. Nam ut omnia quae miſerrimum illud, ſed improbum *Apologema* clariſsime confutabunt, meditata habeo; ita in mundum coniicere haec vis poſsum, niſi de illis recte formatus fuero. Id igitur precor, ut & quam citiſſime, & quam largiſſime facias; non dubitans id oneris Tibi imponere, quia nihil mihi ſoles negare.

Literas Tuas Hafniam curavit *Crucius*, cuius affinis *Robertus Goeſius* apud Aulam iſtam Orator harum regionum vivit; ut dubitare non poſsis, quin recte datae ſint.

Cunigamius ubi haereat, poſtquam ex hac Vrbe diſceſſit, nullo labore potui inquirere, niſi quod populares quidam eius dicant Germa-

manicum iter ab eo ſuſceptum, non alicubi fixiſſe manſionem: unde Tuas ad eum literas etiamnum detineo. Interim diſceſſit hinc *Ioſua Worms*, Religione Iudaeus, in hac Academia factus Medicus, & mihi bene ab longo tempore notus, cui & *Catalogos Geoſianos*, & *Exercitationes* meas *de morte Iudae proditoris*, & *ſecundae contra Voſſium Epiſtolae* paginas (quibus hae quas vides adiungi debent) ad Te deferenda commiſi, de fide eius omnia ſecura mihi ſpondens; quem, ſi conſilio, aut alia re iuvare, ubi potes, & ipſe rogaverit, volueris, rem mihi gratam prorſus feceris, quippe quem eo dignum opinor. Si numerem tempora, aut iam iam aderit, aut iam adfuit Tibi.

Credo miſſum Tibi eſſe ab *Andr. Morellio Specimen*, quod edidit, *Antiquae Rei Nummariae* (1). In eo Tab. XI vides ab illo exhiberi Numum cum titulo ΕΥΤΥΧΕΙϹ ΚΑΙΡΟΙ ubi ex quatuor pueris, iſte, quem facit aenigma hiemis, manu ſiniſtra aliquid tenet, quod valde obſcurum illic exprimitur, nec in explicatione Latina addita ullam eius rei mentionem facit. Praeterea ſcribit eſſe *Florentiae in Gaza Magni Ducis Etruriae*. Precor Te, ſi potes & lubet, ut hunc Nummum inſpicias, & tam quid tertius puerulus autumnum referens manu dextera ſubmiſſa tangat, vel teneat, quam quid quartus mihi ſcribas.

Libri *Goeſiani* impenſo & cariſſimo penitus pretio venditi ſunt, ut paucos mihi compa-

1 *Andr. Morellii ſpecimen univerſae Rei Nummariae Antiquae. Pariſus* 1683. in 8.

paraverim. Sed Nummos tamen ab *Nic. Heinſio* in Italia collectos omnes mihi ſimul addidici paſſus fui, etiam quidem maximo pretio; ſed quia deſperabam, ſi hanc occaſionem praetermiſiſſem, ullam ſimilem horum Nummorum nanciſcendorum mihi orituram, quamcunque illam pecuniae ſummam negligere debui. Nec adhuc poenitet. Sunt enim, & Nummi ipſi perfectiſſimi, & magna cum voluptate ſimul ac fructu illis utor.

Paucis poſt auctionem diebus, Ampl. *Cruciut* uxorem ſuam *Goeſiam* quartum foetum, ſed tertium vivum enixam amiſit, unde is non parum diſtringitur, Teque ſalvere iubet, precans ut hanc epiſtolam mittas, quo index dirigit.

Quid intelligis de noſtro *Stettienio*? aut ubi ille agit? ſi iam rediit Auguſtam, rogo, ut quum occaſio ſic feret, eum meo nomine ſalutes, quaeraſque an *Mithrae* tabulam, ut eum rogaveram, inſpexerit, depinxeritque in pago prope Oens pontem. Cogunt me alia negotia abrumpere. Ideo utor ſolenni formula, Vale, & ama clientum Tuorum &c.

Lugduni ad Rhenum die IX. Maii 1687.

Gellius fere finitus eſt cum Paternis notis.

EPISTOLA XLI.

LIterae quidem Tuae omnes recte huc venerunt, & tam mihi meae, quam aliae aliis, quibus inſcriptae erant, redditae ſunt; ſed ut vere dicam, non niſi admodum ſe-

ro. Nam quum fere univerſae acceſſerint circa dies ob Caniculae ſidus feriatos, & hos ego, quia per ſeptem annos in loco meo natali non fueram, agrique, & aliae res meae per alios curatae erant, in iter Daventrienſe impenderim; interim & Vltraiecti apud *Graevium*, & Neomagi apud *Smetium* adhaerens, denique tarde reverſus domum, illic Tuas inveni. Antequam iſtae feriae inchoarentur, de ſcribendo ne cogitare quidem potui, quia & multiplices privatae ſcholae me occupabant, & praeter has ſuſtinere debui officium parentandi *Chriſtophoro VVittichio* (1), qui Theologicorum Profeſſor ab ingenti audientium coetu frequentari ſolitus, magno huius Academiae damno, quod ab ſuperſtitibus vix ſarcietur, exſtinctus eſt, mihi ex gratiſſimis amicis. Id quod gaudeo ita perfectum eſſe, ut ab omnibus laudem gratiamque ſummam traxerim, quod noſti difficulter illo hominum iſtorum diſſidio, & fere factione fieri poſſe. Itaque ringatur licet *Fabrettus*, nihil cavillationes eius me laedunt. Sed & praeter iſta abſolvendus erat *Gellius*; quod etiam ſatis decore, quantum intelligo, praeſtiti, in cuius praefatione non leviter ignorantiam *Fabretti* tetigi. Id quod propterea feci, ut & *Apologema* iſtud popularibus meis, aliiſque notum facerem, & ſimul qualis eſſet *Fabrettus*, palam oſtenderem ita, ut negare nequeat; & paſſim hic pro deliro iſte nunc tra-

1 *Iac. Gronovii laudatio funebris recitata poſt obitum Chiſtophori Vittichii*. *Lugd. Bat.* 1687. in 4.

traducitur, quidquid agat *Cuperus*. Eo magis mirari debeo, ſi tam ridiculus in doctrina ſcriptor apud vos iſtam tyrannidem exercere poſſit. Sed magis miſeret me ſtultitiae, quae apud vos obtinet; neque concoquere poſſum, cur quum ſcires eam eſſe veſtram rationem, me hominem libertati deditum volueris inducere, ut illic verſarer. Profecto potius irem, ubi nec Pelopidarum nomen, vel facta &c. Itaque & haec cauſa in ſcribendo tarditatis meae eſt, quod ſane in tot Tuis literis nullam mihi ſuppeditaveris ſcribendi materiam, valde utique brevibus & tenuibus, quum ego ad longiſſimas, quales deſiderabam, exarandas materiam praebuiſſem; atque adeo aut nolueris aut veritus fueris mihi ſcribere, quae me cognoſcere cupere intelligebas ultro, immo ipſe ſciſcitatus fueram; etſi ſic quoque fatear exoſculatus fuerim comitatem animi Tui, quam & perſpectiſſimam habeo, & in iſtis ſingulis elucentem agnoſco. Vbi dabitur occaſio, & *Laudationem*, & *Gellium* habebis. Etiam ad *Lucianum*, qui in his regionibus editus eſt, ſymbolam non exiguam contuli.

Nunc quid amplius Tibi ſcribam, quum videam adeo circumciſas Tibi eſſe pennas, & conſulenti mihi de illis, in quibus parum haeſito, reſpondere non ſuſtineas? ſed ante omnia miror, quum veſtigare poſſis omnia, nihil Te reſciſcere poſſe de *Arriano Vergerii*, quod tamdiu Te rogo.

Ab *Stettenio* noſtro nihil, niſi quod ex Neapoli miſit, accepi; quod non bene intelligo, quum tantopere ipſum oraverim de

La-

Lapide Brixenſi, qui reverſuro in patriam citra Venetias occurrebat, depingendo, & ipſo tam tam ſtrenue mihi promiſerit. Quaeſo, ſi quando ad eum ſcribes, velle aurem, & homini utique polito inculca, ut fidem liberet.

Eſt alter item Auguſtanus *Matth. Freder. Beckius*, qui nuper edidit libellum de *Monumentis antiquis Auguſtae Iudaicis, & Appendice Velſeri*. Eum vidiſſe Te credo. Is pag. 52. de nudi militis ſtatua ſcribens quaerit, Vtrum *Romuli* eſt a Romanis inter Deos relati & culti? ac reſpondet obiiciens, *Aſt ille togatus alias conſpicitur*. Oro, an Tu meminiſti, vel in nummis, vel in marmoribus vidiſſe *Romulum* togatum? Ego plane non vidi, & huc uſque non memini aliud ex eo nobis ſupereſſe, praeter caput in nummo Gentis Memmiae, quem ego etiam poſſidere incepi, & inde non ſatis accurate eum expreſſum nunc video. An penes Te quoque eſt Nummaria ſupellex? equidem non memini ex Te audiviſſe. Sed ex quo emi nummos Heinſianos, magnopere iſta res me delectat, & praecipue ſector illos, qui Republica adhuc vigente ſunt cuſi. An potes in his coacervandis me iuvare? Nam pretia libens refundam. Multa in iis obſervata patefeci *Graevio* noſtro, quae illi admodum placebant, adeo ut quos ille nummos, ut vocant *Conſulares* poſſidebat, ultro meis addi voluerit.

An *Cuperus* miſit Tibi ſecundam editionem *Harpocratis?* In promptu mihi eſt, & peſſime Imagunculam eam exceptam oſtendere, & falſam appellationem eſſe, quam induit: Et hic ſtimulus fuit profectionis ad *Smetium*.

No.

Nequeo coniectare cauſam, cur D. *Van Thyen*, inchoaturus tantum iter, me non ante ſalutaverit, quum & per annum me audierit, & ſaepe iucunde inviſerit, & ego nunquam ei detrectaverim adeſſe, ubi me rogavit; niſi quod ſuſpicor illum veniſſe ad aedes meas, quum fortaſse illic non reperirer. Si adhuc apud vos eſt, ſalutes precor, & illum, & D. *VVittium* elegantiſſime, ut audio, peregrinantem, quod in noſtris adoleſcentibus perrarum iam eſt.

Apud Cl *Graevium* frequens Tui mentio inter nos facta eſt, tum paſſim, tum inter pocula. *Officia Ciceronis* (1) nuper abſolvit.

Maxime doleo abfuiſse me domo tum, quum huc venit ex Italia, ut ferebat, filius Regis Angliae nothus, allaturus mihi ſalutationem ab amicis Italicis, ut palam dixit, idque poſtmeridiano tempore diei, quum mane laudaviſsem *VVittichium*. An Tu ipſe es, qui me tanto Iuveni notum feciſti? Interea fruor vita quam lepidiſſime; id quod Te quoque facere precor. Vale plurimum, Honoratiſſime Evergeta, quod & *Graevius*, & Frater meus ſe ex animo Tibi vovere, voluerunt ut Tibi ſignificarem.

Leidae, pridie Calendas Novembr. 1687.

EPI-

1 *M. Tul. Ciceronis Officiorum Libri* 3. *&c. ex recenſione*, *&* *cum Animadverſionibus Io. Georgii Graevii*. *Amſtelod.* 1691. in 8.

EPISTOLA XLII.

SImulatque priores literas Tuas cum *Sermone gratulatorio* (1) accepi, volui ſtatim Tibi reſpondere, niſi me aliae variaeque cauſae avertentes huc uſque impedivisſent, ut etiam alteras Tuas interea acceperim. Stimulus vero feſtinandae reſponſionis non erat alius, quam ipſe ille ſermo, cuius auctor nullo documento aeque claram, ac maniſeſtam fecit impoſturam ſuam, quam illo ipſo Sermone. Nam ubi alloquutus Hungariam convertit ſe ad patriam ſuam, Principi Arauſiaco adulaturus, & de illis, qui vitioſe ſane hunc Optimum Ducem ab imperio arcebant, ſcribit, eos id fecisſe proprii commodi gratia *conſpiratis factionum partibus*: ſunt verba *Phaedri*: has ipſas voces in dedicatione *Auſonii* anno 1671. uſurpavit de illis, qui Principi tunc favebant, quorum ipſe tunc ſe hoſtem oſtendit: ut adeo non ex animi firma ſententia, ſed pro varietate temporum hominumque ſcias eum mores induere. Ex quo praevidere ſatis potes, quid de eo, quod poſteriori epiſtola de eo ſignificabas

1 *Iac. Tollium* ſubamare vellicat; eiuſque opera ſequentia innuit. *Iac. Tollii ſermo Gratulatorius ad Ioſephum Archiducem Auſtriae, quum Hereditarius Hungariae Rex coronaretur*. *Florentiae* 1687. in 4. *Auſonii Opera cum notis variorum edente Iac. Tollio*. *Amſtelod. apud Io. Blaeu*. An. 1671. in 8.

bas futurum ſit: ſola enim nummi ſpe vides illum duci, nec credo praeſtiturum quod praetulit Nec ſane alia ab popularibus ſuis in eo concepta eſt opinio; adeo mirifice & fatue ſe geſsit, ut ne frater quidem, qui gratiſsimus *Arauſio* Principi fuerat, ſed iam mortuus eum iuvare potuerit. Nunc etiam intelligo eum ſcripſiſse ſuis non vigere in his locis ſtudiorum amorem, ſed unice Florentiae, ubi Sereniſs. Dux donaverit centum coronatis, eo quod deſcripſiſset aliquid *Etymologici* MS. Quod quum narrari audirem, lepide apud me riſi, vafritiem hominis exſecrans: nam quae mihi ſignificaſti, teneo ac taceo, & mihi commiſsa ſervo. Maxime video ineptias viliſsimas de iactata Chemia, quae illam ſequuta ſunt.

Peto ut haec Nob. *VVittio*, ubi redierit, ſignifices. Intelligo *Mithram*, & ſacrorum eius deſcriptionem, quae praecipue in eo conſtant, quod Taurum ſubſtratum calcat cum quibusdam parergis, ſpectari in marmore exciſa Romae in Palatio *Caeſiorum*, in muro exteriori S. Marci, in aedibus *Octavii Zeno* retro S. Barbaram, in aedibus Doctoris *Raimondi* iuxta ſacellum, in Aedibus *Severini Stellae* prope ſacellum *Vigilia Chriſto*, in aedibus *Franciſci Porcarii*, nec non in aedibus prope *Ieſuitas*; Quae verba citat *Cuperus* in *Harpocrate* p. 66. ex neſcio quo alio. Itaque obnixe Te rogatum volo, ut ſi quas ex his figuras per amicos Tuos Romae delineatas impetrare potes, eas mihi conficias. Equidem ſi haec ſignificaveris opportune per literas vel D. *VVittio*, vel D. *Van Thio*, non dubito,

quin

quin diligenter illi ſint collecturi, & has, & ſi quas alias antehac ignotas detegere potuerunt. Plane non intelligo cur noſter *Van Stetten* operam hanc ita ſancte mihi promiſſam praeſtare nolit, quod utique ſine ullo periculo, vel ſuſpicione facere poterat, quum hoc totum ſit alienum ab iſta cauſa. Te quoque quantum potero poſt hac removebo ab omni diſcrimine, nec quidquam petam, unde fieri poſſit ut involvaris alienis litibus; ac licet forſan ego in petendo ita interdum circumſpectus non ſim, Tu tamen pro prudentia Tua videbis quid e re ſit.

Haec ſcripſeram, quum D. *Van Thye* eſſe in reditu, ac iam veniſse Pariſios ex Fratre eius ſimul adferente *Vrſati erudita Marmora* (1) (de quibus Tibi gratias ago) intellexi. Itaque rogo, ut cum *Vittio* hac de re agas.

Praeterea quaeſo inquire, ſi quis in ſuburbanis Romae agris verſus Orientem circumſpectet montes, quod cacumen huic ſpectanti apparet eſſe editiſſimum? utrum circa Albam, an Tuſculum, an vero quid aliud. Id mea ſcire valde intereſt.

Ab *Papebroeckio* accepi. Sed mallem aliquid ad Te allegari, noſtrorum ſtudiorum ex Graeca aut Latina antiquitate, eam popularibus Tuis magis placere.

Sed & poſtremas iam accipio, in quibus quae ſcribis de *Bur* . . . ea iam per duodecim menſes ſtomachum moviſſe, teſtem Tibi

 fer-

1 *Sertorio Orſato: i Marmi eruditi, ovvero Lettere ſopra alcune antiche Inſcrizioni. Padova* 1669. in 4.

ſerre poſsum noſtrum *Crucium*. Nam quum primo Itinerarium illud ſcribere incepit, forte me ſalutans, obiter de Cryptis ſubterraneis Romae, & in Campania mecum loquens, rapuit hanc occaſionem mei illic nominandi. Itaque ſtatim illius editi in lingua Anglicana exemplar mihi ab ipſo miſſum legi; & quum nequirem concoquere illas voces ex ore Tuo illic relatas de *Epiſtola Chryſoſtomi*, cum Ampl. *Crucio* Hagam me contuli, & de Te egi, interrogans an non videret, quanta oneraviſſet Te invidia apud ipſos Cuſtodes, quos licet noviſſem eſſe indoctos, nihilominus in poteſtate habentes iſtam gazam, & cum quibus utique vivendum Tibi ſit. Nec ſatis; etiam alios, qui Tibi non bene volunt, hinc calumniae vel cavillationis occaſionem ſumpturos, quod ita proiecte iudicares de vitiis &c. Et me quidem agnoſcere in familiari ſermone Te iſta protuliſſe; ſed an iſtum ſic aperte quis prudens producet in publicum? Quum haec tria ſic edidiſsem, ille detrectavit cuiuſquam horum rationem ullam habere; ſed reſpondebat, apud illos poſſe Te facile purgare, ſi diceres non iis verbis, nec tam contumelioſis Te de illis uſum eſſe, ſed hunc ita interpretatum: quod ad alios attineat, notum eſſe omnibus, quales illi ſint. Haec praeſente *Crucio* ante annum a me acta ſunt, quae ſcribendo indicare Tibi auſus non ſum, propter epiſtolarum pericula, quae ſcribis; & nunc huic chartae mando, quia ſic praeiviſti. Quia tunc non obtinui, ne nunc quidem huc deſcenſurum opinor, ut voluntati Tuae annuat; etſi quod rogas, propoſiturus illi ſim, ubi occa-

ſio

ſio ſe dederit. Sed rogo Te, cui bono erit nunc deleviſſe, quum liber ille in omnes linguas ſit converſus iam, & in omnes terras miſſus; ut nec opiner aliam editionem brevi orituram, quum nullus non iam poſſideat? Quod me attinet, cenſeo illum egregium eſſe Virum, ſed animi maioris, quam prudentiae: ut enim homo privatus ita licenter pronunciet de tantis poteſtatibus, quae tam longas habere manus proverbio dicuntur, ego quidem probare nequeo; & utinam aliquid mihi mittas, quid veſti de eo cenſeant? nam praecipue regimen Italiae tangitur;

Epiſtolam alteram curabo ſancte ut craſtino die Cl. *Graevius* legat.

De *Harpocrate* habeo multa parata. An narravi Tibi fuiſſe me Neomagi, & examinas ſe imagunculam illam? Nihil editum unquam falſius. Ratio temporis interpellat, quo minus omnia confeſtim aperiam, ſed fiet. Etiam *Le Moynio* noſtro inſuſurrabo, quod notas. Valetudinem Tibi opto bonam ac perpetuam.

Leidae die XXVII. Februar. 1688.

Stephanus de Vrbibus (1), quem ante annos octodecim magna commentariorum mole fatigatum edere incepit *Abrah. Berkelius* ante

M 2 an-

1 *Stephani Byzantini Gentilia per Epitomen, ante hac de Vrbibus inſcripta, reſtituta, latina verſione, & integro commentario illuſtrata ab Abrahamo Berkelio: Accedunt collectae ab Iac. Gronovio Variae Lectiones ex Cod. MS. Peruſino, intermixtis eiusdem Notis, cum excuſatione de excerptis Bocharii, & Palmerii ab ſe non publicatis. Lugd. Bat. apud Frid. Haaring.* 1694. in fol.

annum mortuus, unde ego ab vidua & librario rogatus ſum de reliqua parte curam gerere, poſt menſem, prout coniicio, erit abſolutus. Editio pulchra, ſed nimis oneroſa. Iterum vale.

Illis qui faſtum meum ferre non potuerunt, ut nuper ſcripſiſti, licet eos non norim, dedi, ac adhuc do conſilium, & ut Tu idem des illis rogo, ut recte ſe liberent ab eius rei tolerantia.

N. B Id quod hic ſcribo maxime me angit, quum ſit veriſſimum: ut adeo, nec tolli queat, nec ſi tollatur, quidquam Tibi ſit profuturum quum omnis mundus ſciat.

EPISTOLA XLIII.

DVm moritur noſter *Le Moyne*; dum alter Collega meus *Lucas Schacht* idem fatum ſubit; dum inde mihi triſtes, & moleſtae cogitationes oriuntur; dum interim fervidiſſime diſtringor, vel *Ciceronis* editione procedente, vel *Tabula Cebetis* (1) finienda, vel etiam recudendis omnibus Patris mei ſcriptis de Pecunia Veteri (2); immo & applaudendo rebus ſane feliciter geſtis, ac tot aliis Academicis cu-

1 *Cebetis Thebani Tabula Gr. cum lat. interp. & cum notis, & emendationibus Iac. Gronovii. Amſtelod.* 1689 in 8.

2 *Io. Fred. Gronovii de ſeſtertiis, ſeu ſubſecivorum Pecuniae veteris Graecae & Romanae Libri* 4. *&c. Lugd. Bat.* 1691. in 4.

curis, quin & domeſticis, moriente altero, naſcente altero; quid quaeris? Abierunt multi menſes, quorum quum nullus dies fuerit, quin millies optarim Tecum loqui, tamen uno alicuius epiſtolae verſu uti non potui ad interpretationem perſeverantis in cultu Tuo voluntatis meae, ac Fratris. Nec deſiiſſent hi dies eadem in taciturnitate fluere, niſi me Rippertus hic Groenendyquius advertiſſet de peregrinatione ſua ad vos decreta. Quod audiens, ſepoſitis omnibus, non ceſſavi ei gratulari conſilium, ut honeſtiſſimum, ſic inopinatum; utpote ad quod nunquam imaginatus mihi eſſem fore, ut ab parentibus veniam acciperet, quorum unicus eſt filius. Patrem habet *Ioannem*, primarium inter Vrbis huius Secretarios: & quid dico de hac Vrbe? quum omnis haec Reſpublica nullum in iſto munere habeat parem. Praeterquam enim quod dexterrimus eſt in exercendo quod eius dignitas poſcit; tum ipſum huius univerſae Reipublicae curſum ita complexus eſt, ita τὰς τῶν πολιτικῶν μοχλείας inſpexit ac novit, ut perſaepe in conſenſu Ordinum res Vrbis huius procuret. Sed in quo ſuper omnes excellit, eſt cultura ingenii, & amor liberalium ſtudiorum ab antiquo inſitus; quem ut perſpectum habeas, ſuſtineo Tibi mittere *Carmen* (1), quod fecit ac publice recitavit ex auctoritate Conſulum, ut ſtudioſis

M 3 gra-

1 *Io. Van Groendiick Carmen conſecratum ſempiterno honori praeſtantiſſimorum Virorum qui ſtrenue, nec ſine gloria, pro conſervanda Patria Vrbe Academia ſtudioſi Lugd. Bat. bonorum gaudia militaverunt a. 1672. Lugd. Bat. 1683. in f.*

gratias, & nummum daret ob excubias in periculoſo illo anno 1672. peractas. Illa ſolemnitas, & mihi, & omnibus fuit excellentiſſimum ſpectaculum. Mihi autem in omni tempore praebet ſe ſummum fautorem. Cuius ſucceſſorem quum ſe penitus exhibeat hic ornatiſſimus *Rippertus*, ac mihi ſit etiam amiciſſimus, inſtar Fratris, aut mei ipſius, Tibi illum commendo, nullus dubitans, quin veterem illum amorem integerrimum, & perfectiſſimum in eo ſis mihi rurſum & verbis, & factis declaraturus. Nam ut ſine dubitatione ſcires, illi me tantum fidere audere, quantum mihi; hac occaſione uſus ſui ad offerenda Tibi ſingula, quae ab aliquo tempore a me generata ſunt; in quibus duo exemplaria *Auli Gellii*, *Cebetis*, *Notarum ad Stephanum*, denuo recuſarum, & geminae *Orationis*, qua publico iuſſu compulſus ſui applaudere Traiectui Britannico, quem extrema praeteriti anni tempora viderunt, & in eadem materia occupatos verſus diſcipuli mei *Ioh. Ienſii* (1). Vtinam quidem ea talia eſſent ſingula, ut Tibi poſſent probari! ſed & tertiam *Orationem* videbis, qua *VVittichio* cariſſimo quondam Collegae meo parentavi. Quae a me velim ut admittas ita, ut cogites eſſe ſtudia, quae Tu mirificis auxiliis inſtruxiſti; & ab *Groenendyquio* ita accipies, ut ſi haec cultus mei pignora Tibi placeant, favorem Tuum illi impertias loco viatici, & ea quidem menſura, pro-

1 *Io. Iens Laetitiae publicae in Expeditione Britannica peracta a Guilielmo Henr. Magnae Britanniae Rege ſpecimen. Lugd. Bat.* 1689, in 4.

prout chartas illas es aeſtimaturus; nec tantum ut eo potiatur apud Te, & in Vrbe veſtra; ſed per omnes Italiae partes, in quas bonus genius illum ducet. Ego certe quia illum amo, & aeſtimo, eandem occaſionem ſumpſi reſtituendi me Sereniſſimo Patrono, ſignificando quae vita ſit ac mens mea; quod an tradi commodum ſit, Tu cum eo deliberabis, & totam rem ordinabis: atque utinam poſſis ita, ut ipſe admittatur ad reverentiae ſuae, meaeque declarationem! Eodem calore utor in tradendo eo, quem comitem vides; *Ioannem Poulart* amitae eius filium, ſed mercaturae deditum, & Tibi iam antehac viſum, alii quin ut univerſa illa Gens, & ipſum mihi faventem maxime. Nihil poſſum tam fervide rogare, nihil tam gratum mihi potes praeſtare, quam ut hoc par benignitate Tua ſolita complectaris: nam res privatas meas quod attinet, quas Te amare, & beatas eſſe cupere non dubito, liquide ex eis intelliges.

Doleo ſic intempeſtive excidiſſe nobis noſtrum *le Moyne*; qui quum omnia ſua nulli crederet, niſi capiti ſuo, omnia etiam ſua ſimul ſecum in ſepulcrum adduxit.

Tenzelium illum plane non novi, & me nunc unus *Cicero* ſi tenet, ſic oblectat, ut nec Germanos, nec *Fabrettum* veſtrum curare queam. *Tullium* non dubito quin poſſis adiuvare; utinam velles! ſed video fruſtra me apud Te contendiſſe de imagine *Tullii* in Capitolio. Nec iam plura. Vale, Honoratiſſime Vir, & ama &c.

Lugduni ad Rhenum die 22. Decembris 1689.

Vivunt *Graevius*, *Crucius*, Frater, & in Tua ſuaviſſima, & continua recordatione.

Dixi his, ut adirent quoque *Raphaelem Fabrettum;* & quia is me deſcribit, ut brevitatis & craſſitudinis monſtroſae, curarent addi etiam gibbium, flavedinis Iudaicae capillo, incurvis pedibus &c.

EPISTOLA XLIV.

QVum in eo ſim, ut poſt quartam orationem publicatam, qua Serenifs. Regi reditum in has terras gratulatus (1) fui, levatus certe aliquo onere amicos meos reſpiciam; nefas a me commiſſum iri putavi, ſi non aliquam partem Tibi darem. Etſi quid loquor? Nam vere id ipſum mihi do, qui teſtor nullum vitae meae momentum ita mihi iucundum eſſe, quam quo de Te, & tantis Tuis beneficiis cogito: teſtor nullam vel minimam in amicorum conventibus occaſionem oriri, qua non effundar in contexenda ſerie longiſſima incredibilium Tuarum virtutum. Sed iam eius rei aemulos in hanc Vrbem miſiſti acerrimos quidem, & nihil mihi cedentes, *Groenendyquium* & *Poulartium*. O quam illos dimiſiſti repletos infinitis comitatis Tuae pignoribus! nec ſane ingratos, quod ſummo-pe-

1 *Iac. Gronovii Laetitia Academiae Lugduno-Batavae ob ſucceſſum Expeditionis Hibernicae VVilhelmi Britanniae Regis, ex auctoritate Curatorum, & Conſulum publicata.* *Lugd. Bat.* 1690. in f.

pere gaudeo. Quoties audivi illos pleno ore expatiantes in Tua admirabili elegantia, & cupiditate demerendorum hoſpitum? Quoties per eosdem renovatus *Conradus Ruyſch* acceſſit conſortio noſtro, ut inter nos certaremus de candore agnoſcendi Benefactoris communis! & quis noſtrum ſuavitatem dierum Florentinorum optime poſſet recenſere, immo regustare? In qua re adeo me ſuperiorem eſſe credes, non modo quo interius me admiſiſti, diuturnioreque uſu Tui fruitus ſum, ſed etiam quod vides me oratorem factum eſſe; quod negabat veſter *Fabrettus*, vel magis πολύλαλον. Interim gravis caſus oppreſſit *Paulartium*, ut per frigus vix egreſſus domo, idque alieni negotii procurandi ergo, in lubrica glacie pedem non tenente veſtigio fuerit collapſus, & tibiam circa talos fregerit. Quam cladem doloremque admodum viriliter ab eo perferri intelligo, & reſtituendi bonam ſpem eſſe.

Poſt priora ſpecimina opinor iam quoque accepiſti, quae τῷ δεῖνα *VVolfzen*, medico futuro, ut intelligo, Regio apud Danos, qui Tibi ſe iam antea notum praedicabat eſſe, commiſi. Quaeſo, quid de illis cenſes? Nam ſi de me requiris, deploro miſeras horas meas, quae talibus commiſſionibus impendi debent, quum eas aliis bonorum ſtudiorum partibus deſtinaverim. Fateor: & ipſe Sereniſſimus Rex, & Curatores Academiae noſtrae aureis, & probis, & craſſis nummis me augent, merenturque, ut omnia illis praeſtem: ſed trahunt tamen me alia, quae ut prae manibus habere inceperim, & finire cupiam, fecerunt veſtra Laurentiana ſcrinia. Ita dum patior alienae

per-

perſonae munera mihi imponi; tamen abſolvi ſcripta paterna de *Pecunia Vetere*; quae omnia ut colligerem ad praeclaram molem, licet magno cum labore meo, dedi memoriae eius, cui omnia debeo.

Ammianus pervenit ad librum XXII. *Ciceronis Philoſophica* iam me exercent.

Aut venit iam ad Vos, aut venturus eſt filius maior Ducis Holſati iam Regnantis: Ei ab ſecretis & conſiliis eſt *Ioannes Ludovicus Pincterus* cognatus meus, & per biennium pars huius Academiae, Vir omnino elegantiſſimus. Illi precor, ut ſolitam Tuam, & perſaepe a me decantatam ipſo audiente humanitatem Tuam omnibus modis exhibeas, tanto fervidius, quanto propius ille me attingit: nec dubites ei ſignificare pondus, quod apud Te poſſideo, & tam nobiliter largeque *Groenendyquio* tum praedicaviſti, tum documentis oſtendiſti.

Frater meus cum maxime apud me eſt: is Te officioſiſſime ſalutat, & de munuſculis literariis gratias magnas mecum agit.

Non poſſum in his locis reperire Nummum, quem *Patinus* in familiis Romanis collocavit pag. 52. *Caecilia* num. 1., & rurſus pag. 152. num. 5. *Licinia*, quin ſit uſurpando admodum detritus. Itaque quum ſatis apud me conſtituerim non eſſe *Iſidem*, quod multa mihi argumenta ſuadent, non poſſum in ulla alia cogitatione firmari, niſi mihi prius conſtet de fide huius ectypi. Propterea Te rogo, ut ſi ulla iſtic Tibi ſit occaſio (quam multiplicem eſſe perſuadeor) inſpiciendi eius Nummi, velis accurate intueri, & vel deſcriptio-

ne

ne Tua caput iſtud mihi pingere, vel potius ectypum inde factum mittere. Quod ſi *Pincierus* apud Te eſt, aut in vicinia, pete ab illo, ut mihi iſtum Nummum emat, ſicuti in eum inciderit, ſint licet vel plures: impenſas libens reſtituam, ubi ſecum attulerit; & ſaltem contempletur, ut mihi poſtea queat de eo referre. Vale, Honoratiſſime Domine, & mihi fave.

Leidae die XIV. Aprilis 1690.

EPISTOLA XLV.

SAepe mecum queſtus fui, quod exemplar *Annalium Taciti* ex Corbeienſi Monaſterio vobis traditum, & bene ſervatum non ultra Caput XXXVI. Libri I. inſpexerim. Vnde ſi pateris id a Te impetrari, maiorem in modum rogo, ut ubi occaſio dabit, inſpicias haec verba Libri I. Capitis LXX. an ita illic legantur: *Lux reddidit terram, penetratumque ad amnem Viſurgim, quo Caeſar claſſe contenderat*. Praeſertim an nomen fluvii ſit totidem diſtinctis literis deſcriptum. Erit id certe mihi gratiſsimum.

Tollius (1) huc tandem reverſus eſt, & quietem ambire incipit, ſi modo eam queat adi-

1 In alia Epiſt. d. die 21. Iulii 1690. ait: *Tolliana perverſitas non meruit, ut vel illi unde diſceſſit, habere putent quod querantur, vel illi ad quos tranſiit, quo gaudeant. Eat ſane illa verae pa-*

adipiſci: de ſecta, quam in Cultu Divino ſequitur, nihil eum aperire audio, quid futurum ſit ignoro.

Britannum iuvenem, *Franciſcum Lye*, opinor iam Te vidiſſe, proque eruditione quam poſsidet, ac modeſtia Tibi probari. Vtique ita ſpero, atque etiam Tibi commendo, ut ei adſis ubi res flagitabit.

Eo ne uſque aſcendit *Noriſius* (1)? equidem non invideo; utinam facilem ſe praebeat ad tantos theſauros denique tenebris eripiendos. Vale plurimum, Praeſtantiſsime Antoni, & favere perge &c.

Lugduni in Batavis die 7. Novemb. 1692.

EPISTOLA XLVI.

QVum arderent labores Academici, ut in illis mediis cognoſceres me eſſe Tuum, exaravi ad Te literas. Etiam, fateor, recepi nonnullas abs Te, quibus etſi perquam exhilaratum me fuiſſe teſter, nihil tamen animadvertebam, unde colligerem meas Tibi fuiſſe traditas; unde interceptas illas fuiſſe conii-cere debui, nec poſtea temere illo publico cur-

pacis, ac tranquillitatis inexperta mens, quae dum in vacuum apud ſuos, qui diu eum deteſtati ſunt ligurivit plurima, non ferens hanc, ut ſtolide interpretabatur, indignitatem, praecipitavit.

1 *Henricus Noriſius* a Summo Pont. Cuſtos Bibliothecae Vaticanae conſtitutus fuerat.

curſore utendum. Quis malus daemon ad has me cogitationis anguſtias deduxit? quis a Te tam atrociter me avulſit, & publicam viam colloquendi Tecum invidit? Dico Tibi, aegritudo me poſſedit vix toleranda, & niſi me animus meus ſolaretur, qui ut Tibi eſt addictiſsimus, ita Tuum ſibi polliceri audet, ſuccubuiſſem faſtidio, quod inde contra nonnullos homines me obſedit. Magis deploravi hanc infelicitatem meam, ubi intellexi noſtrum *Poullart*, quem meminiſti ante annos circiter tres apud Te fuiſſe cum *Groenendyckio*, qui ante dies VIII. parenti ſuo fuit adiunctus in magnifico munere Primarii Secretariatus in hac Vrbe, & de Te iucundiſsime reminiſcitur, abiiſſe uſque in Italiam non tantum me, ſed ne ſuorum quidem quoquam ſalutato. Quo amoenius eſt officium noſtri *Sinclaivii*, qui reverſurus in Italiam primo itinere iam ſibi cognitam, & hinc me felicior qui id unum optarem, noluit diſcedere, niſi prius certiorem propoſiti ſui me feciſſet. Licebitne per eum mihi reſciſcere, Te frui incolumitate, & bonis Tuis, Deumque firmum eſſe non ſolum in Te contra omnes malevolos invidoſque defendendo (quod minutum aeſtimo) ſed omnino elegantia Tua prorſus illuſtranda, fama nobiliſsima augenda, materia porro ſuppeditanda, per quam Patriae ſimul Tuae, ac proprii nominis ſplendor magis radiet, pluresque beneficiis Tuis obnoxios quotidie reddas. Id certe voveo, & ut fiat, ſupinis manibus ab Coelo flagito.

Mihi quidem omnia ſecunda currunt, nec quod addi velim, quidquam habeo, niſi quod cu-

cuperem vicinior Tibi eſse. *Ciceronis* (1) & *Ammiani Marcellini* (2) editiones novas valetudine ſalva, & ipſo labore me favente in mundum produxi. Sed quomodo earum exempla ad Te perferantur, neſcio. Quod unum poſterioris exemplar Florentiam deferri curavi, maximo ſumptu conſtitit; & ne ſic quidem ſcio an curatum ſit: Tibi utrum innotuerit, perinde ignoro. Sed mihi volui rationem officii mei conſtare, quam libenter ita mercatus fui. Nunc vexant me rurſus, & alii deducere volunt ad *Homerum*, alii ad *Ioſephum*. Quam vellem omnibus per me poſſe ſatisfieri? Quam exſultarem in utroque, ſi in illa Porticu Libraria S. Laurentii licitum mihi eſſet aliquandiu ſpatiari? Quidquid futurum fuerit, curabo certe, ut correctiſſimum prodeat. Habeo quidem plurima ad illuſtrationem utriusque; ſed nihil iſtud prae veſtris lautitiis. Deus bone! an nihil ex eis haberi poteſt ultra Alpes? Potuit hoc ab ſe impetrare *Leopoldus* Caeſar, ut codices MSS. *Ioſephi* in alias Germaniae partes curaret extra Viennam ſuam aliquamdiu abire publi-

ci

1 *M. Tul. Ciceronis Opera omnia cum notis Iani Gulielmii, Iani Gruteri, & Iac. Gronovii, adiectis etiam Aſconii Pediani, & Veteris Scholiaſtae Franc. Fabricii Hiſtoria M. Tul. Ciceronis per Conſules deſcripta Lud. Bat.* 1692. vol 2. in 4.

2 *Ammiani Marcellini Rerum Geſtarum Libri* XVIII. *ſuperſtites cum Franc. Lindenbrogii, & Henr. Hadrianique Valeſiorum Annotationibus, recognita, & obſervationibus illuſtrata ab Iac. Gronovio. Lugd. Bat.* 1693. in fol. & in 4.

ci boni gratia: An Politiſſimi Veſtri Princi- pes, an Heroes *Salviati* nequeunt id dare precibus peregrini vel pignoribus, qui tantam pecuniam deponere inſtar Sacramenti, vel fiduciae ſum paratus, quanta poteſt exigi? Quam praeclara ſpondet, monetque *Holſtenius* de primo exemplari Plutei XXXII.? quam bona occaſio eſt haec, ut in eximio monumento poſita tandem ſubducantur exitio, quod ipſa hora & vetuſtas illis afferet, ſi nihil aliud? Sed ſomnio fortaſſis: & ſic interpretaberis, ut ſolet *Fabrettus*, quod Tibi ſane licet. Ego id profeci, ut ſciam quam multa prava, diſtortaque in *Cicerone*, & *Ammiano* reſtent, quae nullus dubito, quin refoveri, ac reſtitui poſſent, ſi Italica auxilia ad manum haberem.

Quam malus, & audax liber eſt, qui *Epochas Syromacedonum* (1) redigere iactat incertam notitiam? Legi etiam *Ciampini* librum de *Vetuſtis Monumentis* (2). Sed oro Te, an ita nullus Romae, vel in Italia eſt, qui planiſſimam iſtam notam, vel monogramma, ut vocat pag. 12. certa ratione enodare poſſit? Riſi profecto coniecturas futiliter coecas. In *Epochis*, quas dixi, praeclare celebratur ve-

1 *Henr. Noris Annus & Epochae Syromacedonum in Syriae Nummis expoſitae, cum Faſtis Conſularibus Anonymi, & Diſſertationibus de Paſchali Latinorum Cyclo & Ravennate. Florentiae Typis M. Ducis* 1691. in 4.

2 *Io. Ciampinii Vetera Monimenta, in quibus Muſiva Opera illuſtrantur. Romae per Komarek* 1690. in 4.

meare non debeas mirari : nam is quem nominas , facile omnibus blanditur , unde aliquid exſpectat . Itaque licet adeo indigne in illis *Piſanis Caenotaphiis* ſit exceptus , & ego id illi indicaverim , tamen nihili facit, illumque Veronenſem , quoniam ſic ab veſtratibus attollitur , omni officio clientelae proſequi non dubitabit . Sed abſit , ut hoc Tibi ſignificet.

De *Nummis Herodiadum Harduini* , ut rem omnem ſcias , ita habe . Exemplar eius unum huc delatum librarius mihi dedit , non ex ſe tantum , ſed & Pariſienſium nonnullorum nomine, rogans ut aliquid ad eius vanitatem oſtendendam componerem . Negabam mihi cauſam eſſe cum illo homine litigandi : in qua parte laeſiſſe Patrem meum mihi videbatur , in ea feciſſe me , quod officii mei opinabar : tamen libenter cupere me percenſere illud ſcriptum . Itaque relictum illud apud me pervolvi , & ſtatim reddidi librario , teſtatus me non impedire , quo minus ſi quis ſtultitiam amet , ſtrenue inſaniat ; auctorem vero eius ſcripti talem eſſe , qui non docendus ſit argumentatione, ſed prorſus helleboro adiuvandus , qui cum propterea nihil mihi eſſe cupio . Profecto oportet illum *Harduinum* eſſe belluam , non hominem . Quenquamne eſſe , qui ſtatuat tantopere abſurda, tot habeat ſuppoſiticia , ut maximam partem elegantiſſimorum vetuſtatis librorum ſic vituperet ; *Ioſephum* denique ſic excipiat ? Interim Vaticanus Cuſtos acriter perſtringebatur . Ita contigit ut liber iſte non fuerit in hac regione praelis ſubiectus ; quod putabas , nec

poſsim copiam eius Tibi facere, quod volebas, & libenter fecisſem, ſi iuris mei fuiſſet.

Numquam audivi de iſta quam narras editione *Homeri*; utinam quidquid potes, inſtruas me ad illud caput eruditionis noſtrae reverenter tractandum! Cum Frater meus ad Te venerit, cum illo poteris de hoc, & omnibus rebus colloqui, qui & *Ciceronem*, & *Ammianum* ſecum adferet. Nam quod *Sinclarius* ita comitatem ſuam obtulit, ego illam amo, gratiaſque ago: ſed quaeſo, qui ſuſtinerem illam tantopere fatigare; immo qui poſsem pati, ut vel in mentem meam veniret, ut rogarem de tanto volumine tamdiu portando?

Quid interim reſciveris de *Homero Salviatino* deſidero intelligere. Ante omnia velim ſalutes officioſiſsime univerſos, quos video mecum aemulos gratiae apud Te, quorumque ingenioſiſsimis Odis intentum venerabile nomen Tuum mihi adorandum praebuiſti. Macte laude, quiſquis ille eſt, qui beneficentiam Dei erga hanc noſtram aetatem celebrare mecum contendi, dum illi ut Tu, Princeps cunctae elegantiae illi contigeres. Ego illas legi, perlegique, & ſubmiſsa, & alta voce, & identidem in laetiſsima cordis exſultatione, tanquam echo, veriſsimis illis laudibus applauſi. Quam bene cum iſtis mihi conveniret, ſic liceret non vivere! ſed relinquamus fatis, quod extra nos eſt: Tu modo, quod ipſe Tibi facio, etiam iſtis meo nomine fauſta omnia ac hilaria apprecare. Meae res ſalvae ſunt, quales etiam Tuas optans, porro vivam &c.

Lugduni ad Rhenum die XVIII. Decemb. 1693.

Bi-

Bigotianae collationes in omnium doctorum manibus verſantur; ſunt enim aliquoties deſcriptae etiam a Patre meo.

EPISTOLA XLVIII.

Compono tandem me rurſus ad ſcribendum, quod ante hac prae taedio vix potui, quum viderem epiſtolas meas neſcio cui magis ludibrium debere, quam ad Te venire. Scripſi autem varias, quas animadverto interceptas: & maxime dolui ab *Peterſono* tamdiu detentas fuiſſe literas, antequam Tibi traderet, ut tam ſaepe me debueris admonere de Clar. noſtro *Nomio*. Pudendum id mihi profecto, & pertriſte accidit, ut benevolentiae ſuae parum ſecurus tamdiu haerere debuerit Vir optimus, quem ego non deſii, ſimulatque intellexi, omni laudum genere proſequi, quod tam iucunde voluiſſet mei meminiſſe. Quin etiam ſcire Te oportet illas literas, quas die xv. Septembris dediſti, in quibus de catalogis ab *Laebtmanno* & *Viviè* miſsis ſcribis, & in quas ſingulare folium pro ſanctitate obſervantiae erga Te meae coniicere ſuſtinuiſti, aliquoties fuiſſe ruptas & ſciſsas, & hinc quoque perlectas: ut Tuum ſit reminiſci quorum hominum fidei eas commiſeris. Certe ego opinor non Te, ſed quidquid ſcribas, obſeſſum ab curioſis per eos, quos facile mecum coniicis, ſubornatis. *Peterſonum* audio Amſtelodami eſſe, & *Copeſium* rediiſſe in Patriam, quam vocamus in Brabantia Silvam

Ducis. Cum utroque Bibliopola agam Tuo nomine, prout iniungis & decet. Quid intelligat Clar. *Blavius*, equidem non adſequor; neque enim a longo tempore aut vidi eum, aut aliquid commiſi.

Satiras Amici noſtri (1) libenter videbo, etiam in quocunque officio fideliter ei ſerviam, ſi potero adducere aliquem ex his Typographis, qui mirifice nunc habent omnia praela exercitata, incredibili multitudine fatuorum *Lexicorum* propediem proditura, ſcilicet ad ignaviam ſtudentium fovendam, & inſtruendam; ego certe ab illis abhorreo. *Graevius* fovere dicitur *Martinii Lexicon*. Sunt certe alia, quae agi foret melius.

Cupio a Te ſcire, an fratres *Meatſii*, Angli, qui praecedente anno Italiam veſtram perluſtraverunt, diu ſubſtiterint Florentiae, atque etiam uſurparint Laurentianos pluteos: Immo an ſcias particulatim ab eis quoque deſcriptum eſſe *Manethonem*: videbantur enim tale aliquid in nupero tranſitu iactare, etſi ego non credam. Immo etiam intelligo apud Lipſienſes iam eſſe exemplar. Oro Te, quem noſti, qui poſt me in ea Bibliotheca tamdiu verſatus ſit, ut Codicem illum per ſimile chirographum potuerit in alias terras portare? Nullus dubito, quin a quocunque id ſit

1 In hac & in ſequentibus agitur de *Friderici Nomii* Ethices in Piſano Lyceo Prof. & Poetae non obſcuri Satiris, quas *Magliabechius* typis publicandas *Gronovio* commendaverat. Prodierunt autem hoc titulo: *Federici Nomii Satyrae ſexdecim. Lugd. Bat.* 1703. in 8.

ſit factum, certe erit perquam vitioſum; quum meorum caſuum mihi ſim conſcius. Te tantum, rogo, ut ſignifices eruditi & laborioſi iſtius hominis nomen. Me alia impediverunt, quo minus in eo propoſitum tenere potuerim: & reperiebam nimis eruditum iſtud opus, quam ut defungi parvulo, & obiter illud tractare liceat. Vtriuſque generis, quod tetigi, ſi quis latine interpretabitur, alieniſſima prorſus viſuros nos eſse certiſſime praevidebo. Interim favebo laboribus honeſtis. Ego ſic diſtrahor, ut vacare illi nequeam: & ſatis magnum ex labore meo fructum iam cepi, quod plurima ex eo licuerit didicisſe; id quod etiamnum ſit quotidie.

Quum haec priora ſic ſcripta expectarent diem diſceſsus, adfuit mihi ille, quem dixi, *Peterſonus*, & Florentini diei felicitatem uberrime depraedicavit.

Golii libros (1) reſiduos poſt vanam cuſtodiam, quam a morte eius ad hoc tempus continuarunt ditiſſimi haeredes eius, ſed etiam avariſsimi, modo diſtraxerunt illi ipſi, quorum pleroſque comparavit *Eduardus Bernardus* ad hanc rem ex Anglia trangreſſus, & nunc cum eo, utpote amico vetere, libro hilaritati.

Quum in libris, quos vendere deſtinabat

N 3 Dor-

(1) Catalogus huius Bibliothecae prodiit hoc titulo: *Catalogus Librorum MSS. inſignium in omni facultate, Linguiſque, Arabica, Perſica, Turcica, Chinenſi &c. quos Iac. Golius collegit. Lugd. Bat.* 1696. in 4.

Dordraci noſter *VVittius* (1), vel, ut catalogo ſe nominavit, *Albinus*, reperirem venditari num. 463. *Vitam Nervae & Traiani per Bonifacium Bembum*, neque ipſe adeſse poſſem, curavi illum librum mihi per alium comparari: quem poſteaquam inſpexi pro theſauro Carbones vidi. Neque enim iſte *Bembus* ſermone continuo, & per cohaerentem ſeriem eas deduxit, ſed fragmenta quaedam Graeca latine vertit, vix implens ſex paginas. Mihi autem vel notandi eius Libri, vel emendi ſtimulus fuit, quod in Academia publice enarraverim vitam *Hadriani* ab *Spartiano* conſcriptam. In qua materia primam fere noſti ab Viris Doctis moveri quaeſtionem, quare *Hiſtoria Auguſta* incipiat demum ab *Hadriano*, non ab *Nerva*, in qua ſe oſtendunt ſatis inficetos. Hinc precor Te ſi penes Te quoque ſit exemplar, ut me certiorem facias, an non ſit illud Tuum plurium paginarum, vel an non noveris exſtare aliquid ab illo Viro ad hanc rem pertinens, quod ſit denſius. Beabis me quoque, ſi ab aliis ſimile quid tentatum & Tibi cognitum aperueris. Haec in ſumma faeſtinatione, nec amplius quidquam nunc ad manum eſt; plura deinde. Tu modo vale, quem reverentia maxima proſequens ſicut Deo commendo, ita Tibi &c.

Lugduni ad Rhenum die 19. Octobr. 1696.

EPI-

1 *Catalogus Bibliothecae Io. de VVitt. Dordraci* 1701 *Numiſmatum ac Operis priſci Theſaurus eiusdem. Amſtelod.* 1701. in 8.

EPISTOLA XLIX.

SImulatque literas Tuas poſteriores, plenas fidei & humanitatis, cum ſumma voluptate perlegi, iuſsi exire *Manethonem* (1), & huic etiam tempori nunciare utriuſque noſtrum affectus in haec verba, quae hic adiecta vides. Itaque ſtatim bina exemplaria commiſi *Voorſtio*, & *Koolio*, iuvenibus doctiſsimis, & elegantiſsimis ab Vltraiecto, & propterea Tibi ſine dubio placituris, ſolo ſtudiorum amore hanc peregrinationem ſibi iniungentibus. Cum his conſtitui, ut quum perveniſſent Taurinum, ex ea urbe Tibi ſcriberent, ac ſalutarent meo nomine; ſpondens interea me ad Te de illis ſcripturum eſſe, ut ſi quas peterent commendaticias circa iſtam Italiae veſtrae regionem, pro indulgentia Tua ſolita velles eis concedere. Id nunc facio, Teque precor, ubi forte id acciderit, ut facilem Te praebeas, quum de illis omnia optima polliceri auſim, donec ipſe experiaris. Hi promiſerunt ſe curaturos, ut *Manetho* ad Te ſalvus perveniret, quod omnino credo ab eis effectum iri. Quod quidquid eſt, oro ut digneris boni conſulere, & eodem animo accipere, quem teſtatus de ſe mihi fuit noſter *Ruyſchius*, cui verba Tua monſtravi; nec dubi-

1 *Manethonis Apoteleſmaticon Libri ſex; Gr. cum Lat. interp. & notis Iacob. Gronovii. Lugd. Bat.* 1698. in 4.

bitavit Vir Politiſsimus omni modo declarare pergrata ea ſibi eſſe, a meque expoſcere, ut Tibi gratam ipſius mentem interpretarer: cui ſi poſthac velis mittere chirographum trium verborum, ſane etiam mihi optatiſsimum quid feceris.

Iucunda admodum cognitu fuerunt, quae ſignificaſti de egregiis Viris Mediolani, & Romae molientibus ſane non exigua, & profutura literis, quibus omnia fauſta apprecor.

Ad Fratrem recte curavi epiſtolam, qui reſpondit in nave, cui nomen ab piſcatura Balenarum (noſtra lingua *VValviſchvangſt*) cui Nauclerus praeeſt *Albertus Vander Laan*, appulſurus Liburnum, ſe oneraviſse faſciculum, in quo ſint ſex exemplaria *Baſeos Tibertanae* (1) compacta, eique inſcripſiſse nomen *Calckberneri* Conſulis Hollandici in illo Portu; unde rogat ut velis petere, & offerre exemplaria, prout libuerit, Viris dignis: ut etiam duo alia, quae miſit via terreſtri, per iuvenem VVeſtphalum ex Coeſveldia, ſed cuius nomen ignoramus, Patavium petentem ob Medicinae ſtudia.

Quia opinabar Te velle per ſummam diſſimulationem agi cum *Bailio*, conſtituebam ipſe excurrere Roterodamum. Sed quum ita oppreſsus variis negotiis hic tenerer, ut pedem portis efferre nequiverim, impatiens morae Frater ei ſcripſit, reſcivitque miſsum *Le-*

xi-

1 *Laur. Theod. Gronovii marmorea Baſis Coloſſi Tiberio Caeſari erecti ab Civitates Aſiae reſtitutas poſt horrendos Terrae tremores. Lugd. Bat.* 1697. in fol.

xicon nondum eſse ; in quo non intelligo, quid procraſtinetur auctor, quum in eadem nave potuiſset commodiſsime mittere. Itaque ſi deſideras, curabimus ut prima occaſione nanciſcaris, cum *Theſauri* mei (1) ſpecimine, quod Tibi deſtinavi, ſed mittere nunc abſolutum vix dum queo. Adiicientur duo tomi *Variorum Opuſculorum*, in quibus de Graecorum ſacris, aut parte ad Rem publicam pertinente agitur, qua in ratione noſti excellere *Meurſium*. Poteſne huc aliqua rariora & minus cognita, quae non dubito multa in ſcriniis Tuis eſse, conferre? Coeſveldiani ipſius nomen nunc intelligo fuiſse *Bernardum Brauns*, & Patavio ſcripſiſse 30. die Ianuarii huius anni, ſe Doctorem Medicinae illic renunciatum reverti in patriam primo tempore cogitaviſse. An nihil Tibi ab eo miſsum eſt? aut Patavii inquirere de eo potes? Quaeſo, utere celeritate ad id cognoſcendum. De illo, a quo Ser. Principis litteras accepi, alias plura: nunc enim vocat curſor. Vale plurimum, Honoratiſsime, ac diu fruere ſtudiis, vita, & gloria.

Lugduni ad Rhenum die XVI Maii 1698. qui cum praecedentibus admodum erat frigidus.

EPI-

(1) *Theſaurus Graecarum Antiquitatum*, quem ipſe collegit.

EPISTOLA L.

MIrabar abiiſſe tot hebdomadas, ex quo ſignificavi adveniſſe in manus meas carmina Cl. *Nomii* noſtri ſimul cum febre, ut iamdiu ſuſpicarer me intelligere ex Te potuiſſe, quid dedicatione factum velletis, quidve aliud in edendo placeret obſervari; praeſertim quum adiectae fuerint Fratris epiſtolae, quas deſideraveras: ut prorſus magno vellem iſtas chartas recte ad Te permeaviſſe; quum ante triduum accipio locupletes, & ab Te, & ab Egregio *Kolio*, ex quibus omnia recte inceſsiſſe laetus intellexi. Vt igitur filum, quod abrupi, repetam, febris me cito deſeruit. Sed mandato medici obtemperandum fuit, ut alio aere fruerer; non ſine maxima mea moleſtia, quum ſic exturbatus illo conſortio libellorum meorum, quo nihil habeo amoenius, cogerer bonum tempus perdere. Ita nihilominus traxi aliquot hebdomadas, donec reverſus comperi me abſente factum eſſe, ut Sereniſs. *Gaſtonus* (1) hanc Vrbem tranſierit, quod nec quum diſcederem, coniectare potui, omnibus publicis actis diſceſſum eius in Germaniam confirmantibus, nec ſcivi, antequam redii; immo nec ſi audiviſſem futurum, credere potuiſſem. Qui enim tam prave gubernatum iri iſtud iter imaginarer, ut Academicam Vrbem inviſeret, vel aeſti-

aeſti-

1 *Io. Gaſto Mediceus* tunc Etruſcae Iuventutis Princeps.

aeſtimaret ex tempore, quo Academia clauſa, & nihil illic ſtudioſae amoenitatis reſiduum eſſet! Credo vidit *Aloen Americanam* flores emiſſuram. Ohe. Attamen, ut dixi, ita contigit, nec mihi licuit ullo genere obſervantiam meam, & tantorum beneficiorum memoriam teſtari, quippe verſus confinia Brabantiae ſeceſſu capto, & Moſae aura me reficiens. Id Tibi ſcribo, ut ſcias quae ratio hic obtinuerit; verum Tibi haec ſoli nota ſint.

Ego interim belle me habeo, & qualem me geram vel domi, vel in Academia, optime opinor iam Te intellexiſſe ex *Kolio*, quem iam veniſſe ad vos cum *Manethone* laetor, eique omnia porro fauſta meo nomine precaberis. Cl. *Nomium*, quod iam prioribus literis declaravi, ego ſane omni memoriae pietate proſequor, vultum, inceſſumque eius omnem facile, ac libenter animo exhibens, ſermonumque, & ſpatiorum ſimul factorum per moeniana aream Academicam proſpicientia omnino reminiſcens ita, ut teſter voluptati mihi fore, ſi potuero aliquo documento promptitudinem obſequii mei Viro doctiſsimo probare. Si tempus & res permiſiſſet, plures iam paginas a me perlectas oſtenderem, quod facere, & cupio, & opinor debere, antequam de typis loquar, ut probam gratamque mercem commendare auſim. Perlegi autem cum attentione ſatiras quatuor, & neſcio quomodo exemplar tranſmiſſum non videtur mihi accuratiſsime deſcriptum eſse, quod tamen factum oportuit. Itaque ex eis collegi quaedam, in quibus haereo, quae Tu curabis, ut Cl. *Nomius* ex chirographo ſuo, aut ingenio

emen-

emendata mihi remittat. Simul otium habuero, progrediar ad reliquas, donec omnem librum perlegero. Vnum tamen praemittere debeo, quod vidi illic ridicule adſcriptum ad ſatiram XII. *Iudicium Ill. D. Giſberti Cuperi Senatoris Hollandiae de ſat.* XIX. *Satyra illa vetuſtatem ſapit, & ſuas Veneres habet. Sed ut verum fatear, acerbe nimis politior ſexus perſtringitur. Ex epiſt. die* 14. *Maii* 1695. *A. M.* An haec quoque adiecta ſunt, ut addantur? Primo nullus illum nugacem, & impotentem Hominem agnoſcit Senatorem Hollandiae. Deinde quale ſpecimen politioris ſexus deduxerit ipſe in domum, mittatur aliquis Italus Daventriam, & inquirat fabulas circa principia huius belli, quum ego apud Te eram . . . . . is intelliget ſexum politiorem merito ab illo dici. Itaque illis verbis quid fieri velitis, decernite, & ſignificate.

Artorius (1) ille quis ſit, cognoſcere deſidero ab eodem Te, cui gratias ago ob monumentorum iſtorum notitiam. Sed neſcio qui tam magna altaque coniectare auſus fuerit ex priore Marmore. Clarae enim literae ſunt inferioris verſiculi ΕΞΗΚΕΣΤΙΔΗΣ ΠΡΟΤΙΟΝΟΣ ΑΙΞΟΝΕΥΣ, unde patet eum fuiſſe Atticum,

1 *Caroli Patini Commentarius in Antiquum Cenotaphium Marci Artorii Medici Caeſaris Augusti. Patavii* 1689. in 4. *Eiusdem Commentarius in antiqua monumenta Aureliae Tryphenae Smyrnenſis; Lucii Murdii Herois, Pamphili, & Alexandri, Vlpiae Marcellinae Antiſtitis Veneris Coeleſtis, & Marci Arturii Medici Caeſaris Aug. Patavii* 1689. in 4.

cum, nomine *Execeſtiden*, patre *Protione*; & quod ad Populum vel *δῆμον* ut illi dicebant, fuiſſe *Aexonenſem*, quae vox ſatis nota eſt. In primo verſu eſt principium laeſum, ſed ſequitur nomen foemininum ΜΑΝΟΣΤΡΑΤΗ ΕΞΗΚΕΣΤΙΔΟΣ ΕΖΗ ΔΙΣΧΙΡΑ, *Manoſtrate Execeſtidis vixit bis vidua*. Medius verſus peſſime exceptus eſt, ut ex illis literis nunc quidem intelligere nihil poſsim.

In *Kolio* quidem nihil deſiderabis eorum, quae ab illa aetate ad ſui commendationem exſpectari poſsunt, eoque acrius optavi, ut is, Te quoque noſse inciperet. Neque enim dubito, quin ex ſermonibus Tuis & inflammetur eius ardor, & mens excitetur ad capeſsenda ulterius ornamenta vitae. Sed etiam ab labore, quem Laurentianis pluteis impendit, fructus idoneos venturos certo mihi auſim promittere. Quare quum favore Tuo illum dignaris, prout etiam mirabiliter ipſe praedicat, omnino ſapienter conſulis, facisque rem humaniſsimae benignitati Tuae convenientem. Ea occaſione quaeſo cura, ut mihi liceat proficere hactenus, quo diſcam, utrum in *Svetonii* MSS. Codicibus, qui illic ſunt pervetuſti, legatur in *Auguſti* Capite 96. *cuius ſibi ſpecies itinere avio occurriſſet*, an vero *occucurriſſet*. Item an in *Neronis* capite ultimo legatur *hoc etiam magnopere oravit*, an *hoc etiam magno opere*. Pauci dies ſunt, quum ab typis prodiit nova *Svetonii* editio, cui mea nonnulla adſperſi. Vtinam haberes exemplum!

Ego Graeci ſermonis cauſa coepi publice tractare Caput ſecundum *Evangelii S. Lucae*, ubi illa memoranda nobis omnibus Hiſtoria

non

non bene vulgo adminiſtrari mihi videtur: unde & laborem ingentem mihi impoſui; ſed exhauriam ſpero. Hinc neque nunc ſcribendi amplius datur occaſio.

Bailius Roterodami aliquoties interpellatus, denique has per me literas curari voluit; cui ſi reſponderi oportet, poteris recta ad eum mittere Et iam Frater has ad Te mitti voluit: ita plus ſatis habes ad legendum. Vale, vir Divine, & Patrone aeternum Honorande.

Lugduni ad Rhenum, die x Octobr. 1698.

Cupio etiam ſcire, cur in illis *Satiris* Tuum ſacrum nomen ſcribatur *Malliabechius?* Cur ſcribat *ſatyra*, & non potius *ſatira*, vel *ſatura?* Credo notum vobis eſſe librum *Iſaaci Caſauboni de ſatira*, *&* *ſatyrica poeſi*.

Habeſne aliquid communicandum nobiſcum de *Meurſio*, aut ad Antiquitates Graecas pertinens? ſalutabis peramanter Cl. *Nomium*, & *Kolium*, cui nunc reſpondere non vacabat. Etiam avunculus eius, vicinus meus, illum iubet gaudere.

EPISTOLA LII.

POſt acceptas literas, quas tertio Iunii dediſti, huc uſque ceſſavi in vice mea obeunda, quoniam non tam ſcriptione per literas, quam potius re ipſa conſcium te propoſiti mei facere cupiebam, & ita, ut poenitere, & id mutare non liceret. Iudicavi enim & commodiſſimam eſſe opportunitatem huius

Ori-

Origenianae partis publicandae, & collectionem iſtam voluminum ad vetera Graeca pertinentium non perinde commendari poſſe, quam inferendo ſimul eo, quod antehac viſum non erat, ſimul Tuo tam venerabili apud me nomine. Itaque quo ſanctius, quo taciturnius in hac re me geſſi, precor ut id non avertas, qualecunque id ſit, ac potius devotam Tibi voluntatem meam ſpectes, cui ſcias nihil poſse iucundum & amoenum contingere, quod non Tibi ſit ſuave. An ex vero egerim contra vellicationes Gallicas, Tu iudicabis, & me certiorem facies. Interim res, rationeſque meae procedunt commodiſſime per Dei Pacem, & ſi Tibi cordi ſum, habes quod laeteris. Sed & Frater optime ſe habet, cuius has literas vides. Nunc me detinet reſponſum, quod dabo Anglis, qui Geographicis ſuis recudi iuſſerunt omnes notas meas, quas ante biennium in *Scylacem* (1) hic edidi; quod exemplum non probo. Et de aetate *Scylacis* aliam ibi ſententiam format *Dodwellus*, & quidem ut meam impugnet ac reiiciat. Sic cogor procedere ad me tuendum. Ac forſan hoc genus ſcribendi tenebit me, ac deducet ad reſpondendum quoque aliis, quos huc uſque neglexi, & quos ſatis noſti.

Miror maxime ita nos deluſos eſse in *Hiſtoria Iamblichi Babylonica*, quam in Catalogo S. Laurentii tantopere venditavit *Holſtenius*; & cui ego ſemper inhiavi. Scis enim & memi-

1 *Scylacis Cariandeni Periplus interprete Iſaaco Voſſio*. Exſtat in *Geographicis Hudſonii* Tom. I.

miniſti, credo, quid potuerit de eo referre mihi *Koolius*.

Ergo ſaepius per *Neocorum*, & *Sikium* habebimus fragmenta epiſtolarum Tuarum. Bene ſit, modo ita recte Tibi conſulas. Narro tibi. Ante paucos dies adfuit mihi *Bexelius*, Epiſcopi filius in Svecia, etiam poſtea venturus ad Te. Is aliquamdiu Vltraiecti habitavit. Qui illic ſermones ab illo homine excepti fuerint, non hariolor. Sed is eo ſtultitiae venerat, ut *Magliabechium* eruditum eſse negaret, obſtupeſcente me; & quum inquirerem, a quo ſic formatus eſset, non cunctanter nominavit Svecum nomine *Sparrenſteinium*, qui ſumptibus Sveciae Regis fuiſſet in Syria, & Te quoque ſalutaviſſet, nunc vero in Aula iſta eſſet etiam gratioſus. An recordaris tali nomine hominem tibi adfuiſſe? Potes facile inducere in animum, quo pacto illum exceperim. Tu plura poteris intelligere, ſi quando Te ſalutabit. Sed ſic iſti garruli, & ſemidocti inter ſe illic conferunt ſermones.

Caeterum rurſus ad *Satiras*. Enim vero has mihi miſſas, plus quam dicere valeo, taedet; ac pace Tua dixerim, non ego is ſum, cui edenda tradi debebant illa, in quibus, ut alia omittam, *Thraſea* conſideratur, ut *Theſea*. Scis quam ſe iactarint his diebus ſtulti homines *Francius*, & *Brouckhuſius*, quibus ſe oppoſuit *Perizonius*. me eos contemnente, quem propterea infeſtiſſimo odio proſequuntur, ſed deridentem. Caeterum cauto opus eſt. Ac tamen quum ſuſcipiam opus perlegendi, & paulatim parare velim edi-

editionem, an in tantis erroribus dicet ille ſe culpa damnabili vacare? An Vir doctus petet quantitates ſyllabarum ex *Ricciolo*, & non ex rei veritate? Aut an ego velim aliena omnia arbitrio meo corrigere? Quaſi non alia agenda mihi ſuperſint. Sed videbimus; neque enim ulterius licuit perlegere, etſi iam cum librario collocutus ſum. Quid autem eſt quod me non edocetis, vel de forma libri quam praefertis, vel de characteris modo? aut ſi quid aliud eſt ad dedicationem, vel praefationem pertinens? Alioquin ſi id mihi relinquitis, darem ſimilem ſpeciem Poematibus *Kinſcotianis*; ſed a vobis expecto. Nuper in convivio, cui aderat ſenex *Van Dam*; qui mercatorum Conſul Smyrnae fuit, & *Coſſonius*, praeclare libavimus genio Sereniſſ. M. Ducis, nec id potuit fieri, quin & ſtatim Tuum nomen ad pocula diceremus. Quid quaeris? incitabat quemque noſtrum recordatio magnae comitatis, quam in Italiae veſtra regione deprehenderat: nec minus ad hilaritatem provocabant ipſae lagenae Etruſcum plane nectar fundentes; & conveniens omnium ſenſus erat. Sic vides varietatem horarum mearum, ad quas aditum nullum relinquo triſtitiae, in libris, in familia, in conſortibus, & amicis, & ante omnia in Tua recordatione ſemper laetus ac &c.

Lugduni ad Rhenum die XXI. Auguſti *1699*.

An nihil inaudiviſti de Patavinis? quaeſo quid hoc rei eſt?

EPISTOLA LIII.

AN vidiſti *Orationes Ciceronis* per *Graevium* editas? In iſta editione omnem operam poſuit ad editionem meam ab uſu omni avertendam! Non enim modo omnes miniatulas meas, quas ad purgandum contextum protuli, tranſcripſit, ſed & *Anonymum Scholiaſten* rurſus imprimi curavit, at nonniſi ex editione mea: unde omnes Paternae annotatiunculae etiam illic obſervatae ſunt. Ipſe quidem in Praefatione iactat Anonymum Scholiaſten, *quem olim mecum communicavit ὁ πάνυ Iſaacus Voſſius*. Sed ludit, ac Lectorem decipit. Communicavit enim hactenus, ut eum videret; ſed plane non ut etiam deſcripſerit, quod fecit ſolus Pater meus, cuius mentionem omittit. Quum autem meus *Cicero* prodiret, quum iam operae ipſius abſolviſſent *Orationem pro Sexto Roſcio Amerino*, in qua Oratione incipiunt iſtae *Anonymi Interpretationes*, ac propterea eas ſubiungere in ima ora ibi non poſſet, prout fecit per alias paginas ſequentes; ille ab pagina 212. uſque ad 219. adiungere non dubitavit, indicio impudentiae certiſſimo. Quid agam? Non dignum haberi hominem etiamnum, cui exprobarem ſtultitiam in alienis edendis, quum ipſe nihil niſi hic illic notulam habeat addere, plerumque lectam ex Paternis. Taedet ſane, taedet hoc fieri in me ab homine, qui nil niſi Paternum nomen ubique iactat. Etſi enim, quod mirum, in tam brevi tempore

di-

diſtracta ſit editio mea penitus, mea tamen mihi relinqui malo. Hoc quum continere non poſſem, deplorare apud Te volui, cui ſcio omnia mea curae, cordique eſſe, quem idcirco laetari volo ob res domeſticas, quae quidem omnes ſunt in ſtatu tam venuſto, ac felici, prout optare mihi licet: quod idem Tibi precans, & bonam valetudinem, teſtor me ſemper futurum, qui fui diu &c.

EPISTOLA LIV.

VNde ita comparatus fuerim, ut tam longo tempore duraverim non ſcribere, & ſic intentiore cura renovare memoriam immenſae omnino infinitaeque comitatis Tuae, & tot tantorumque beneficiorum, quorum cumulis me obruiſti, non facile cauſam edidero. Id unum ſcio, & ſicut efficaciter experior, ita aſſeverare liquide poſſum, nihil amabilius nunc aut iucundius mihi accidere, quam ſi recorder Tui. Teſtari hoc ipſum debent Batavi, Germani, Britanni, quos diverſos his menſibus ſalutatores habui, a Te non diu antea digreſſos, ad quorum mentionem nominis Tui ab exultatione continere ſe animus meus identidem nequivit, unde colligas licet circumfluentem ſane laetitiam ex repentino literarum Tuarum conſpectu. Negotium iſtud perficiendi *Theſauri Antiquitatum Graecarum* nimis diu nimiſque acriter mihi incubuit, dum quocunque modo providere volo, ut aliquid ſaltem iſta appellatione dignum in eo appareret, etiam tomo

decimo mihi occaſionem dante, ut praefationem texerem, cuius pietati non ſatisfeciſſem, niſi mentione Tui tam benefici nominis ſplendorem ei tribuere conatus fuiſsem; quod ut ne aegre feras, precor, utpote proveniens ex animo ingentis Tuae beneficientiae in nos, & ſtudia mea Fratriſque refertiſſimo, quem ſancte ad poſtremum halitum ſervabo.

Sereniſſimi & Rev. Principis literas cum involucro, quod conſcripſeras, qua prima potui hora poſtquam acceperam; ipſe ad *Coſſonium*, ſane ab ictero male agentem, detuli, & quantae eſsent querelae Tuae epiſtolae indicium feci, quum ſcripſiſſes non traditum a Te iri librum, niſi quum praeſenti Rev. P. id de manu offerre poſses; nec dubito, quin eodem die *Coſſonius* eas Amſtelodamum miſerit, quod certe promittebat, & hic ipſe curſor reſponſum ab utroque ſit relaturus.

De *Buliſonii* (1) novo labore ad illuſtrationem marmoris Puteolani intelligo libenter, praeſertim ſi denuo etiam illud inſpexerit, & accurate magis literas fuerit perſequutus. Eſt enim, quod negari nequit, peregregium, & iſtam hiſtoriam *Tiberii* egregie illuſtrans, & maxime miror, cur non penitus e luto eruatur, aut etiam non circa fodiatur, ubi fortaſſis partes ſtatuae Tiberianae eſsent reperturi. Quid diverſum fraternis opinionibus excogitaverit, etiam aveo cogno-

1 *Ant. Buliſon Ragionamenti intorno a un antico marmo diſcoverto nella Città di Pozzuoli. Napoli* 1694. in 12.

gnoſcere, ut mihi gratiſſimum facturus ſis, ſi prima occaſione copiam eius feceris tranſmittendo per publicum curſum. Noli credere pro impenſis me id habere, ſi quid redimam, quod a Te venit. Deo favente ſtamus optime, niſi quod parum iucunda eſt haec Gallorum vicinia.

Iamdiu ſperavi ex Te cognoſcere, an *Scylacis Periplus* ab *Haeſchelio* primum editus exſtaret in Vaticana Bibliotheca, & quidem an illud ipſum exemplar, quo *Haeſchelius* fuit uſus. Hoc deſiderium meum altera vice Tibi ſignifico, ut ſi cauſa ſit eius molliendi, credas in eo adiuvari poſſe clientem Tuum. Sed quaeſo quid illud eſt, quod adeo nulla iam ſit iactantia *Noriſii* in rebus Romanis, qui ſub praeterito Pontificatu ſolebat in omnibus negotiis legi, & celebrari per illas circumſpergi ſolitas chartas, quas Novellas vocant? Vtrum ipſe adeo ſe ſubducit, an in hodierna Aula iacet?

In hac regione ante CC. annos effoſſi ſunt duo Lapides *Traiani* & *Severi* temporibus poſiti, ad quos aliquid meditari incepi, poſtquam ab moleſto illo *Theſauri Graeci* onere aliquid otii habere potui. Vtinam non tam procul a Te viverem!

Fredericus Spanhemius ante biduum mortuus eſt, quem ego hominem nunquam aeſtimare potui, quum & factioni eſſet deditiſſimus, & hinc Academiae pernoxius, doctrinam vero interiorem poſſideret nullam; iſte nugator tamen, quum ſatis ſciret ſe contemptui apud me eſse, & hinc quoque quidquid poſset mihi detraxerit, in recenti *Geo-*

graphiae vaniſsimae editione bis me citare ſuſtinuit, & noſtrum vocare, quod profecto ſi vixiſset, oſtendiſsem aegre a me ferri; neque enim fui eius ullo genere, qui totus ſum Tuus, & felix ero, ſi Te vivere modo intelligam, quod Deus det, ac luctum Fraterno deceſsu illatum ſancto ſuo ſolatio velit minuere, ac penitus demere! Filiolus meus maior admodum macilentus cum maxime incipit Latina addiſcere.

Noſti opinor *Aeliani varias Hiſtorias*, *Animalia*, & *Tactica* diligenter me ibi contuliſse, & ſaepe aggreſsus fui illa examinare, ut ex eis aliquid docerem. Collega meus *Perizonius* tardantem me praevenit, & quum mea communicare cum eo non poſsem, ob cauſam, quam dixi; *Graevius* ex Gudiana Bibliotheca potuit illi conficere collationem *Gudii*: ita mei laboris magna pars in fruſtrationem cecidit. Sed tamen ſunt quaedam inſignia, quae videtur *Gudius* non animadvertiſse in annotando. Quaeſo, qualem Tu eum deprehendebas in hac parte? an negligenter ita feſtinabat? Vive & vale, Honoratiſsime Patrone; quod opto &c.

Die xx Maii 1701.

EPISTOLA LV.

NVmmus ille, quem tango in notis ad *Arrianum* pag. 67. an non integer magis, & clarior apud vos ſervatur, ut diſtincte cerni cognoſcique poſsit, quid iſta imago

ma-

manibus ſuis levet? Haec enim pars in meo eſt obſcurior & fere deleta, quod aliter mallem.

Ante annos fui uſus exemplari MS. *Ioſephi*, ex quo deſcripſi libro XIV. Antiq. Caput XVII. fere altero tanto grandius, eoque continentur varia Romanorum decreta, quibus muniunt vitam, & privilegia Iudaeorum per diverſas Aſiae minoris Vrbes, lectu certe digniſsima, ut eius Gentis dignitas apud Romanos innoteſcat. Iam ſaepiſsime hi librarii me tentarunt, urſeruntque ad novam eius editionem: ſed nunquam potui conſentire, quia plus otii ad tantam rem exigitur, quam haec Academia nimis operoſa concedit. Amo tamen *Ioſephum* vehementer, quoniam & multa ex eo didici, & cum *Polybio* meo ſane quam convenit. Et in primis doleo periiſse tantam partem ex Libro II. *contra Apionem* pag. 1064 editionis Genevenſis: an Tu, Domine, non alibi ruſpari potes, ut tam indigna lacuna ſuppleatur?

Expecto vehementer iſtud *Monumentum Palmyrenum* ab comitate Amici noſtri.

Vltra quod ſcribam, nunc non habeo, niſi me, meoſque optime valere, & res meas ex voto cedere; quod opinor Tibi volupe fore, & aliis amicis, quos officioſe ſalutabis, & praeſertim Rev. *Nomium*. Deus Te, & omnes illos in hoc duriſsimo tempore commendatos habeat! Id precor.

Duo propria volumina *Diarii*, quod conficiunt in Gallia Ieſuitae, & in his locis recuditur, integra perlegi, nec de Te quid-

quam reperi, ſed ſequenti hebdomade forſan plura. Interim ſi quid mihi ſcribes, cura ut accedat mentio *Ruyſchii*.

Eſt Amſtelodami *Iacobus Barry* (1) qui ex Hiſpanica Hiſpali redux incredibilem veterum Nummorum copiam ſecum extulit, quos nec audivit, nec protulit quiſquam.

Die XVI. Ianuarii.

EPISTOLA LVI.

OMnia quidem videntur, quae e manibus Tuis dimiſiſse ſcribis, recte ad me curata eſſe, ſive epiſtolae, ſive munera, prout etiam ante biduum *Coſſonius* mihi miſit *Neapolitanam*, quae iam, credo, legitur ab Fratre meo; praeterquam quod plane ignorem illud quod iacis de Romana epiſtola Abbatis *Fontanini*. Certus eſto eam mihi non eſse datam, nec ſcire ubi haereat. Pro reliquis, in quibus quidem ſingulis elucet Tua incomparabilis & infinita comitas, non deſino quotidie gratias Tibi agere, mihique aſsidue inculcare, quantis vinculis Tibi ſim adſtrictus; & certe inter praecipua mea gaudia id numero. Librum quidem quo conſecraviſti nomina, & labores vitamque ingeniorum Academiae veſtrae (2) per-

1 De ſplendida hac collectione fuſius agit *Cuperus* in Epiſtolis ad *Magliabechium* a nobis editis Tom. I huius Sylloges *Epiſt. Claror. Belgarum* pag 100. 107. 117.

2 *Notizie Letterarie ed Iſtoriche intorno agli Vomi-*

perlegi ſtudioſe, & ſicut multa didici, ita ſuper multis Te rogatum cupio; quod & nunc facerem, ſed excludit hanc rem anguſtia praeſentis temporis.

De me quod tam benigne cogitaveris, quid dicam neſcio. Atterimur certe in hac ſtatione aſsiduis nimium & quotidianis operis, ut etiamſi vires meae paterentur, non tamen ſpondere poſsim aliquid iſto albo dignum elaboratum iri a me, quem tot alia inſuper negotia ſaepe ab libris meis avocant. Itaque ſcire tamen cupio, an putes aliquid praeſtandum eſse, & quod inſtitutum ſit, quaeve ratio iſtius Academiae: Patrem meum memini ſic quondam Academiae Venetae adſcriptum ſuiſse.

De *Gudio* laetor illa audiviſse; nam plane ſic mihi imaginabar. Gladiatores omnino perperam concepit *Lipſius*, ſive ad verba ipſorum Auctorum non bene attendens, ſive ſerviens nimium pravae informationi quam conceperat. Id non aliunde melius patet, quam ex Threcis exemplo, quem *Fabrettus* in *Syntagmate* (1) pag. 256. exhibet, diverſiſsimo prorſus ab pictura *Lipſiana*. Sed mirum eſt cur ita impolite, craſseque id poni voluerit: nec intelligo, quas quatuor partes ponat ante pectus paulo ſupra ſubligar, nec quales ſint femorum ductus, quos imponit, utrum ab ipſius ma-

mini Illuſtri dell'Accademia Fiorentina pubblicate dall'Avvocato Iacopo Rilli. Parte I. Firenze 1700. in 4.

1 *Raph. Fabretti de Columna Traiani ſyntagma* &c. *Romae* 1683. in f.

manu, an ex ipſo marmore. Poteſne per amicum, qui Romae id inſpiciat, reſciſcere clanculum, quid iſta velint? Certe magno uſui mihi foret. Ego publice illam materiam debui tractandam ſumere propter *Suetonium* ſaepe iſta enarrantem, quum Commentarii ad eum collecti de iſta re mihi minime ſatisfacerent. Vtinam ſimiles aliorum Gladiatorum ſtatuae cum inſcriptionibus ita innoteſcerent? Tuere ſodes beneficia Tua erga me.

Quaeſo, quid hoc eſt? ſaepius audio nomen Tuum in circulis appellari, tanquam qui promiſeris grandes Epiſtolarum faſces ad editionem Operum *Eraſmi*? quum interim nihil etiam tranſmittatur, & ego hiſcere non ſuſtineo, quia rem ipſam ignoro; & ut quid, & per quem tam benigne promiſeris. Equidem intereſt Tua, ut me inſtruas. Editio illa curatur ab pueris, niſi quod nomen *Clerici* in quibusdam paginis conſpicitur, ſane quod neſcio an *Eraſmus* fuiſset admiſsurus. Maior apparatus in anteceſsum congeri debebat, ut tam grande molirentur.

De reliquis, quorum partem in hac chartula vides, fatebor plane mihi ex quo recepi ab auctore chartulam, taedium illius editionis innatum fuiſse. Quid enim? An huc mittetur exemplar male correctum, & non potius cuius ſingulas literas ipſe exegit? An ille reſpondebit, certe ego ſcripſi, quum res ipſa aliud clamet? & haec edentur in regione, ubi tam attente iſta tractantur? Certe niſi Tu eſſes, deſtituerem id plane, quum etiam indignum ſit noſtro tempore appellare, & ſcribere *ſatyras*. Qui enim ſic appellat, aut igno-

ignorat rationem vocis, aut opponere ſe vult iis, quae veriſsime publicavit *Caſaubonus*. Stulte dicit id iudicatum nondum eſse a Criticis. Stulte citat *Minellium*, mihi omnino non citandum, qui ſcio tam futilem hominem non potuiſse de hac re iudicare: nec eſt, ut loquar de aliis. Meum non eſt omnia corrigere; ſed neque edere, quae mihi ſe non probant, nec aliis multis probabuntur. Auctoris memoria mihi grata eſt, ſed is ſcire debet, nos & Latina & Poetica diſcere ex antiquis, ſed illis per vetuſtiſsimos Manuſcriptos, & inſignia Ingenia reſtitutis, non ex talibus, quibus video illum fuiſse circumdatum, qui non ſunt nauci. Itaque prorſus dico, non habui in animo illis edendis operam dare, praeſertim quum nonniſi gravatim accedunt hi librarii ad edenda talia, quae propter certam doctrinae vim non promittunt celerem venditionem. Quod ne me fatiget, quia tantopere eam rem Tibi eſse cordi videmus, noſtris ſumtibus curabimus imprimi, & quidem magnifice, ut nobis videtur, hac forma, quam mitto, ut videatis an vobis placeat. Mittes autem hoc folium quoque ad Auctorem, cui ſalutem plurimam impertio, diceſque me rogare, ut id perlegat, & ſi quid in eo corrigi etiam debuerit, notet in chartula, notato paginae numero: neque enim neceſse eſt, ut hoc remittatis; quod ſi etiam in ſequentibus forſan aliquid mutaverit (ut fieri ſolet in dies) id ſimul notare velit, & quamprimum mittere. Contendi enim ab Typographo, ut typos ita collectos relinquat, uſque dum recepero reſponſum, cuius feſtinatio iam ab Te pendebit.

bit. Melius etiam foret, ſi ipſe aliquid conſcriberet Auctor loco praefationis: nam quod in libro ipſo antecedit hoc principium, annectetur primae paginae.

Frater quoque meus Te amantiſsime ſalutat. Sic eſt, ut Te iam audiviſse credo.

Quum maximi ſumtus facti eſsent in apparatus bellicos, & omnia ad movendum eſſent prompta atque etiam prona, deſecit repente illa dextera, cuius nutu omnia oportuerat dirigi, certe ſperabantur, & procul dubio profligaviſset multum. Sed tamen res bene habent, & quod gratulandum eſt, huc uſque habemus Proceres concordes, & ſententiae ſemel probatae tenaciſsimos. Deus dabit exitum! Sed avocor, & Te ſalvere cum amicis Tuis per hanc horridam bellis futuram aeſtatem ſancte precor, a quo avide exſpectabo reſponſum.

An in Italia nullos noſti Codices Manuſcriptos *Phaedri*. Explicationes Paternae, quas dictavit Auditoribus anno 1655., modo ſub praelum mittentur. Ipſe multa habeo ad eum reſtituendum, quae vix habeo tempus ut digeram.

Die XXX. Martii 1702.

EPISTOLA LVII.

VT tandem deſinas male ominari, Tuas omnes recte accepi, & quidem cum hilaritate tanto maiore, quanto plura me dignabaris nunc docere. Illis ſingulis, protinus quum accepi, reſpondere, me interpellarunt labo-

res

res Academici, atque his intercurrentes morbi vel magis acerrimi dolores neſcio unde collecti, ſed tamen remediis medicis celeriter cedentes, quod magno ſolatio fuit. Vtinam plura talia de *Gellio* ſignifices! Non enim dubito, quin ex veſtris Vrbibus editiones plures & vulgo ignotae provenerint.

In exemplaribus quae miſi, & ad vos veniſse ſalva gaudeo, ſcito Tuum arbitrium eſse meum; & gratias Tibi maximas ago, quod ſuſtinuiſti de eis tam honorifice cogitare, ut offeres illis, quorum reverentia in pectore meo Sanctiſſimum Templum habuit huc uſque, & habebit, dum vita mihi aderit. Cauſas ipſe noſti, quas in dies loquor, & ſcribo, & omni parte commemoro; neque aliud precari habeo, quam ut perpetuus ſis internuncius gratiſſimae meae ac devotiſſimae mentis, quam vellem amplioribus documentis a me demonſtrari poſſe.

In Illuſtriſsimo noſtro *Paſſioneo* (1) experior me ſummopere deceptum. Nam ubi primum ex literis Tuis de itinere eius intellexi, ſimul

1 *Dominicus Paſſioneus* nunc S. R. E. Cardinalis Ampliſs. de quo *Gronovius* in alia Epiſt. d. Lugd. Bat. die 27. Nov. 1705. haec ait. *Ego vero iam ultra triginta annos venerans & adorans Tuam benevolentiam, optime intelligo praeterita omnia identidem te conari ſuperare novis beneficiis, inter quae vel maxime debeo hanc ſuaviſſimam notitiam D. Paſſionei, & hinc tam conſpicuum & peculiare ſubſidium Gellio procuratum. De illo utique cogitare, aut loqui nequeo ſine religioſa Tui recordatione, qui primus ſane moviſti auſpicium tanti ornamenti impetrandi.*

ſimul imaginabar brevi in his locis fore, & hinc quotidie animo proſpiciebam adventum, & quidem ita ardenter, ut complecti eum videre; praeſertim quod etiam ipſe per literas indicans ſuam profectionem, mihi promitteret ſtatim ac in Gallias pervenisset, de adventu ſuo per ipſum me certiorem factum iri; & quum prorſus nihil de eodem reſciſcerem, celeriorem fore adventum opinabar. Sed utraque cauſa me deſtituit, quum neque ipſum, neque ullum aliud indicium receperim; & hinc in expectatione, attamen gratiſſima etiamnum haereo, nec ſuſtinui etiamnum literas mittere in incertum & hoſtilem, quod doleo, locum: Deus in hac tanta etiam Italiae varietate res Tuas, & valetudinem tueatur!

Interim nonulli (ſi bene memini, fuerunt Angli) abſurde in peregrinando loquaces hic ſparſerunt, *Noriſium* ſolitum fuiſſe gloriari, quemadmodum ipſe me eripuerit Inquiſitioni: De qua re quum nec fando unquam intellexerim, precor Te ut ſi memineris aliquid de ea re actum fuiſſe, me edoceas; aut unde iſte, quem pro Nebulone ſemper poſt diſceſſum habui, diſſeminandae huius iactantiae cauſam potuerit arripere Ego enim attonitus haec audio, & prorſus haereo.

Ab eo tempore, quo canicula incipit auditoria noſtra claudere, paulo ſtudioſius inhaeſi *Octavio Minutii Felicis*, periucunde ſemper a me voluti, ſi non ob aliam cauſam, certe ut noſcerem, quid primores iudicaverint ad Chriſtianam Religionem in primis pertinere; ſed nunc quoque id feci rogatu aliorum. Poſſem iam ſtatim ſpecimen dare, quid

quid profecerim, ſed horá nimium brevis eſt.

Vulgatae editiones ſatis innotuerunt, ut de eis non ſim Tibi moleſtus. Sed an non noſti aliquid peculiare? & quum praeſertim iactentur Codices MSSti, unus in Vaticana, alter Pariſiis in Regia Bibliotheca, an Tibi non occurrit aliud huc pertinens? Nam ut velis mihi id impertiri non rogo, quum nimis probata mihi ſit propenſio Tua, qua merebor ex omni ope ſemper frui. Scriberem ſane hac de re etiam Magno Amico noſtro, qui nunc Pariſiis eſſe creditur, ſi ſcirem quo dirigi epiſtola deberet.

Coſmae Topographiam Chriſtianam ab Monacho *Montfaucon* Pariſiis editam modo vidi: ita periit labor, quem ei deſcribendae Frater impendit. Etſi quid dico periit? immo iſte Monachus fervide feſtinavit, & hinc in multis coecus, nequaquam in hac editione ex decoro verſatus eſt. Miror ab eo non nominari *Bigotium*, niſi ubi in eo aliquid poteſt carpere. Etiam in *Monumento Adulitano* ſic agit, ac ſi neſciviſſet primam eius editionem factam ab *Leone Allatio*, quem plane nec citat, ſed adiutum ſe ait ab *Antonio Salvinio*; qui cur ipſe nihil profert ſuo nomine? An ille ita ſervus homo eſt illorum Monacorum, ut ſuum idcirco tempus illuſtrare dedignetur, ad quam rem tanta illi adeſt copia. Interim ex his verſibus colliges omnia apud me recte cedere, & ſatis hilares meos dies eſſe, quales Tibi etiam precor. Eſt Amſtelodami *Luder a VVolfgang*, niſi fallor, appellatus, qui illic vehementer iactat Tuam amicitiam, de me etiam loquens, quem deſideret videre,

ſed

ſed quod multitudo negotiorum impedierit; etiam vultum Tuum affirmat in aere ductum ſibi adeſſe,

Strabo nuper Amſtelodami prodiit, & *Inſcriptiones Gruteri* velut cura *Graevi τῦ μακαρίτυ*. Sed ego illos libros non emo, quia nihil me docent. Vtinam modo habere poſſem *Inſcriptiones Fabretti*!

Eſt Londini Medicus, *VVoodvvard* nomine, in cuius dominium venit clypeus ferreus, inſigni caelatura exhibens Romam a Gallis primo incenſam, dein auri pretio redemtam, ſed interveniens cum equitatu Camillus omnia cum Gallis proturbavit. Et ſane videtur opus vetuſtiſſimi Aevi, quod vellem ut videres. Nunc neque plura habeo, & diſceſſus curſoris adeſt, unde nihil volo, niſi ut haec chartula Tibi afferat fauſtiſſima omnia ab eo, qui vivit &c.

Lugduni ad Rhenum die xv. Novemb. 1707.

EPISTOLA LVIII.

QVid me coercuerit, & impediverit tanto tempore, quo minus ſcribendo conatus fuerim velificari conſtantiae, & perpetuitati favoris Tui, nequaquam vel cogitando aſſequar, vel verbis exprimam. Sane quum adveniſſet Ill. *Dominicus*, in utramque aurem dormivi ſecurus, & exiſtimans inter literas eius Italicas ſemper iturum aliquid ad Te, quod res meas narraret, idque factum eſſe ne nunc quidem dubitare debeo. Et quaeſo, an

non

non ita ſe res habet? Nam ſcire etiam deſidero. Sed & poſtea quum aereus orbis, propter vultum Tuum omni gaza beatior, mihi donatus fuit, ut in horas lineamenta Tua ſpectarem, eo certe etiam rapi potui, & quum ſic paſcerer amoenitate iſta, deſtiterim aliquandiu Florentiae quaerere quod inter chartulas meas venerabar. Teſtor enim illum ſpectatum a me perſaepe, & ita, ut eriperer mihi inhaerens iſti ſpectaculo, tanquam Tibi adſiderem ſub vinea, Tecumque loquerer & legerem, nec prae gaudio quod ſentiebam, etſi imaginario, avelli poſſem. Certe maximum inde ſolatium in his pluribus turbis ita quoque cepi. Et magis etiam me excuſabunt labores, qui multiplices me fatigarunt, in quibus non alius unquam triſtior & abominabilior me oppreſſit, quam quod laudare debuerim collegam per xxx. Annos mihi iunctiſſimum, ſuaviſſimum & ſapientiſſimum Virum *Bercherum Volderum* (1), cuius ſcripti ſingulae voces ſine lacrimis a me ſcribi non potuerunt, ut inde ſenium contrahere inceperim. Sed & *Minucium Felicem* abſolvi: cuius ſcio nullum exſtare exemplar MStum in Vaticana, quum notum publice ſit, quod illic exſtitit exemplar annexum *Arnobii* libris *contra Gentes* (unde prima editio exhibuit *Minucii Felicis Octavium* ſub nomine *Arnobii*, quaſi octavum huius librum) per donationem *Leonis X*. translatum eſſe in Pariſinam Regiam ſub *Franciſco I*. *Mabillonius* tamen in *Itinere*

1 *Burch. de Volder* Philoſophicis ſcriptis editis clarus.

Italico ſcribit ſuſpiçi Codicem Vaticanum; quod ego non intelligo, & Te precor, ut locum inſpicias. Caeterum quo pacto ea curem ad Te deferri? quum ille, cuius in principio feci mentionem, & cui, ut in hac Vrbe moram ſentiret dulciſſimam, inſervire omni opere non omiſi, poſtquam bis ex Amſtelodamo pertenues ad me literas miſit, deinde ita vivat, ut per aliquod menſes ignoraverim, ubi eſſet, utrum haerens ibidem, an traieciſſet in Britanniam, quod ſibi in animo eſſe aliquoties mihi indicaverit; quum ecce nuper inter varios ſermones intelligo eum Hagae morari. Adeo nihil ultra ille ad me refert, nec ego ad illum.

Ante aliquot hebdomadas adfuit mihi Iohannes *Piace*, vel ut dicebat a vobis pronunciari, *Piazza*, Anglus Medicus, & ab Sereniſs. Magno Duce praefectus Noſocomio, niſi fallor, militari, qui talem ſe gerebat, ut qui arctus & carus Tibi amicus foret, unde excepi eum prout decuit, & ſaluti Tuae hilariter libavimus. Ille autem videns faciem Tuam in aereo, quem dixi, orbe, teſtabatur magis vivam apparere in latiore, quem nunquam vidi.

Sane folia nonnulla *Ambroſiani Hodoeporici*, & *Ioannis Pauli Nurrae* Βάμμα Σαρδινιακὸν bene accepi, & gratias egi benignitati Tuae apud me maximas; ut & accuratum magis *Palmyrenae Inſcriptionis* exemplar. Sed non intelligo cur primi opuſculi folia tantum 64. mittantur, quum alia deinde adhuc ſuperſint, quibus deſtituta haec prior pars nec colligari, nec uſurpari a me commode poteſt. Diſ-

ſer-

ſertationem de Tincturae per Sardiniam memoria, deprehendi omnibus partibus plane elaboratiſſimam, cum ſumma non tantum eruditione, ſed etiam probabilitate. Itaque Auctori eius, Viro limatiſſimi iudicii, gloriam hanc patriae ſuae vindicanti applaudo prorſus, & ſubſcribo, rogoque ut velis, ubi commodum erit, gratam meam mentem declarare, non modo ob ea quae didici, ſed etiam quod exercere liberalitatem erga me in hoc exemplari voluerit. Vtinam vicinior mihi foret, ac poſſem viciſſitudine aliqua efficere, ut poſthac quoque dignum me amicitia ſua iudicaret. Sed quantopere omnia inter nos interiecta horrore bellico, et pluſquam ferali dilacerantur! Etiam devinxiſti me in primis conſpectu *Palmyrenae Inſcriptionis*. Sed ea nequivit mihi nunc praeſtare illum uſum, quem reſpiciebam, & propter quem ante triennium adeo fervide oſtendebam illam a me peti. Nam quum vel antea, vel eodem tempore eam miſeris ad *Cuperum*, qui eſt homo ambitionis inſanae, ille ſtatim eam communicavit cum *Renferdio*, prout ex hoc intellexi, quum adiuvare illum meo exemplari deſtinarem, prout tota haec res ex meo ſermone excitata fuit. Sed charta me deficit, & ſcias ſemper me vivere &c.

Lugduni ad Rhenum die vi. Septemb. 1709.

EPISTOLA LIX.

EX quo per Rev. *Landium* ad Te poſtremas meas miſi, nihil aliud quam ante fores Conventus *Stephano* ſacrati perdius pernox iacui, ad ſciſcitandum quid intus de Te ageretur, & Coelum ſollicite, ac per gemitus fatigavi, ut denique eveniret quod optabam: idque tandem quum feceris ut ex chirographo Tuo cognoſcerem, immortales Tibi gratias tum ſtatim egi, tum quotidie deinde agere non deſii, & adhuc ago. Quod non citius Te huius meae voluntatis certiorem feci, in cauſa eſt partim occupatio mea, partim Politiſsimus noſter *Paſſioneus*. Hic enim principio huius anni ſuaviſsima epiſtola me dignatus, & quidem Gallico ſermone ſcripta, indicavit conſilium ſuum circa ver proximum viſitandi has regiones; nec deſii ſtatim, quantopere ardens hoc deſiderium meum inflammaviſset, oſtendere literis, in quibus pariter notabam locum *Minucii Felicis*, quem rogabam ut in Codice Regio, qui unus eſt, inſpicere vellet. Quam credis me uſtum, laceratumque fuiſse varia exſpectatione, ut & illius amplectendi honore fruerer, & loci *Minuciani* ſtatum ſcripturamque perciperem, & tum haec, tum alia exſultans Tibi nunciarem? Suavitas inenarrabilis me fovit, dum tempus fuit advenientis veris, & poſtquam id ipſum advenit. Sed illud omne elapſum eſt, nec vel oculi mei viſu, nec brachia amplexu Optatiſ-

ſimi

ſimi Viri fruuntur, nec quidquam habeo, quod de illis Tibi ſcribam. Sicut non libenter admitto ſuſpicionem alicuius improſperi, ita certe in gravibus aliis laboribus, qui me premunt, nihil eſse in his agnoſcis quod me exhilaret; ac magis Tibi ſcribo, ut anxietati meae ſatisfaciam, & exquiram, ſi aliquid cognoveris, communicandi mecum veniam favoremque, quam ut ad Te referre aliquid poſsim. Vivis interim Tu, & ſicut non decumbens tantum, ſed etiam vix dum firmus oſtendiſti a Te continuari amorem meum, pergis conſtans in hoc iudicio, & ut id facias, benignitas Divina vitam Tuam tuetur. Certe hoc eſt unum, quod votis ardentibus peto, petamque; & utinam interdum ex literis Tuis id reſciſcam!

Locum *Minucii*, quem accuratius cupiebam inſpectum, notabit Tibi iſta chartula, acriter verſatum a Viris doctis; ſed in quo etiam aliquid latet. Narro tibi Hiſtoriam lepidam.

Eſt hic inter Gallos Theologus, qui peregrinatione inſtituta potuit in Gallia comparare ſibi libros Manuſcriptos oppido pretioſos, & praeſertim pertinentes ad *Concilium Hierosolymitanum*, quod ita inquietam habet Galliam, ut non modo Regia auctoritas eos libros, tanquam ex Bibliotheca Regia per furtum ſubtractos, publice repoſcere ſuſtinuerit; ſed quum forte aliquis Lutetiae vellet *Dialogum Minucii Felicis* conferre cum Manuſcripto quod illic eſt, & quum intelligeretur id fieri in gratiam librariorum, qui eum volunt typis novis publicare, *Clementius* Praefectus Edicto Regio negaverit quidquam in gratiam Batavo-

 rum

rum licere illic inſpici; idque quum ego adhuc in gratiam Gallorum ex Bibliotheca huius Academiae curaverim aliquid Graecum deſcribi, & mox ipſe contulerim. Sic ne Muſae quidem ab ſentiendo bello ſunt immunes, idque in cauſa leviſſima, quum *Heraldum* opiner, & *Rigaltium* diligenter evolviſſe, a quibus ego ſatis multiplicem anſam nactus ſum odorandi, quomodo egregius ille Vir in locis variis ſcripſerit. Quum eſſem adoleſcens, Pater mihi ſemper commendabat illum, ut poſt ſacra publica finita diebus Dominicis aliquid in eo legerem: ita caepit placere mihi, docere pleraſque partes a Vetere Eccleſia ad Chriſtianiſmi notam requiſitas: quae utinam ab vanis ingeniis ad tantum numerum ampliatae, non tantopere nos lacerarent ac divellerent! Hinc ſaepe in notando & legendo, & meditando ad illum recucurri, & libens illa colligam.

Quae ſcripſiſti fuere iucundiſſima. *VVolfangus* quum in Nummo gypſato monſtraviſſet venerabilem Imaginem Tuam, & videret laetitiam meam, rogabat, ut hanc ſuam comitatem compenſarem aliqua mercede; et promtum me illi offerebam, peteret modo. Petiit ergo, ut inſtruerem eum de literis averſo lateri inſcribendis. Promiſi eam rem mihi curae fore. Quum idcirco ſperarem reverſurum, diſceſſit hinc nunquam reverſus. Quid nunc eo fit? Nihil unquam ab *Ficoronio* ad me fuit allatum. Omnia apud me recte habent. Frater meus Te ſalutat plurimum, ſed infelix eſt, quod vim audiendi ferme univerſam amiſit. Quaeſo, ut quamprimum intel-

telligam Te valere; & vale renovato vigore; Id precor.

Die XXII. Iunii.

EPISTOLA LX.

Literas Tuas noviſſimas non ſine tremente manu a tabellario accepi. Nam conſpectus earum afferebat mihi metum grandis plagae, quam merueram tanto ſilentio, quod tamen oſtendi nuper ex certa ratione mihi ſubortum fuiſſe. Magis timuiſſem, ſi ſciviſſem quod nunc mihi indicas, nihil Tibi ab cive Tuo, quem tanto opere ſolitus es commendare, etiamnum hic alibi latente, de me ſcriptum eſſe, quem toties rogavi ardenter, ut Te meo nomine revereretur ac ſalutaret, quodque ille videbatur libens identidem ſuſcipere. Sed is plane me decipere voluit, ut primarios viros ad ipſum bene excipiendum compellerem. Narro Tibi ab Cl. *Matthaeo* Collega meo fere mendicando obtinuit quaedam *Analectorum* volumina; & poſtquam impetravit, ne ſalutem quidem unquam illi optimo Viro per me renuntiari voluit. Si hae ſunt offuciae Romanae, eat haec nova Roma ad corvos. Verum & hanc novam toleremus. Quin quum ille indignus ſit, qui memoretur, Tua me benignitas refovit. Non enim modo abſtinuiſti ab me plectendo, ſed veteris illius prolixitatis, & favoris integritatem oſtendiſti Te continuaviſſe tunc, quum ego errarem, & nunc etiam retinere. Quare gratias Tibi ago immortales;

 quas

quas utinam iunctior vicinia mihi permitteret rebus probare!

Iam vero interim animadverto me in eundem rurſus lapidem impegiſse, ut nimis longa intercapedo taciturnitatis diſtulerit hanc ſcriptionem. Sed hanc mihi imperavit illa tantis ſermonibus iactata profectio Florentina ad *Pandecten* conferendum (1). Nunquam tale quid auditum eſt; nunquam hic titulus peregrinando praetextus fuit. Vtrumque quum a me rideatur, ſed clanculum, quod & ſuſpicatur ille hominum grex, quos derideo, & pro nugatoribus habeo, etiam ſuccenſent & nihil de hoc conſilio indicaverunt, niſi quum ille abiturus eſſet. Ne ullo modo dici poſset me interveniſse ad obſtandum, ſcribere omiſi; & nunc ſcribo, quia credo rem iam fere peractam eſse. Nunc igitur ut aperte loquar, iſte iuvenis nulla amoenitate ſtudiorum imbutus eſt, Graecis plane non: experire, & deprehendes. Scio autem quid factum fuerit. *Cuperus* per Collegam quendam ſuum, conſanguineis meis iunctiorem, *Durenium* nomine, ſciſcitari curavit (nam ipſe non auderet) ex Fratre, an aliquid publicare cogitaret. Quod quum is ſtatim ſubodoraretur ſceleſte fieri (nec enim illum curat *Cuperus*, nec *Cuperum* ille, & haec inopina, & velut amica ſciſcitatio monſtrabat planiſsime latentes inſidias) ridens dixit, nec eius intereſse, nec tamen ſe cogitare. An tales fraudes arripere ſuſtinuerunt illi

1 *Henrici Brenkmanni* V. Cl. propoſitum carpit conferendi Pandectas Iuris Civilis cum optimo & antiquiſſimo exemplari Florentino.

illi homines ut circumſcriberent Sereniſſimae Regiae Celſitudinis benignitatem? An Legationis Anglicae negotia non ſunt maioris momenti Florentiae? An Legatus Anglicus auſus eſt ita ſtatuere de Fratre meo? an idcirco opera eius dicetur inutilis, quoniam in hoc aurium, & hominum vitio vivit ſibi, & continue ſe oblectat in iſto Florentino labore? Vtique enim laboravit ſibi, non aliis. Vtinam non inutilior eſset iſta Anglorum velociſsima levitas in faciendis hodie editionibus, unde nihil proficit doctrina! Frater meus certe collegit plura ad edendum, quam ullus Anglus: neque intereſse putat Legati Anglici, ut hoc ſciat, & Legatus ille perſona ſua abuſus eſt. Frater meus ſatis multa ex illa collatione meditatus eſt, quae poſset ad bonum publicum edere, & nullus ex illo grege illum adaequabit; ſed placet illi, ſicut & mihi, habere aliquid in ſinu abditum, in quo nobis liceat ludere, etiam cum invidia aliorum. Omnino fraus quaedam ſtruitur. Etenim poſtquam vanitas novae collationis patebit, ac unicuique fiet notum quantis ſcripturae vitiis ſcateat ille Codex, minuent iſti homines riſu ſuo pretium illius, & de maioribus prave iudicabunt. Credimus enim ſapientiſsime egiſse *Taurellum* (1) quum codicem non edidit ſequen-

(1) *Laelius Taurellus* Vir doctiſs. qui iuſſu *Coſmi I.* Magni Ducis Etruriae laudatiſſimam & nitidiſſimam Pandectarum Florentinorum editionem curavit, quae in duos Tomos in fol. diviſa prodiit Florentiae ex Officina Laur. Torrentini an. 1559.

quendo ſingulas literas, prout illic habentur, ſed quae palam erant vitioſa occultavit. Hoc non capit, nec intelligit vulgus, & dolemus detectum iri. Iuvenis ille iter parans me quoque ſalutavit, ſed quum videretur dies incertus, nihil ei mandare volui; & reverſus haud dubie multa ridebit, quantumcunque etiam caveatis, ut nuper ille phreneticus *Copeſius*, quae mihi pariunt indignationem, ac taedium.

Notas in Pindarum ullas ſcriptas me vidiſſe nequaquam memini, quod etiam Tibi dico: ſed neque Comes ille quis ſit, recordari bene poſſum, niſi ſit ille, qui circa finem praeteriti ſaeculi me inviſit, & cui donabam primum volumen *Theſauri Antiq. Graec.* quo facto corrupi integrum exemplar. De *Pomponio Mela* ante *Brenkmanni* diſceſſum neſcivi, unde reſpiciam occaſiones alias: nam finio, quia ſum laſſus, Teque rogo, ut id mihi indulgeas, & Egregios Viros, Amicos Tuos, officioſiſſime meis verbis ſalutes. Valere Te plurimum iubeo.

Die 24. Ianuar.

Duae

DVae inſequentes Gronovii Epiſtolae ad Regiam Celſitudinem Coſmi III. Magni Etruriae Ducis non autographae ſunt, ſed Magliabechii manu deſcriptae. Nihilo tamen minus edere volui, quoniam prima illa ſit, qua miſſionem ab Academica militia efflagitavit, & obtinuit: Poſteriore vero ingens aliquod acceptum beneficium vel a Magno Duce, vel a Sereniſſ. Franciſco Card. Mediceo grati obſequentiſque animi ſignificatione recolat. Quod nam illud fuerit, non liquet: niſi quod ex Epiſtolis ſuperius editis pag. 53. & ſeq. ſuſpicari licet, vel de ſtrena annua, aut congiario aliquo, vel de procurata Gronovio Cathedra in Patavino Lycaeo. Ex hac vero ad Magnum Ducem, vel ſi mavis ad Franciſcum eius fratrem data (neque enim deficiente inſcriptione certi quidpiam adfirmare poſſumus) coniicerem Gronovium in Piſanam rurſus Academiam, vel in Aulam clementer invitatum fuiſſe. Coeterum de Epiſtola hac Gronovius in alia ad Magliabechium data Daventriae a. d. pridie Cal. Septemb. 1677. ait. Sed & alteram Epiſtolam perlegas accurate cupio: & ſiquidem aptam cenſueris, trades cum devota mei memoria; ſin, facies, quod volueris. Ego utique non ſine lacrymis cogitare valeo, tot mihi a Ser. Patrono offerri, quibus nunc tantopere indigeo. Novi nihil. Quanto ardore ad haec reſponſum opperiar, exprimere non poſſum. Tu celeritate qua maxima fieri poteſt, ei ſuccurras etiam atque etiam rogo.

Ter-

Tertiam emiſimus d. Lugduni ad Rhenum die 25. Sept. 1682. qua Magno Duci gratias agit pro collatis in Laur. Theod. Gronovium *fratrem ſuum beneficiis dum Florentiae conſedit, diuque occupatus fuit in conferendis antiquis Scriptoribus cum Exemplaribus laudatiſſimis Bibliothecae Mediceo-Laurentianae.*

Reſtant adhuc inter autographas Epiſtolae nonnullae Iac. Gronovii *ad* Averanum Seminettium, *& ad* Carolum Datum *Patricios Flor. ad* Io: Cinellium *M. D. Flor. ad* Octavium Ferrarium *Profeſſ. publ. Patavinum, & ad* Petrum Paulum Boſcam *Bibliothecae Ambroſianae Praefectum, quas omittendas eſſe cenſui, ne Lectores onerare potius quam iuvare velle viderer, & quod nihil fere memorabile in illis continetur, quod in ſuperioribus Epiſtolis ad* Magliabechium *fuſius, & melius expoſitum non fuerit.*

IACOBI GRONOVII
EPISTOLAE
AD COSMVM III.
MAGNVM ETRVRIAE DVCEM.

EPISTOLA I.

Sereniſſime & Celſiſſime Princeps Domine Clementiſſime.

QVum non modo propter votorum meorum effectus, ſed ſtabilem quoque Vitae tranquillitatem, in Veterum Sapientium reliquiis, utpote ſecuriſſimis curſus mei gubernaculis, aſſiduus ſemper fuerim; tum hoc ſane tempore, quo ſacra Sereniſſimae Celſitudinis Tuae probatoria, provinciae & ſtudiis meis commodiſſimae, & felicitatis mihi ſperatae menſuram ſatis aequanti impoſitus fui, iſtam eorum non octioſam doctrinam mihi admovi, & infixi, qua prae-

ci-

cipiunt, ut is qui honorem adipiſcitur, eum quidem implere, & exſequi ſtudeat; ipſe tamen eius ſpecie & phantaſia ſe immutari non permittat; ſic namque fore, ut ſi idem poſtea deponendus ſit, non doleat ſibi aliquid decedere. Itaque non ſine circumſpectione, neque inſtar puerorum ludentium, qui adveniente hieme glaciem gaudent manu prehendere, quam repente liqueſcentem nec dimittere volunt, nec retinere vel poſſunt, vel commodum ipſis eſt, munus Sereniſſimae Celſitudinis Tuae accepi; ſed bene ſubducta ratione (ſicuti novit, quo excepto ſolo omnes hic & me & mea ignorant, *Antonius Magliabechius*) & ut in eo me pro viribus exercerem, inſtigantibus tum Sereniſsimae Celſitudinis Tuae auſpiciis, tum primo ad dedicandam linguam meam conatu. Quod licet ita facere voluerim, & feciſſe me ſperem, ut ſemper & omnibus hanc operam monſtrare, atque approbare. Sim paratus, neque propter eam inter aequales meos verſari erubeſcam; exclamare tamen & confiteri cogor, obnoxium, & ſiniſtris malevoliſque exiſtimationibus opportunum eſſe peregrini vultum. Sentio enim, et diſciplinam meam, & exiguam iſtam ſtationem ſtrenuiſſimis, denſiſſimiſque ſive rumuſculorum, ſive literarum aliunde huc, & hinc rurſum a certis hominibus in Patriam meam miſſarum, calumniis impetitam, ac laceratam eſſe, ut illis reſiſtendo mea teneritudo non ſit; in ſtatum eo deteriorem redacta, quod nec me defendere, nec libere verbum proloqui ſuppurata aliorum cutis mihi concedat. Quare deſiderans illis ſu-

ſur-

ſurris materiam ſubtrahere, humillime, & ea, qua par eſt, devotione Sereniſſimam Celſitudinem Tuam deprecatum venio, ut benigne mihi miſſio indulgeatur, & cum eius bona venia locum inter Piſani Prytanei alumnos, eadem animi mente, eademque frontis meae remiſſione, qua nuper ingreſſus ſum vacue facere liceat. Quod ad me attinet in obſequio, veneratione, & vera erga Sereniſſimam Celſitudinem Tuam fide ſemper eum exhibebo, quem decet, tam munifica liberalitate, tam eminenti, & inexpectato honore ab Auguſtiſſima Dextra decoratum; neque patiar, ut aut loco, aut tempore circumſcribatur certiſſimi cultus mei magnitudo; quin ſive in hac Regia Tua Callipoli, ſive alibi expreſſiſſimis, & perpetuis documentis tum publice, tum privatim oſtendam, ac teſtabor conſervari a me firmam huius faciliimi temporis mei recordationem; meque eſſe, & futurum Sereniſſimae Celſitudinis Tuae, pro cuius aeterna ac glorioſa pace cum tantis in commune publicum, & artium liberalium propagationem commodis coniuncta, Deum Opt. Max. venerari nunquam deſiſtam.

Devotiſſimum Humillimum, Fideliſſimum Subiectum, & Famulum
Iacobum Gronovium.

EPI-

EPISTOLA II.

Compellor rurſum in verba ambitioſus eſſe, & ſaltem profiteri nunquam obſequentius, & proniore animo Romanum militem ab Imperatore ſuo accepiſſe ſignum egrediendi e caſtris, quantam mihi excurrendi voluntatem attulit conſignata Sereniſsimae Celſitudinis Tuae chirographo teſſera, vel potius ad fruitionem perennis beneficentiae glorioſa invitatio. Quae licet ſemper non poſſit non venire commodiſſima; tamen commodiorem eam vel eſſe, vel videri facit temporis huius opportunitas, & occupationis in qua cum maxime volvor, cauſa conditioque longe infelicisſima, velut exhortans ne quum mihi Coelum & ipſa ſidera patefacta proponantur, humili & infecunda deſideam & macerer miſeria. Pervicax en typographi poſtulatio, iuncta aliorum precibus veſtigia Paterna inſequi iubentibus, ad editionem *Titi Livii* me alligavit, & qui Graecis praecipue me ſpoponderam, repente circumactus ſum ad Latinam Hiſtoriam, ut Auguſteo ſeculo ſcriptam, ſic politurae eius, & elegantiae prorſus congruam, recenſendam. Quae res quid aliud eſt, quam famam omnem meam in diſcrimine & periculo poſuiſſe? Solus ſum, Sereniſſime Domine, ſine adiutore, & nullas ſuppetias adfero, niſi ſi quam vim, aciemque in me aut indulgentia naturae infudit, aut Paternae educationis, curaeque ſedulitas excitavit. Et tamen poſt tot eru-

eruditiſſimorum hominum, quibus & facultas, & aetas noſtra libenter decedit, & aſsurgit, in ipſo Scriptore ſudores de me maria ac montes polliceri ſibi quidam volunt. Vix memorare haec mecum queo, quin me omnium taedere incipiat, & gemitibus quoque copioſum exercitum imperem; maxime quum adeo infortunate Tantalica calamitate plectar, & tanquam novus *Phineus*, frui impediar deliciis, quas immenſa Benignitas Tua mihi porrigit, & gratificatur. Quum enim nihil habeam, quo tam obſeſſa & anxia mens mea reſpicere, aut unde aliquidpiam ſolatii ac liberi ſpiritus petere poſsit, niſi voces ab ingenio, & manu Sereniſsimae Celſitudinis Tuae profectas, atque adeo velut ſtimulis agar ex iſta luctatione cum arido hoc effoetoque & duro ſolo exeundi, properandique ad illam fortunatiſsimam cellam, & doctrinae aram, ac vere Pierios dies ſub Medicaeo praeſidio conſectandi, fortuna alia nobis inſidians ſe commovet ad omnem iniuriam, & amare etiam ipſas poenas noſtras imperat. Sed ſic quoque Domine laborabimus, neque inertiae aut otio quidquam indulgebimus; vel ut in futurum nobis promittere aliquid poſsimus de poſſeſsione gratiae, ac favoris priſtini apud Te, Clementiſsime Princeps, erga nos continuanda; vel ut honorificentiſsimo teſtimonio, quo praeteritam vitam meam coronare ſuſtinuit Celſitudo Tua, nunquam indigni, aut per id in deterius mutati appareamus. Ex quibus ſicuti pro altero, quanta ſumma fieri poteſt, pietate ago, & in aeternum acturus ſum; ita ne de altero diffidendi cauſa unquam mihi o-

riatur, ſupplex enixiſsime precor, me omnes, labores, annoſque meos pro incolumitate & vita Tua, Benigniſsime Domine, ſanctiſsima devovens &c.

Daventriae pridie Kal. Septemb. 1677.

Digitized by Google

LAUR. THEODORI GRONOVII
EPISTOLAE
AD ANT. MAGLIABECHIUM.

EPISTOLA I.

Celeberrimo & Eruditiſſimo Viro

ANTONIO MAGLIABECHIO

S. P. D.

LAUR. THEODORUS I. F. F. GRONOVIUS.

PRo maximis & innumeris Tuis beneficiis gratias agere non poſſum, multo minus referre: itaque eorum & apud alios ratio conſtet, neque enim diutius tacitam conſcientiam tantorum officiorum meis penatibus commendare ſolus ſuſtineo. Ob eam cauſam conieci aliquid in chartas tertius *Gronoviorum*, qui Florentiae veſtrae plurimum debet, & Tibi ſecundus. Faxit Deus Optimus Maximus, ut Tu tertium aſpicias! Quaeſo digneris evolvere, &

ubi emendaveris remittere. Ardua res eſt poſt tot, tantoſque Viros, aliquid novi proferre, quod placeat; verum de hoc poſtea. Litteras quas ad *Stenonem* habui, ſuo tempore ante annos ipſe tradidi in manum eius: promittebat reſpondere; neſcio num affirmationi ſuae fidem fecerit. Ni grave eſt, quaeſo ſalutes omnes ad S. Laurentii officioſiſſime meo nomine. Inter abeundum horrendis modis deceptus, ſpoliatus, & raptus ſum, quod ad Palatii cuſtodes Liburni ſcripſi. At valeant Fures cum raptoribus.

Poſſum ne aliquid amplius ex Te (nam nemo alius mortalium mihi hoc beneficium praeſtare poteſt) ſcire de ſtatu Pandectarum. Ait *Taurellus* (1) *Lotarium Caeſarem item ſecundum*. Goltius in imaginibus vivis: *Lotarius III. Calviſius* in *Chron.* ad annum 1137. *Lotarius tantum*. Praeterea *Taurellus cum Amalphi prius ſupra omnem memoriam fuiſſet*. Nempe prope Salernum in Piceno. At *Viglius* in praefactione ad *Theophili Inſtit.* & *Ant. Auguſtinus I. Emend.* c. 1. aiunt *in Malfitana Bibliotheca*. Nempe Melfi in Lucania, quae hodie *Baſilicata* non procul ab Apulia: prima Vrbs ad mare, altera mediterranea, quam videtur probare *Calviſius* dum dicit ad eum annum *in Apulia reperit Leges Romanas quas Piſanis donat Plotius Gryphus* eſtne impreſſus? *Volaterranum* vidi, ſed is non ſatisfacit in notitia libri adeo ſin-

1 *Digeſtorum ſeu Pandectarum Libri Quinquaginta ex Florentinis Pandectis repraeſentati curante Laelio Taurello. Tomi 2. Florentiae ex officina Laur. Torrentini* 1539. in fol.

ſingularis. *Rainerus Gracchia Piſanus quod opus inter cubiculares Tuos Libellos aliquando vidimus*. Eſtne haec vera *Taurelli* oratio: hodie ne etiam ſervatur? *Hervagii* editionem an. 1541. mihi comparavi. *Haloandri* adhuc quaero, nec ſcio in quot Tomos illum diviſerit Norimbergae Anno 1529 aut quis ante eum vulgavit *Digeſta*: Cum tamen *Bartolus* & alii longe ante *Haloandrum Digeſta* verſarint. Si qua vetuſta editio in Italia occurreret, maximo etiam damno mihi eam emptam oro, & argentum facile per *Laurentium* reſtituam (1).

In Auguſtiſſimae Reginae Svecorum Bibliothecam aditum ſi poſſem impetrare, & Tu mihi id auctor eſses, continuatis manſionibus Romam advolarem, & immenſis Tuis in me meritis ingens cumulus accederet. Vtinam vivere & ſalvum eſſe propediem noſcamus animae dimidium meae. Vale, & me amare perge. Daventriae 3. Iuli 1684.

1 In alia Epiſtola d. Lugd. ante diem 3. non. April. 1695. ait. *Primam editionem Digeſtorum nullus reſciſcere poſſum, nec in Publicis Bibliothecis inveni*. Haloander *tamen docta Dedicatione ad Remp. Norimbergenſem meminit unius tantum ad Codicem MSti* Io: Egnatii, *quaſi plures in toto orbe non extarent*: *& addit* collatis inter ſe exemplaribus tam ante, quam poſt *Accurſium* ſcriptis & impreſſis: *quae nam ſunt illa exemplaria ſcripta, & impreſſa? Quaeſo mei memineris in tanta Editionum caligine*. De labore a *Laur. Theod. Gronovio* impenſo in collatione *Pandectarum* Iuris Civilis cum laudatiſſimo Exemplari Florentino V. Epiſtolam *Iacobi* eius fratris ſuperius editam pag. 233.

EPISTOLA II.

IN tanta urbe ereptum mihi eſſe amicum ſingularem, aetate florida & vigente, aegerrime fero, nec ſatis lugere poſſum iniquitatem Parcarum nimis contra me crudelium, ſaevientiumque; nunc plane abiicio omnem ſpem umquam Romam redeundi. Precor Deum Opt. Max. in tanta vaſtitate Litteratorum, ut Neſtoreos annos Tibi largiatur, vivaſque felix nobis ex univerſis Muſarum clientibus.

Quod bene acceperis faſciculum ſex librorum gaudeo; ſed ut tantis verbis depraedices humanitatem meam, quam exiguam in me eſſe deprehendo, vix capio: quod ſi cogitem (cogito autem ſaepius, quoniam nunc alios dies experior, & a Te diſreptus ſum) quam moleſta & oneroſa Tibi fuerit vita mea Florentina in tanta obtrectationis invidia, teſtor Deum Immortalem, nihil agere aut dicere tota aetate mea poſſum, quin cordatiſſima erga me pietas, & meritum magnificentiſsimum longe id ſuperet. Quippe ſaluberrimis, & ſapientiſsimis Tuis conſiliis ſemper Pater fuiſti, nec aliter Te reſpiciam, dum memor ipſe mei dum ſpiritus hos regit artus.

Praeſtantiſſimi *Auguſtini* liber *de nominibus propriis τȣ̃ Πανδέκτȣ* nos deficit: beaſti, & me praeſentem eodem loco, & nunc abſentem verbis *Auguſtini*, & manu Doctiſſimi *Dini*; & doces me queri negligentiam *Dion. Gothofredi* in ſecunda Nota ad Pandectas, ubi

idem

idem affirmat *Pandectas eſſe maſculini generis alias quoque*, *dixi*; cum tamen in *Gothofredi*, & omnibus aliis editionibus *Inſtitutionum* ad tit. *de nuptiis* ſemper vulgatum ſit, *Pandectarum ex vetere Iure collectarum*, contra auctoritatem manuſcripti veſtri melioris Sanctae Crucis, & alterius Patavini, & unius Colbertini. Immo Filius eius *Iacobus Gothofredus* ubique fere genus foemininum ſequitur. In *Manuali* ſuo, ubi aggreditur tractare Editiones Pandectarum ait: *ut de anterioribus inconditis editionibus taceam*. Summa voluptate eas noſſe cuperem, cum *Taurellus* omnes praetereat, & hic locorum illae ignorantur ante *Haloandrinam* editionem anni 1531. Quaeſo ſi forte in Italia veſtra reperiantur, me certiorem facere digneris. Vale, & me amare perge.

Calendis Martiis A. C. 1686.

EPISTOLA III.

QVod numquam potui ſperare, ut vivus videnſque rurſus ſalutarem Patronum meum, ea nunc ſpes videtur appropinquare, & velut ſidere me percellit, ut prae gaudio plures lacrimas fundam quam litteras: verum videbimus quid amoenitas Veris nobis apportabit boni. Heri cum Nobiliſſimo & Ingenuo Adoleſcente *Van Svieten* appuli Venetias: habemus nobiſcum *Ciceronem* in octavo cum notis Fraternis Patri eius dedicatum. Eum rogat Pater uti liceret per filium offerre S. C. S. Eius rei gratia multis Te precibus

oratum velim, uti nobis conſilium & tempus commodum poſſis ſuppeditare: omnem iſtum honorem Pater nobis acceptum referet. Sunt multi Nobiles Batavi, qui hodie tendunt in Etruriam, & Latium; quo magis angor & crucior uti ei contingat aliquid, quod aliis propter ignaviam non licuit. Ipſe eſt Ingenuus, bene educatus, Filius unicus e tribus ſuperſtes, & ſpes eſt, uti Generi, & Dignitatibus ſuccedat. Hunc librum dubitamus ubi curabimus ligari, hic, an Florentiae, & corio rubro pretioſiſſime ornari; utinam aliquod conſilium des! *Graevius*, & Frater auctores fuerunt, ut hoc iter ingrederemur, & ambo iuſſerunt plurima ſalute Te impertire. Habeo alium in quarto, ſed ſunt eaedem *Notae:* verum non audeo Curſori Florentino committere; item *Epictetum* &c. Quaeſo uti ignorent meum adventum, & per aliquot dies incogniti poſſimus luſtrare delitias illas Vrbis, & Ducis. Hunc faſciculum Liburnum deſtinatum dedit Francofurti *Iobus Ludolfi*, cum plurima ſua ſalute. Alteras litteras dedit Norimbergae *Chriſt. Arnoldus*. Nunc ambulamus per Venetias & neminem Litteratum hic novimus. Vale, & fruere felici exitu, & meliori initio anni ſequentis, quod ex animo voveo. Poſt menſem cogitamus Patavium excurrere; ſi quid eſt, quo opera noſtra prodeſſe poteſt, impera Devotiſſimo Clienti Tuo. Frater mihi dixit nunc eſſe alium doctum Bibliothecarium Sancti Marci, cognoſtine? iterum Vale, & me ama.

Venetiis die 25. Decembr. 1693.

EPI-

EPISTOLA IV.

NVnc appulimus Liburnum, ubi per aliquot dies moraturi ſumus; hinc petemus Florentiam; itaque vehementer ſcire aveo, num mercator Venetiis recte curaverit *Ciceronem* Magno Duci deſtinatum; ea res me anxium habet, Si videatur conſultum uti mentionem de nobis facias, gratum erit: omnes meae fortunae in eo ſitae ſunt, ut Nob. Iuvenis *Van Sweten* aliquo honore fruatur; id minime continget niſi Te auctore: Praeterito anno habuit Frater litteras benigniſſimas, plenas omni favore, earum copiam mecum habeo. Vtinam earum partem in eum transferre poterimus! Pater ſenex ampliſſimis facultatibus, & honoribus in Patria ornatur, & eſt filius unicus e tribus ſuperſtes, & bene natus, & educatus. Quaeſo quam citiſſime fieri poteſt, aliquo conſilio nos digneris.

Frater ſcripſit ſe occupari in edenda *Vita Coſſonii* (1) Lugdunenſis, qui Smyrnae miſere confoſſus a duobus latronibus periit; rogatque ut ſi quas eius litteras in Italia inveniſſem, in quibus de ſtudiis aut antiqui-

1 *Memoria Coſſoniana: hoc eſt Danielis Coſſonii vita: Monumenti Ancyrani nova & emendatior editio cum notis Iac. Gronovii, & nonnullae Inſcriptiones ab eodem Coſſonio collectae*, *Lugd. Bat.* 1694. in 4.

quitatibus ſcribit, earum copiam ſibi transmitterem. Nullas potui invenire: Cognati ejus aiunt ſe intellexiſſe cum Patrono litterarum commercium exercuiſſe, creduntque forte Illuſt. Patronum aliquas litteras poſſidere, quaeſo ſi multae, & magnae ſunt quae ad eum ornandum pertinent, uti eas recta Liburnum mittas, nam hic habeo otium: ſi parvae ſunt, Florentiae deſcribam. *Inſcriptionem Lucii & Caii* (1) ſolam ſi poſſem Liburni habere, magnopere deſiderarem, & ſartam tectamque reddam, libro non indigeo: ſunt enim multa, in quibus haeremus. Liburnum recte mittes ad *Calcberner* Conſulem noſtrae nationis. Vale, & nos amare perge.

Piſis Calendis Iun. A. C. 1694.

EPISTOLA V.

Heri pranſus eſt nobiſcum in aedibus fraternis *Langermannus* Hamburgenſis, unus ex paternis neceſsitudinibus. Poſtquam intellexi ipſum peregrinationem habere velle per Italiam, rogavi ut plurima ſalute noſtro nomine impertiret Patronum, & *Verlii* libellum *de oculo Artificiali* (2) ſecum ferret

1 Cenotaphium Piſanum Caii & Lucii Caeſarum, quod in Piſano ſplendidiſs Coemeterio adſervatur, & deſcriptum, doctiſſimoque commentario ab *Henr Noriſio* illuſtratum fuit.

2 *Io: Baptiſtae Verle Anatomia Artificialis oculi humani latine reddita*. *Amſtelod.* 1680. in 12.

ret : recepit ; itaque illi commiſi libellum; unde *Verlius* videbit me memorem illius vivere.

Poſtquam relicta Italia Viennam appulimus, ubi per quinque ipſos menſes commorati fuimus, oravi Iuvenem ut tandem melius ſibi conſuleret (nam neſcio quibus adhaerebat) ut optimus Pater valde poſtulavit; ſed fruſtra & patrem verbis circumducit, cum vult intrare hoſpitium Ill. Legati. Ego ubi vidi me incaſſum omnia conari, petii a Patre, ut nobis ſimul, aut mihi ſoli liceret in Patriam redire; poſterius impetravi; ante menſem per Dei gratiam ſalvus huc appuli. Frater quidem reconvaluit, ſed priſtinas vigentes valetudinis vires nunquam recipiet; tam ferox & peſtilens ſidus ipſum afflaverat. Hoc rerum mearum ſtatu Viennam poſt me reliqui, ubi magno aere alieno laborabat, & in dies peiora metuo. *Vita Coſſonii*, & pars litterarum quibus me beare dignatus es, imprimitur. Vale, Moecenas Ampliſſime, a Fratre, meque plurimum ſalutatus.

Lugduni die VIII. Maii A. C. 1695.

EPISTOLA VI.

ANte aliquot menſes me exercui in marmore Puteolano. THENIA... EIORON non debent ſeparari: coniicio legendum SARDIANORVM NENIA, quae Vrbs a

Bu-

Bulifone omittitur, & omnino primum locum obtinet, quemadmodum & apud *Tacitum*: AVGVSTALES eſt primus caſus, ſcilicet dedicarunt ſtatuam. Hoc ex aliis inſcriptionibus affirmabo: RESP. RESTITVIT non Ludos Auguſtales, ſed miſeras illas Aſiae Civitates, quarum imagines adſunt, & a Tiberio reſtitutae dicuntur apud Auctores. RESP. eſt *Tiberius* qui ludit illo nomine, uti ſolebat. Nihil me magis torquet quam Epheſus: XII. Vrbes tertio Tiberii anno percuſsae ſunt: anno nono Cibyra: etiam Epheſus intra id tempus; ſed de certo Anno haereo. *Euſebius* uno loco dicit δώδεκα Πόλεις: inter illas XII. Epheſus non eſt: in quatuor aliis locis dicit ιγ; & inter illas tredecim numerat Epheſum; recte: Verum *Euſebius* corruptiſsimus eſt: nam in quatuor illis locis quibus dicit tredecim, quatuordecim numerantur; qui error provenit ex eo, quod *Scaliger*, quantus homo! utique edidit Ἀπολλώνια Δία, cum deberet Ἀπολλωνιδία. Haec cum modeſtia, & pace Manium tanti Viri cogito publicare, ſi Patrono videatur: ſi non, facile ſupprimam. Dedicare non alii fas erat, quam *Bulifon* praeivit. Ego tamen vereor arrogantiae notam ſubire, dum tam exiguum libellum, & ſolius meae operae offero, cuius me plurifariam pudet, quoties cogito, quantum nos Veſtrae Aulae debemus. Nunc Te per omnia Muſarum ſacra oro rogoque, ut hanc chartam ſine arbitro digneris legere, emendare, remittere, conſilio iuvare, quid amplius in hac re facere debeam: quod ſi

in-

intra maieſtatem iudices, ſupprimam: res eſt adhuc integra: & totum opuſculum pereat, ſi ita Tibi videatur. Aveo quoque reſciſcere num *Verlii* libelli traditi ſint: quod ſi cunctantur: *Langermannus* Hamburgenſis, & alter Anglus, quibus proximo anno commiſeram, porrigere, exemplum aliud mittam: nam cupio optimo *Verlio* fidem promiſsi mei conſtare.

Suvietenius Venetias rediit ad Saturnalia: inde abiit in Saturni ſeculum. Tribus horis ante mortem ingentem pecuniae vim legavit, quam Pater recuſat ſolvere: circiter tria millia ſcudorum: & ſub Iudice lis eſt: adeo ut in tempore me ſubduxerim, & omnes homines hic conſilium meum laudant. Quod ſi diutius adhaeſiſſem, nunquam tamen cum eo reverti voluiſſem Venetias. Pater, quae mihi promiſit, immemor eſt; itaque recurri Daventriae praeter expectationem. Vale, decus & praeſidium meum, & me amare perge. Daventriae a. d. VII. Cal. Iun. *1696*.

EPISTOLA VII.

INtra quattuordecim dies libellus ad *Marmoream Baſim* publicam lucem adſpiciet: nihil magis diſplicet quam formae enormitas, quae non fuit mei arbitrii, nam eſt in folio, & non excedit craſſitiem Itali commentatoris. Vltraiectinus nuper tres cathedras ambitioſis ſuis commendatitiis ſupplevit, & qui-

quidem duas ineptiſſimis hominibus cum pudore commendatitiarum: hunc parentis merita adeo extulerunt! Ego cogor contentus eſse hoc Catone: unde quaeſo ignoſcas mihi, quod tam exilem libellum offero Palatio veſtro, & tanto: ſi quid hic valuiſsem, non deſcendiſſem ad tam iniquas condiciones cum typographo, ſed quia Ille mihi non merito ubique pedem opponit, ferenda ſunt praeſentia. Animus mihi eſt ſex exemplaria ad Patronum per mare mittere; rogoque humillimis verbis, ut provinciam hanc tradendi velis ornare, ea tamen conditione, ut ſi libellus totus diſplicebit, ſupprimas & pereat. Quatuor exemplaria curabo ligari, duo ſine ligatura mittam: & pro arbitrio potes donare vel Clariſs. *Ciampinio*, *Mediobarbo*, vel *Vallettae*; ſed primum Tibi, & Palatio tot, quot velis eligas. Si plura exempla deſideras, mittam. Eſt rariſſimum argumentum: & varia Auctorum loca inde reſtitui non conjectura, ſed ex publico inſtrumento. *Meurſius* negavit hanc marmoream Baſim: cum quo primus in arenam deſcendo, & quaeſtionem hanc defero Sereniſs & R. Principi; etiamſi ſit exiguus libellus. Ego Dedicationis formulam inutare ſcelus putavi: Tuo tamen judicio ſtent cadantque omnia: & ſi hic ſunt homines, qui me noſſe cupiunt, ſciant ſimul magnifica Tua in me merita, aut me ignorent. Amicus *Kayſer* Luneburgenſis rurſus ſe accinxit ad Iter Gallicum, & Italicum cum duobus nobilibus Danis: cum valere nobis diceret, ſolus & continuus ſermo noſter erat de meritis Patro-

troni, ſaepiuſque pocula cum voto bonae valetudinis interiecimus. Deum Opt. Max. precor ſupplex, ut Te ſalvum & incolumen adeant. Vale, & me ama.

Lugduni in Bat. die XVI. Auguſt. 1697. ex aedibus Fratris, qui Te plurimum ſalvere iubet. Iterum vale, decus & preſidium meum.

EPISTOLA VIII.

MAgno curarum aeſtu liberatus ſum, quo die intellexi Te onus tradendi non ſubterfugere, & gratias ago habeoque maximas: paginae, quas incluſeras, nobis fuerunt iucundiſſimae, & ſatis doctae: Scotus aut Polonus nondum huc appulerunt, in dies tamen Frater deſiderat habere & videre illos faſciculos librorum.

Mortem Comitis *Mediobarbi* doleo, & videbatur me amare.

Verum qua facie Sereniſſimum & Reverendiſſimum Principem meis inconditis litteris interpellare audebo? conabor tamen, quia id ita iubes, & ecce copiam: illas litteras, ſi non diſpliceant obſignabo inter faſciculos libellorum, ut ita ſimul ad Patronum curentur. Tria exempla inaurata mittam, hoc eſt Sereniſſimo Magno Duci, Principi, Tibi, reliqua tria non inaurata celebri *Ciampino*, *Vallettae*, & cui volueris. Argumentum Marmoris ſpero non ingratum fore Patrono. Libere dico hoc marmor eſſe Baſim,

dein

drin ſtatuae ſedentis, & tertio coloſſeam; quod mirum videtur; vehementer opto ut quamprimum Patronus adſpiciat; eſt enim libellus varia eruditione refertus. *Meurſius* negavit hoc factum & reprehendit *Phlegontem*; ſed vide negligentiam hominis. *Meurſius* derogans fidem *Phlegonti* omiſit verſionem latinam, quam in recenſendo *Phlegonte* omittere nequaquam debuit: & ſecutus eſt vulgatam, in qua legitur *propter quod Aſiani Coloſſum ei confecerunt*. Sed in Graeco textu, deeſt *Aſiani*, & hoc falſum eſt: nam Romani, & Auguſtales confecerunt Coloſſum, non Aſiani, quia Aſiani Graece, non Latine inſcripſiſſent, neque in Italia, ſed in Aſia erexiſsent, neque pecunia eo tempore Aſiani abundabant, ut Coloſſo impenderent; dumtaxat *Phlegon* id non dicit, & hunc decebat *Meurſium* emendare, neque pati inde tot Antiquarios falſos fieri mala illa verſione. Deinde *Scaliger* ad Euſebium numerat tribus locis quatuordecim Vrbes, cum deberet *tredecim*, uti *Euſebius* dicit: & illo tempore erant ſolummodo tredecim Vrbes: *Cibyra* poſtea acceſsit, & haec eſt quartadecima. Errores *Scaligeri* puto me liquide monſtraſse, quamquam invitum. Negat quoque *Scaliger*, & *Freinſemius*, ad *Tacitum*, *Tmolum Vrbem*, quam *Herodotus* πόλιν nominavit; neque *L. Valla* auſus eſt *Vrbem* vertere. In ipſa pictura, ubi infans manum porrigit matri, & notatur 1. & 2. emendavi. 1. nam eſt Vrbs & ſic fiunt quoque in marmore quatuordecim Vrbes, non quindecim, quot fuerunt. *Tacitus* dicit 2. ann. 47. *duodecim Vrbes*:

re-

recte etiam: nam poſtea acceſſit Epheſus (quam imprudenter *Harduinus* ad *Selecta Numiſmata* ex *Tacito* probare conatur; cum ne γρῦ quidem in *Tacito* de Terrae motu Epheſiano) deinde Cibyra, & ſic fiunt iterum XIIII. Vrbes. Ratio ob quam libellus eſt in folio impreſſus, eſt eadem, quam Patronus coniecit; & librarius negat ſeparatim vendere, ſed ſimul cum *Theſauro* (1) mihi tamen quaedam exemplaria ſeparatim promiſit. Pictor nonnihil moratur, ſed in dies ſpero exitum. Frater occupatur in *Manethone*, & plurima ſalute impertit Patronum, uti & ego: Vale: Incluſas ex Anglia oramus ut recte curentur. Iterum vale, & me amare perge.

EPISTOLA IX.

NObiliſſimus Comes *Montani* Legatus Ser. M. Ducis hac die Lugduni me in aedibus Fraternis quaeſivit, ubi me non invenit: ipſe Amſtelodamo hac hebdomada dignatur ſcribere, & Daventriam mittere Regales litteras Clementiſſimi Domini Regia manu ſubſcriptas, pleniſſimas favoris, & honoris erga

1 *Theſaurus Antiquitatum Graecarum* ab *Iac. Gronovio* editus, in cuius Tomo VII. pag. 433. inſertus eſt *Laur. Theod* fratris *Commentarius in Marmoream Baſim Coloſſi Tiberio Caeſari erecti*, de quo agitur in his Epiſtolis.

clientem devotiſſimum, tot tantiſque beneficiis obnoxium ſervum; prae gaudio non ſum apud me; omnes Amici ſtupent ad tantum honorem, nunquam fando auditum poſt Patris, Fratriſque obitum ex hac Vrbe. Cuncti laudare fortunam meam, praedicare felicem, & detrimenti, quod in iuvene illo feci, humano maius redhoſtimentum oſtentare: neque ipſe moderari laetitiae poſſum: mens, manus, univerſa viſcera exultant gaudio, nec quomodo me geram in tam inexpectato rerum mearum ſtatu ſcio. Nobiliſſimo Legato gratias agere non poſsum, quia ignoro in qua parte Vrbis hoſpitium habeat: Fratri ſignificavi, ut ſi forte rediret Lugdunum, meo officio fungeretur. Menſe Octobri Monaſterienſi cuidam, qui Patavium petiit, ut Medicinam operam daret, commiſi duo exemplaria non ligata: altera ſex ligata Roterodami Magiſtro navis tradidi, qui in animo habebat brevi per mare Liburnum appellere, ſed an vela fecerit, propter rigorem frigoris ignoro. Heri quoque reſpondit *Bailius*, & res ita ſe habet. Menſe Novembri hic ad me curantur iucundiſsimae Tuae die 22. Octobris datae: circumſpexi omnem viam, qua certior fierem de *Bailio*; habeo hic cognatum qui eſt intimus amicus *Bailii*: ei commiſi honorifica verba Patroni, rogoque ut me certiorem facere velit de *Lexico* (1). Liburnum miſ-

ſo,

1 *Pierre Bayle Dictionnaire Hiſtorique, & Critique en deux Tomes. a Rotterdam* 1697. in fol. Vol. 4.

ſo, aut non, & ſi non miſsum foret, me in mandatis habere ut mittam: Cognatus haec ita ſcribit *Bailio*, ſed cur tam tarde reſpondeat, cauſam non capio. Heri itaque integras litteras *Bailii* legi, in quibus gratias agit pro honorificis verbis, queriturque *Coronellum*, cum huc tranſiret, promiſiſse aliquot libros velle mittere ad *Bailium*, aut *Leerſium* librarium, & ſe recepiſse duo exemplaria *Lexici* curaturum, ad Patronum unum, alterum ad *Coronellum*; ſed ob fidem a *Coronello* nondum praeſtitam nihil miſiſse: Verum nunc prima quaque occaſione per mare unum miſsurum Liburnum: itaque in aeſtate autem ipſi vellam, aut ſi non mittat, ne mihi invideat illam gloriam. Quem Patronus nuper dedignabatur, mihi ſatis gravis eſt: edidit libellum ſtultum de tribus Gordianis, eumque dicitur deſcripſiſse, huius dicti veritas conſtabit ex libello, quem mittam ſi iubes. Vale decus & praeſidium meum. Quaeſo me moneas, quid in tam florenti, & ſupra vota aſcendenti honorum gradu faciendum ſit. Iterum vale.

Daventriae die 23. Febr. 1698.

EPISTOLA X.

EXilui gaudio poſtquam intellexi ſex a *Calcbernio* libellos recte curatos. Epiſtolam ad Sereniſs. & Rev. Princ. habuit Monaſterienſis ille, nunc Medicinae Doctor, cum duobus libellis, nomine *Bernardus Brauns*, qui

acu tetigerim. Baſis equeſtris ſtatuae non poteſt eſse propter brevitatem. Si poſsem aliquid ulterius cognoſcere de illo Coloſso, mittam per *Calcbernium* aliquot nummos Neapolim, ut ſolvantur Architectis pro opera. Nam ego puto in illa Cella Olearia, (*e che parimente un altro gran marmo* (Coloſsus) *diſotterrato ſi ſarebbe, ſe dalla ſpeſa di pochi ſtudi* &c. ut ait *Bulifon*.) Forte nunc, ſi attendatur ad illud grande marmor ſubterraneum, patebit corpus *Tiberii* coloſsei, aut aliqua pars ſtatuae ſedentis. Domino *Vallettae* non eſt ut tam cito mittatur, nihil ab illo in ſtudiis noſtris proficere poſsumus. Si forte appareant duo libelli, memineris, ut ſupprimatur altera epiſtola ad Sereniſs. & Rev. Princ. ſi non, alios mittam per mare. Noſter ex libello multa decerpta proſcripſit in *Bibliotheca Nov. Libr. ſenza una parola di Sereniſſ. Principe*: quaſi is indignus, aut *Bulifon*, & ego ſtipites eſsemus. Quid cenſes de hoc Ariſtarcho? cogor ferre hanc iniuriam. Sed ſi alio loco eſsem, omnibus Eruditis merito deferrem hanc querelam. Et ſi dedignatur nominare talem Principem, cui ego lubentiſsime, devotiſsimeque omnia illa mea ſacra eſse volui, dedignetur etiam mea excerpere, quae ipſi in hos uſus non dedi; & ſua proſcribat non aliena. *Bibliothecam* illam habeo, & tranſmittam ſi deſideras: nam cupio liberari illa *Biblioth.* quae mihi tam amarum, & triſtem reddit laborem meum. Haec ſi ipſi exprobranda ſunt, quaeſo de me ſileas: nam magis nocebit. Optimus Pater, & ego de illo hoc

non meruere. Vide quanta mihi acerbitas: dedignatur, omittit Principem, ſibi & in ſuis hoc agat: mihi, & in meis alia mens eſt. Hoccine illum admittere, o tempora, o mores! forte ignorat mea beneficia, quae licet ipſi ignorare; ſed oſtendat meliorem; quod nunquam faciet. Tanta temeritas, levitaſque in aeternum procul a me ſit. In textu haec habet: *Vanino placuit*: omittit *Qua forma ut ſimul poſſet cum hac Differt. publicari in gratiam Seren. Veſtrae Reverendiſſ.* Vide quam pauca verba, & quanti momenti apud vere doctos! cum talia legant. Forte in omnibus ſuis dedicationibus talia non teguntur, ſed ne detrectet haec aliis. Clavo tabulari fixeram, ut prohibere illa furta; & ſi vana aut ingrata verba in meis iudicaſsem, ipſe induxiſsem. Sic diſcipulus ſupra magiſtrum. Vale decus, & iucundiſsimum praeſidium meum.

Daventriae x. Iulii A. C. 1698.

EPISTOLA XI.

MEnſe Auguſto reſpondi gratiſſimis Tuis, cum duabus incluſis, & Celſiſſimo M. Duci, & Sereniſſimo Principi Card. Haereo an hae tres recte curatae ſint. Nihil prius aut antiquius habeo, quam ut hi Sereniſſimi Principes cognoſcant me gratum, & devotiſſimum ſibi vivere. Hoc menſe Aug. Sereniſs. Princeps *Gaſton* ſalutavit Regem Angliae in Praetorio Loiano, quod tres horas diſtat ab Daven-

ventris: ſuſpiciebam id futurum, ſed incertus quando: quodam die & ipſe Praetorium illud petii, ut aliquid interrogarem de Sereniſs. Principis Adventu, ſed ſero veni, nam ante duos dies diſceſſerat in Hollandiam: ſic animo, & corpore aeger redeo domum, precanſque Deum, ut aliquando liceret expiare agreſtem illam inhumanitatem in Via *ad Petraiam* (1) commiſſam. Ohe, mi Patrone, eſt ſcelus quod omnia viſcera mea uſſit, & ſi iuvenis ille adeo ferox fuit, ego aliter didici In Vrbe circumeo, rogo cauponas, ut ſi Sereniſſimus Princeps huc tranſeat, me admoneant: recipiunt. Quid multa: die Mercurii, qui eſt 17. Septembris poſt prandium repeto diſcurſitationes per Vrbem, accedo Cauponem, is large promittit; & eadem die hora circiter tertia poſt ſolis occaſum, tempus caenae noſtrae, invehitur Sereniſs. Princeps ad idem hoſpitium, cui ante ſex horas ſupplicaveram. Poſtera die matutino tempore reliquit Vrbem Sereniſs. Princeps, & petiit Germaniam. Tunc ſceleſtus caupo mittit ad me, ut ſi Sereniſs. Principem ſalutare vellem, tempus eſſe. Nec dicta res morata: ſine ulla cura veſtium laudans Deum pro tanto Evangelio, ſubito curro ad hoſpitium: ſed audio abiiſſe. Tunc Deum hominesque teſtatus ad tantam malitiam, peto ſtabularios, rogoque an non cum equis occupare illud iter poſſim: illi aiunt, ſi offerrem Nummos; Tum reſtitutus parumper promitto quodcunque vellent, & dedi tota Civitate mi-

1 *Petraria* Villa ſuburbana Magnorum Etruriae Ducum.

rante. Sed mihi ratio bene conſtat: illorum Nummorum; Et plus dediſſem ut emendarem illud vitium in Via *ad Petraiam*. Sic bonis avibus, ſed cum ſcelesto itidem ſtabulario, advolavi ad currus, equo meo commiſſo ſtabulario. Flecto genu, ſed Sereniſs. Princeps iuſsit ſurgere, & accedere, quod feci ſumma animi hilaritate: gratulor adventum, excuſo hanc audaciam, offero mea obſequia, precor veniam inhumanitatis in Via ad Petraiam, agebamque grates: tum protuli litteras Sereniſs. M. Ducis, quas integras Sereniſs. Princeps perlegit, & bonum animum habere iuſsit. Putavi me in Coelo eſſe cum Regiam faciem intuerer: erat ipſa Humanitas capite aperto, quamdiu loquebar: ſic precatus fauſtum felixque iter, revertor domum animo firmiſsimo & laetiſsimo: ſed corpuſculo afflicto ex duriſsimo ephippio, & nimio motu. Nec tempus erat . . . . curandi. Frater etiam aberat modo, cum Sereniſs. Princeps Lugdunum tranſiret; inde peſtilentiore ſidere afflatus tantum non id emendavi. Nunc libet Patronum rogare conſilium: habeo *Iter Syriacum* ab Aleppo Palmyram a Salomone conditam, & Euphraten uſque inſtitutum ab *Hallifaxio* Anglo Paſtore anno 1691. vernacula lingua, cum multis Graecis doctiſque Inſcriptionibus editis iam in Britannia Londini, ſed peſsime. Nunc Vltraiecti mihi dicitur easdem ſub praelo eſſe, ſine illo itinere; ego cogito illud iter vertere in Latinum, & Inſcriptiones emendatiores edere: id opuſculum, ſi videatur, dedicabo Sereniſs. *Gaſtoni*: quaeſo me iuves conſilio, & ſit inter nos, *Hallifaxius* an ſalutaverit Patro-

num

num eo anno, cupio ſcire: ſimulque ſcire aveo quid *Bailius* facturus ſit; adhuc verba dat bona: ego ſi ſciam illum fidem fallere, promptiſsimus mittam id *Lexicon*, nec iſte homo meretur ut ante ei ſcribas. Si placet dedicatio, debebam ſcire titulos, & novos per felix Matrimonium Sereniſs. Principis. Iſte Monaſterienſis domum reverſus eſt, cui Frater duo exemplaria commiſerat cum meis litteris; ſed reſponſum adhuc tergiverſatur. Meas ad Celſiſs. M. Ducem, & Sereniſs. Principem Card. ſpero recte curatas. *Menckenii* filius huc tranſiit, ei dedi exemplar *Marmoreae Baſis* ad Patrem, & queſtus ſum atrocitatem iniuriae Vltraiecti mihi factam: Illum precatus ſum per Deum Immortalem, ne, ſi forte mentio fiat Baſis in *Actis Lipſienſibus*, mihi eandem iniuriam, & dolorem incutiant. Probent vel deſpiciant mea pro lubitu; modo ne ſubtrahant, & mihi invideant hoc ſidus Regium, & propicium. Vale decus & preſidium meum, meque amare perge.

Pridie Cal. Octobris 1698.

EPISTOLA XII.

A Morte Amoeniſsimi Fratris Tui, & mihi magno honorum officio Romae cogniti, (ſed petulantia Iuvenis Virum caſtiſsimum avertebat, vidi tamen eius voluntatem erga me non merentem) vehemens dolor animum & ſtudia mea afflixit, turbavit, rapuitque ſolatia. Ne nunc quidem totus ſum apud me, adeo

deo Honoratiſsima Memoria egregie Cordati Viri apud me excubat, excubabitque in aeternum vultus omni Maieſtate, & Comitate Ornatiſsimus. Haec etiam cauſa eſt, cur officio, & pietate erga Te mihi non ſatisfacio; ſed cum ante paucos dies Frater mihi miſerit ſecundam Editionem *Marmoris Puteolani*, rupi tam amarum ſilentium, & gratias ago Maximas cum Tibi, tum *Bulifonti*; & quaecunque hic de ſecunda inſpectione Marmoris obſervavit, perplacent, perque iucunde legi. Quod me reprehendit in forma litterarum AVGVSTALES, quas ego maximas putavi, quia ita animo meo inhaeſerunt, poſtquam illud Marmor vidi, bene facit, laudoque: ceterum minores eſſe, uti affirmat, vix concedo, aut debebat in utraque pictura demonſtraſſe, & magnam a me inibit gratiam, ſi me certiorem facere velit, quanto minores ſint. Ego valde delector hac eius ſecunda Editione, ubi vidi eius inveſtigationem multo quam antehac diligentiorem, quanquam mihi parum arrideat eius explicatio, AVGVSTALES RESTITVIT pro *Ludos Auguſtales*, quia nemo Latinus ita loquitur, multo minus *Tiberius* Caeſar adeo ſollicitus de Verbis Latinis in Edictis ſuis. De Statua *Tiberii*, quam ſuggerit *Bulifon* ibi adhuc latere, optarem mehercules ſcire eius mentem, quam, aut qualem ſtatuam arbitretur, aut unde ei in mentem venerit ſtatua *Tiberii* Caeſaris, ſi hoc Marmor non ſit Baſis: ſed etiam miror adeo eum ſilere de Marmore, quod nomen habeat, aut quid velit: & tunc ſi me refellat, nihil mihi prius, aut iucundius facere poterit.

O' μα-

O' μακαρίτης *Gradius* Romae mihi donavit *Petronium* cum *Fragmento*, ex Manuſcripto *Statilii* impreſſum Amſtelodami. Deſidero reſciſcere, ubi hodie extet ille Manuſcriptus, & *Marinus Statilius* Tragurii vivat, an obierit, & quot anni ſint? Vale, meum Decus, & plurima ſalute impertias *Bulifontem* ni grave eſt, meo nomine oro. Iterum vale.

Daventriae Cal. Novembr. 1701.

Inſcriptio in pag. penultima laborat in poſtremis verbis: CAIVS TANTILLVS CC. HYLA CN. LIVS. CN. L. VICTOR. C. IVLIVS C. L. GLAPHIR CVRATORIBVS; ubi CVRATORIBVS cum CAIVS TANTILLVS &c. minime convenit: utinam & hanc Inſcriptionem ſecunda vice inſpiciat *Bulifon*.

EPISTOLA XIII.

NEgotium meum quod tam diligenter curaverit Doctiſs. *Hyacinthus*, gratias vobis ſingulis, ac utriſque ago, habeoque ingentes; utinam referre aliquando liceret. Inſcriptionem illam, in qua haeret etiam Doctiſs. *Hyacinthus*, ait *Capacius* lib. 1. pag. 328. *Hiſt. Neap.* exſtare in aedibus *Capanorum*, & poſtrema verba ita expreſſit CN. L. VICTOR C. IVLIVS. C. L. GLAPHYR CVRATOR . . . . . non vero CVRATORIBVS; an forte CVRATORES? Hic eſt ſcrupulus dignisſimus vindice *Hyacintho*. Forte ſi lapidem ipſum inſpiciat & conſideret, an ſit lapis unus, quis ſit ductus litterarum, verſuumque, & quae litterae de-

deficiunt, forte expediet aliquid, quod ſcire ſaluberrimum foret. Mihi ſi des hanc veniam, ut liceat onerare magis, quam ſalutare Virum Ornatiſſimum, vellem in chartula habere *la longhezza di palmo Napolitano diviſo con le oncie*; cuperemque ſcire latitudinem, & altitudinem quatuor ſignorum, quae extant in ſuperficie Marmoris. Interim plurima ſalute impertio *Hyacinthum*, ac *Buliſonium*. Vale, meum decus, & me amare perge.

Daventriae Cal. April. A. C. 1702.

EPISTOLA XIV.

MVltum in hiſce terris deficit *Petronius Arbiter*; & eſt Librarius, qui me rogavit, ſi quid haberem ad eum ornandum, gratum me facturum, ſi communicarem: nec aio, nec negavi, & habeo aliquid dignum luce in *Coena Trimalchionis*, quam omnes docti mehercules debemus *Statilio*, & *Gradio*, cui me non merentem adeo honeſte tradideras. Pro viribus ſtudeo famam horum Virorum defendere contra iniuſtos duumviros. Altorphini filius ante aliquot annos in prandio domi Fraternae me praeſente voluit Te tangere: o tempora! o mores! ſed repente obſtruxi os, & nunc ubi agat, domi, an foris neſcio. *Statilii* MS. dici non poteſt, quo theſauro mihi comparare velim, ſi per aliquot dies liceret inſpici. Quaeſo certiorem me facias, an Mutinae, aut ubi terrarum ſervetur nunc iſte Manuſcriptus. Eſt hoc egregium in illo Manuſcripto, quod *Coe-*

nam Trimalchionis ſeparaverit a vulgato textu; ut videatur velle transferre in lib. XVI cum reliqua habeat in lib. XV. In Bibliot. Publica Lugdunenſi extat Manuſcriptus in pergameno antiquiſsimus, qui legit a cap. 3. uſque ad cap. 41. inter quae capita vulgatae Editiones *Coenam Trimalchionis* miſcuere: hic Manuſcriptus omiſit. *Sambuci* editio quoque praeterit *Coenam Trimalch Pithaei* Editio anno 1575. aut *Tornaeſii* Editio circa idem tempus (verum hac editione careo) admiſerunt primi hanc *Coenam*, ſed non ſuo loco: quid veſter Manuſcriptus ſcamno 37 in Biblioth. Laurentiana? fortaſſe conſentiet: poſſumne iuvenis alicuius operam adhibere in conferendo? nam vehementer deſidero *Statilio* auctoritatem, quam meritus eſt, ſervare: id nullo modo melius poſſum, quam collatione aliorum Manuſcriptorum. Noſtine alios Manuſcriptos *Petronii* antiquos? in vulgatis Editionibus nemo ait ſe inveniſse hoc loco in Manuſcripto *Coenam Trimalchionis*: Itaque eſt animus transferre illam *Coenam* ad librum XVI. ſi parumper adiuveris, quem ſaepius, & in diem adeo magnifice extuliſti, de illo libro XV. & XVI. Praeterea novum argumentum habeo de aetate *Petronii* ad tempus *Tiberii* collocanda. *Harduinus* cenſet ſub *Auguſto* ex illo loco: *Vinum Opimianum annorum centum:* ſed hiſtoria Vitri flexibilis inventi ſub *Tiberio* eum refellit. Miror *Gradium* ſilere in *Apologia Statilii*, cuius ſe Auctorem profitetur manu propria in libro mihi a ſe Romae donato, de aliis Manuſcriptis Vaticanis, in quibus *Coena Trimalchionis* aut omiſſa, aut ſeparatim poſita eſt. Vidiſtine Exemplar *Franci-*

ſci

ſci Nodotii Albae Graecae inventum? nobis eſt ſuſpectum: hoc convenit cum Manuſcripto *Statilii* in verbis quidem, ſed non in loco *Coenae*, cui librum XVI. libenter ordinarem. Si quid aliud ſubſidii ſuppeditare valeas animo gratiſsimo expectabo. Vale, & me amare perge.

Daventriae a. d. 3. Cal. Febr. A.C. 1707.

Laur.

L. Aur. Theod. Gronovius, *cuius* XIV. *Epiſtolas in lucem produximus, Patrem habuit* Io. Fridericum *Virum Doctiſs. Fratrem vero* Iacobum, *a cuius Epiſtolis volumen hoc auſpicati ſumus. Iuri Civili operam dedit non ignavam, multumque deſudavit in emaculandis* Pandectis, *quos diu ante* Brenkmannum *contulit cum vetuſtiſſimo Exemplari Florentino olim Piſano. De egregio hoc conatu agit in prioribus Epiſtolis, egitque* Iacobus *eius Frater pag.* 232. *Bis Italiam ſtudiorum cauſa perluſtravit: primum ſolus A.* 1680 *iterum vero A.* 1693. *Ephorus Nob. Iuvenis* Vanſvieten *Florentiae diu moratus eſt magnis beneficiis a* Magliabechio *cumulatus; & benigne a Mediceis Principibus exceptus. Non tantum autem ibi celebratiſſimum* Pandectarum *Codicem ſedulo contulit; ſed plures veteres Auctores e Codicibus MSS. melioris notae Biblioth. Mediceo Laurentianae deſcripſit, vel emendavit. Neapolim quoque, & oram Baianam inviſit, ubi forte obſervavit recens detectum in ruderibus Puteolorum marmor antiquo anaglypho opere ſculptum. In hoc itaque librum Commentarium ſcripſit, ediditque in* Theſauro Antiquitatum Graecarum *ab* Iacobo *Fratre adornato. Aſſerit in eo libro marmor illud eſſe Baſim Coloſſi* Tiberio *Caeſari erecti ob* XIV. *Aſiae Civitates reſtitutas poſt horrendos Terrae tremores; diverſamque tuetur ſententiam ab* Antonio Bulifonio, *qui peculiari Libro Marmor idem explicare conatus eſt,*

Epi-

Epiſto'ae, quas edidimus plurimum lucis adferent ad Gronovianum *Commentarium illuſtrandum. Deſudavit item* Laur. Theod. Gronovius *in emaculanda* Coena Trimalchionis Petroniana, *novamque* Petronii *Editionem moliebatur. Invidiae apud populares ſuos obnoxius fuit, & potiſſimum obtrectatorem habuit* Gisbertum Cuperum, *de quo apud* Magliabechium *quaeritur praeſertim pag. 259. 260. & 261. Epiſtolae, quam ad* Franciſcum *Cardin.* Mediceum *ſcripſit, memoratque pag. 261 autographam habemus; ſed quia nihil peculiare continet, omiſimus.*

Henricus Copes *Vir in primis elegans & Eruditus, cuius Epiſtolas addimus, Sylvae Ducis* (Bosleduc) *in Brabantia natus eſt, & Magiſtratum geſſit. Italicum iter inſtituit A. 1695. & facile ſibi Doctorum Virorum amicitiam conciliavit; ſtrenueque ſe exercuit in conferendis Antiquis Scriptoribus cum Codicibus Manuſcriptis. De eo vide ſis Epiſtolas* XVIII. & XIX. Gisberti Cuperi *ad* Magliab. *a nobis editas in Tomo I. huius* Sylloges Epiſtol. Clarorum Belgarum.

HEN-

HENRICI COPESII

EPISTOLAE

AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Illuſtriſſimo Eruditiſſimoque Viro D.

ANTONIO MAGLIABECHIO

Sereniſsimi M. Hetr. D. Bibliothecario S. D.

HENRICVS COPES.

QVod hactenus elegantiſsimis, & humaniſsimis Tuis Literis Bononiae XIV. Kal. Auguſti receptis non reſponderim, Vir Illuſtriſsime, haec eſt ratio, & cauſa, quod antea deſiderabam convenire, & Tuo nomine ſalutare Viros illos doctiſsimos, quorum nomina mihi indicaſti, & quibus me de meliori nota commendaſti. Cuius voti cum iam ſim compos, non putavi diutius cunctandum, ſed potius maxi-

mas Tibi agendas eſſe gratias, quia Tua ope mihi non tantum ad cognitionem, ſed etiam ad amicitiam Clariſsimorum Virorum R. P. *Cicalae*, & D. *Guglielmini* ianua aperta eſt. Nihil candidius, blandius, & doctius illis inveniri poteſt. Non contenti fuerunt me colloquiis omnimoda eruditione excultis, & vere Socraticis excipere; ſed inſuper etiam deduxerunt ad alios Tui ſtudioſiſsimos, Litterarum & Litteratorum amantiſsimos Viros R. P. *Catalanum* Eccleſiae Sancti Salvatoris Canonicum, & Bibliothecarium, & *Sabbathinum* ex Ordine S Franciſci Metaphyſices Profeſſorem acutiſsimum, quorum ſemper praedicabo humanitatem Tuo beneficio mihi conciliatam. Imprimis, quia D. Canonicus mihi conceſsit facultatem ſcrutandi Bibliothecam illius Coenobii, variis & egregiis Manuſcriptis Codicibus tam Graecis, quam Latinis refertam. Inveni inter alios ibi duo, vel tria MSS. Exemplaria *Commentatorium Iulii Caeſaris*, quorum Editionem adornat Vir Clariſsimus Tibi minime ignotus D. *Chriſtophorus Cellarius*, Humaniorum Litterarum in nuper erecta Hallenſi Academia Profeſſor Celeberrimus: in cuius gratiam, ſi tempus otiumque mihi ſupererit, conabor conferre MSS. cum Editionibus impreſsis, & variantes Lectiones annotare, quae fortaſſis Viro illi doctiſsimo alicuius poterunt eſſe uſus. Credo, Vir Illuſtriſsime, Te non latere illum etiam meditari novam Editionem *Geographiae*, quam in tres Claſses dividet, *Antiquam*, *Mediae Aetatis*, & *Novam*. Opus eſt a Viris Litteratis diu efflagitatum, ob exactam rerum Geographicarum cognitionem, nitidum ſtilum Auctoris, & eius perſpicax candi-

didumque iudicium. Mutinam nondum profectus ſum, quia hic fama erat Eruditum Patrem *Bachinum*, qui mihi ante Tuas amiciſsimas litteras ex *Actis Eruditorum Parmenſium*, *& Lipſienſium*, *Marmoribus Felſineis* Com. de *Malvaſia*, & ſuis Eruditiſsimis libris cognitus erat, quotidie expectari; ſed cum haec ſpes iam decollata ſit, videbo an poſsim eum Mutinae Tuo nomine compellare, & ea occaſione uti; & frui alloquio Viri ſummae famae, exiſtimationis, primique inter Eruditos ordinis; & modo ubi commoretur Tu, Vir Illuſtriſsime, mihi certus es Apollo (nam ſemper ad Te veluti ad Delphicum Oraculum confugio) non vanam fore meam expectationem. Hoc officio quamprimum defunctus ero, me iterum Bononiam conferam, & ibi remanebo donec furit Sirius ardens, & veſani ſtella Leonis. Ignoſce Vir Illuſtriſsime, quod tam prolixa, incomptaque Epiſtola Te detineam, quam (ne ulterius Tibi taedium afferat) concludam cum Tibi gratiſsimis Officiis Reverendiſs. & Doctiſs. Virorum *Catalani*, *Cicalae*, *Sabbatini*, & *Guglielmini*, quibus ſi mea addi permittis, ſublimi feriam ſidera vertice. Dabam Bononiae, Nonis Auguſti 1695.

EPISTOLA II.

QVae fuerit cauſa meae morae, & ſilentii, ex poſtremis meis litteris, quas iam Te recepiſſe, Vir Illuſtriſsime, exiſtimo, facile cognoſces, quibus poſt Tuas Humaniſsimas hoc mane mihi redditas, etſi nihil quod Te [illegible]

nere, & pretioſa Tua bono publico deſtinata ſtudia interrumpere mereatur, addere poſſim; tamen mei officii eſſe putavi, ne ingratitudinis notam incurrerem, iterata vice Tibi, Vir Illuſtriſsime, gratias agere, pro ſumma benevolentia, qua me Tui, Tuorumque meritorum gratia excipiunt Viri Eruditi Bononienſes, quorum quotidie Bibliothecas, & Muſea luſtro. Heſterno die cum inſpicerem Gazophilacium, & Nummos Viri Ampliſsimi *Ioſephi Magni Vaccae*, quem Reverendiſs. Pater *Henricus Noris* non immerito in *Epiſtola* ſua *Conſulari* pag. 66 eruditae rei Nummariae periti ſsimum vocat, incidit ſermo de ſummo Tuo erga litteras, & litteratos ſtudio, & digno elogio, quod inſeruit in honorem veſtrum illi operi aeternitate digniſsimo, Eruditiſsimus Tuique Amantiſsimus Doctorum *Coryphaeus*. Non hic noſtros repetam ſermones, ne videar Te in os velle laudare, Vir Illuſtriſsime; Quod a Batavis quam ſit alienum, ex *Eraſmi Adagiis* in voce *Auris Batava* cognoſci poteſt, & Tu, Vir ſumme, optime noſti. Sed etſi ab omni adulatione ſum alienus, debetur tamen virtuti, & meritis ſuus Honos; unde cum Erudito *Magnavacca* in ſumma meae felicitatis parte reponat inter Tuos Amicos cenſeri, noſtraque Tibi devota officia, cum illis Illuſtriſs. Comitis *Hieronymi Boſelli*, qui mihi ſuam explicationem *Lapidis Aureliani* (1) dono dedit, ſimul offero. Vale, Vir Illuſtriſsime, vive feliciter, & me amare perge. Dabam Bononiae V. Idus Auguſti 1695.

EPI-

1 *Hieron. Boſelli de Aureliano Lapide ſuo nuper luci reſtituto, & ſubannexo M. Latinio Illuſtrationes hiſtoricae*, *Bononiae* 1692. 4.

EPISTOLA III.

NEſcio, quo fato accidat, ut id, quod vehementer deſidero de die, in diem differatur, & quod multae itineri meo interveniant remorae; quae me Tuo exoptatiſsimo, Vir Illuſtriſsime, privent aſpectu; ſed cum id quod differtur non auferatur, ultra quatuor vel quinque dies non amplius commorabor Bononiae; unicum dumtaxat expectans Tabellarium, qui ſive ex Patria Litteras afferat, ſive ſine iis appellat; non me diutius detinebit. Haec ſunt, Vir Eruditiſsime, & mihi multis nominibus colende, quae Tibi in anteceſſum indicanda mei duxi officii, neque ingrata fore confido. R. P. *Cicalam* iam Te Florentiae vidiſſe, & tradidiſſe diſſertatiunculam Illuſtriſs. *Comitis Boſelli* confido. R. P. *Bacchini* iam priſtinae ſaluti reſtitutus eſt; per quatuor enim dies cum illo, & D. *Ramazini* Mutinae ſatis iucunde tempus trivi, Te ſemper veneratur, & ut ſua humillima officia deferrem enixe rogavit. Nobiliſsimus D. *Brumley* Eques Anglicus, qui flagrantiſsime cupit Te videre, has Tibi, Vir Illuſtriſs. tradet litteras, quem ut pro ingenita Tua humanitate complectaris, & recipias benevole, etiam atque etiam rogo. Vale litterarum decus, & me amare non deſine. Dabam Mutinae xv. Kalend. Octobris 1695.

EPISTOLA IV.

HVmaniſsima Tua Epiſtola ab Reverendiſs. Patre *Noris* mihi reddita fuit, cuius beneficio Vaticana Bibliotheca bis a me iam inſpecta eſt, quae mirum in modum placuit tam ob Edificii ſtructuraeque elegantiam multis & eximiis Picturis exornatam, quam ob Manuſcriptorum Codicum multitudinem, quorum tamen ſola contemplatione contentus eſſe debui, cum nemini, niſi ex Summi Pontificis gratia, & quidem, uti hic loqui mos eſt, *ſpeciali*, uſus eorum, & deſcribendi facultas concedatur. Romae quotidie Antiquitates, Eccleſias, Statuas, Columnas, Obeliſcos, & alia admiranda Romanorum opera, quae veteris Vrbis magnitudinem abunde teſtantur, perluſtro. Vtinam Barbari tot inſignibus Principis Populi monumentis pepercilſent, quorum nunc niſi rudera ſuperſunt. Sed hanc iacturam ſatis ſuperque Pontificum Romanorum ſplendida munificentia ſupplere poteſt, qui a tribus retro ſaeculis tot novas Eccleſias extruxerunt, & veteres reaedificarunt, ut nihil addam de Principum Palatiis, aliiſque tam publicis, quam privatis operibus; quae cum Tibi apprime cognita ſint, iis recenſendis taedium non movebo: ſed id ab Te, Vir Illuſtriſsime, enixe petam, ut me Tuorum Clientum numero ſemper adſcriptum habeas, & ignoſcas ſi hiſce brevibus litteris otium Tuum, bono Reipublicae litterariae deſtinatum, interrumpere auſus ſum. Vale Hetruriae decus, & me amare non deſine. Dabam Romae pr. Kalend. Novembris Aer. Chriſt. 1695.

Vtor

Vtor hic valetudine parum proſpera; unde ad ſingula Tuae Epiſtolae capita reſpondere non licet: defungar proximis eo officio.

EPISTOLA V.

NEſcio quo fato acciderit, Vir Illuſtriſsime, quod litterae, quas Tibi mihique Amiciſsimus D. *Giſbertus Cuperus* Daventria ad me ſcripſit, & quibus haec ad Te Epiſtola inſerta erat, non niſi heri Romae mihi traditae ſint. Credo id accidiſſe; quia Bononiae, quo directae erant poſt diſceſſum meum appulerint; quibus ne diutius careas, ſtatim ad Te tranſmittendas curavi; enixe ad Te petens, Vir Illuſtriſsime, ut totam huius morae culpam in tabellarios, eorumque negligentiam transferas. Romae apud omnes Bibliopolas inquiſivi, an poſſem detegere illum, ad quem Clariſs. *Graevius* faſciculum Tibi deſtinatum per *VVaesbergios* miſit; ſed omnes negant ſibi cum illo commercium intercedere; ita ut ſummopere verear, ne perditus, vel Tibi dolo malo ſurreptus ſit. Si nomen Bibliopolae Romani mihi eſſet cognitum, maiori cum cura omnes animi mei nervos intenderem ad illum detegendum. Poteris data occaſione haec Cl. *Graevio* indicare. quemadmodum etiam mei officii eſſe putavi Te nomine Nob. iſtius Angli, qui Orationem funebrem *Mariae Stuartae* Magnae Britanniae Reginae (1) ad Te curavit, & hic

1 *Io. Georgii Graevii Oratio in Obitum Mariae Magnae Britanniae Galliarum & Hiberniae Reginae. Traiecti ad Rhenum* 1695. in f.

Romae commoratur, quam officioſiſsime ſalutare. Quindecim ſunt dies, quod hinc Liburnum ſeſe contulit, alius iſtius Nationis Nobilis, D. *Petrus VVitcomb*, qui maximo Te videndi deſiderio flagrabat, cui ad Te Epiſtolam tradidi, quam non dubito illum recte curaſſe. Vir eſt doctiſsimus, curioſus, & Antiquitatum Occidentalium ſumma cognitione praeditus: quaeſo, Vir Illuſtriſsime, mihi mandes an illam receperis, & an per Florentiam tranſierit; nam multum illius humanitati debeo, & Venetias ad eum libentiſsime ſcriberem. Si Tibi non eſſet incommodum, precor, Vir Illuſtriſsime, ut meo nomine convenias Mercatorem D. *Franciſcum Perrini*, eumque interroges, an Arcam illam libris refertam ad noſtrae Nationis Conſulem D. *Carolum Calchbernerum* tranſmiſerit, nam nullum ab eo, quamvis binas ad illum litteras ſcripſi, tuli reſponſum: etiam ſummopere deſidero cognoſcere, an illic in Liburnico Portu Naves Bellicae Anglicae, & Hollandicae commorentur, & quando diſceſſurae ſint, ut poſſem data occaſione quaedam in patriam deſtinare. Eruditiſs. Patrem *Noris* a Summo Pontifice Purpuratis Praeſulibus eſſe adſcriptum, & Cardinalis iam Eminentiſsimo titulo florere, Tibi cognitum erit. Omnes Eruditi ampliſsima ſummi illius Viri merita tam praeclaro honore digniſsima cenſent, & illis debita. Sed ne Te hac longa verboſaque Epiſtola diutius detineam, hiſce finem imponam, & Te plurimum valere, & doctiſsimo D. *Bleek*, ad quem proximis ſcribam meo nomine multam ſalutem annunciare precabor. Dabam Romae 17. Decembr. 1695.

EPI-

EPISTOLA VI.

EX eo tempore quo hic Romae commoratus fui, ternas a Te, Vir Illuſtriſsime, litteras accepi, & ad ſingulas reſpondi, ex quibus non niſi unam Te recepiſſe ex ultimis Tuis ſcriptis XVII. huius menſis, & hodie a me receptis percipio. Quamvis nihil continebant dignum exactiſsima Tua cognitione, adeoque earum iactura facile tolerari poſsit; tamen doleo Te non vidiſſe D. *VVitcomb* Nobiliſsimum, & doctiſsimum Anglum, qui cum Conſtantinopoli longo tempore commoratus ſit, multa curioſa de illis regionibus Tibi indicare potuiſſet. Precor mandes an Te viderit, meamque Epiſtolam recte curaverit; nam cum adhuc Venetiis commoretur, brevi ad illum ſcribam. De ſtudiis nihil addo, litteris enim in Hollandiam ſcribendis ſum occupatus. Proximas meaſque omnes litteras mittam per Florentinum nuncium, quamvis nec ille ſatis diligens ſit, ut ex receptione Tuarum poteris cognoſcere. Ad Reverendiſs. Patrem *Bacchinum* duas Epiſtolas ſcripſi, ſed nullum reſponſum tuli: gaudeo tamen illum, & D. *Ramazzini* optime valere: quaeſo expiſceris an meas receperit. Vale, Etruriae magnum decus, & me amare non deſine. Dabam Romae v. Kal. Februarii An. Aer. Chriſt. 1696.

Pe-

PEtrus Hotton Gothofr. *Fil. Vir doctiſs. cuius Epiſtolas ſubnectimus Amſtelodami natus eſt A.* 1648. *Medicinae Doctor renunciatus*, *Horto Medico Patrio Praefectus fuit; deinde vero ad Medicinae & Botanices Profeſſionem in Academia Lugduno-Batava promotus*, *obiit An.* 1709.

PETRI HOTTONII

EPISTOLAE AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Praeclariſſime Vir.

CVm tantam Tibi famam apud omnes qui doctrinarum ſtudia pertractant pridem confeceris, noli mirari me, qui & in iis nomen meum profiteor, tametſi Tibi ignotum, ſummo Te honore ac veneratione proſequi. Cum vero uberem, lateque fuſam eruditionem Tuam mirentur omnes, tum in primis ſtupemus ad immenſam illam, quam Tibi nactus es Librorum, univerſaeque Librariae, & eruditae ſupellectilis notitiam. Quorum amore cum tantopere capiaris & Libri, qui in regionibus ciſalpinis publicantur, ſerius referri ad Vos ſoleant, hoc in primis belli tempori; nolui mihi

hi, quae ſeſe offerebat, elabi occaſionem mittendi I. *Raii Methodum Rei Herbariae*, olim quidem editam, ſed hoc anno rurſus publicatam, atque ita interpolatam, ut novum opus cenſeri poſſit. Eam accipies a Cl. *Tillio* (1), qui Piſis Rem Herbariam docet, exeunte Maio ſi recte coniecter. Inſigni operi levidenſem opellam adieci, ſermonem nempe quendam meum Academicum (2), quo Doctrinae Herbariae fata, ſed leviori plane, quod dicitur, brachio, conatus ſum proſequi. Argumentum digniſſimum quod diligentius excolatur, hoc in primis tempore, quo Herbariae deliciae omnibus cordi ſunt. At quis hoc praeſtare aeque ac Tu poterit? Quod ſi & velis, Bibliothecamque Botanicam poſt *Bumaldum* ſive *Montalbanum* (3) publico dare, impenſe gratulabimur nobis omnes qui Herbariis ſacris operamur. Quin & univerſae Reipublicae Litterariae erit id lon-

1 *Michael Ang. Tillius* e Caſtro Flor. in Piſano Athenaeo ſimplicium Lector Ordinarius & Horti Medici Cuſtos, cuius elogium olim inſeruimus *Novis Litterariis* Florentiae editis An. 1740 pag. 325.

2 *Petri Hotton Amſtelodamenſis ſermo Academicus, quo Rei Herbariae Hiſtoria & fata adumbrantur, publicae habitus 7. Id. Maii 1695. quum inaugураretur ad Medicinae & Botanices Profeſſionem in Academia Lugduno-Batava iterando capeſſendam. Lugduni Batavorum apud Elzevier* 1695. in 4.

3 *Ovidii Montalbani, ſub nomine Io: Ant. Bumaldi, Bibliotheca Botanica, ſeu Herbariſtarum Scriptorum promota ſynodia, cui acceſſit individualis Graminum omnium ab Auctoribus obſervatorum* nu-

longe gratiſſimum, atque utiliſſimum. Mittam, ſi ita viſum, Inſcriptiones Librorum rariorum huius argumenti, quos coniectari licebit a Te forte viſos non fuiſse, iiſque addam, qui mihi noti ſunt, hactenus ineditos: porro & viam rationemque exponam, qua videtur hoc argumentum non incommode tractari poſſe. Tu modo ſcribe; at ea de re Tu ipſe optime arbitraberis. Quantum debeamus Medici *Laurentio Bellini* Viro ſummo ſatis intelligimus; quam vellem immortalibus ſcriptis Artem noſtram porro locupletarit!

Nova quaedam Litteraria ad Te ſcribere parabam, ſed avolante Tabellario non licuit. Vale.

Lugd. Bat. 29. Martii 1703.

Tui Obſervantiſſimus
P. Hotton Med. & Botanices
in Acad. Lugd. Prof.

EPISTOLA II.

Magna me perfuſum laetitia ſenſi, cum Literas Tuas 9. Octobris exaratas mihi traderet noſter *Iacobus Gronovius*, tum quod ex

numeroſiſſima nomenclatura. *Bononiae typis Hier. Benatii* 1657. in 24. Propoſitum autem *Hottonii* de conficiendo Catalogo Scriptorum Rei Herbariae, egregie nuper, ſummaque cum laude implevit Vir Cl. *Io: Franc. Seguierius* Nemauſenſis edita ſplendidiſſima ſua *Bibliotheca Botanica Hagae Comitum* 1740. in 4.

ex iis non ingratum fuiſſe Tibi, quod auctore non conſcio miſeriam praeclariſſimi *Raii* inſigne opuſculum, levidenſemque additam opellam, intellexerim; tum quod nova quaedam Medica mihi gratiſſima ex iis didicerim. At hoc magnopere doleo intercidiſſe, quas video Te pridem ad me dediſſe litteras. Coniectari licet idem fatum accidiſſe iis, quas 25. Martii 1703. ad Te dedi, Excellentiſſimi D. *Froſini* curae commendatas: in iis obſequia mea Tibi deferebam, Teque cohortabar ad publicandam *Bibliothecam Botanicam* poſt *Montalbanum*, quem non ignoras ſub *Bumaldi* nomine latere. Paulo quidem id liberius mihi tamen ſumpſi, qui incredibili iſtiuſmodi operis deſiderio teneor, quod neminem norim qui id exequi aeque ac Tu poſſet, qui ipſe es Βιβλιοθήκη ἔμψυχος. Quid enim? credis ne Te mihi litterarum amantiſſimo ignotum eſſe, quem nemo eſt paulo humanior, qui non novit? cuiuſque laudes tam ſaepe audivi impenſe praedicantem Amicorum quondam optimum veterrimumque *Ioannem Georgium Graevium*? Quod ſi eiuſmodi laborem non detrectes in Te ſuſcipere, cum omnes litterarum Amantes Tibi obſtringes, tum eos ſigillatim qui Herbariis ſtudiis ſe addixere, de quibus olim in veſtra Etruria tam pulchre meruit *Andreas Caeſalpinus* non ſolo hoc nomine clarus.

Atque haec vel potiſſima erat ad Te ſcribendi cauſa mittendique nullius plane pretii ſermonem, in quo nempe ſimilem argumentum leviſſime perſtringitur. In eo praetermiſſum fuiſſe *Marcellum Vergilium*, qui *Dioſcoridem* latine eſt interpretatus, incuria mea factum eſt. At in eiuſmodi commentationibus

non

non omnem adhiberi curam ſatis intelligis, *Hermolai Barbari Corollaria in Dioſcoridem* pridem mihi cognita ac viſa; ſed eius verſionem a compluribus laudatam vidi nunquam. Quocirca gratiſſimum feceris, ſi huius libri inſcriptionem paulo pleniorem, additis tempore & loco, quibus editus, mecum communices. Quin multa Tibi ſint nota ἀνέκδοτα in hoc ſtadii genere, aeque ac in quovis alio, ut & rariora tametſi edita, non dubito. Libros noviſſime editos ex adiectis Catalogis cognoſces. Vale, Vir magne, meque inter eos cenſe, qui Te ſummo honore proſequuntur.

P. S. *Tollius* velim ex Te intelligat, ubi occaſio erit, me eius cum maxime memorem vivere.

Lugd. Batavorum 2. Decembris 1709.

PEtrus Burmannus Franciſci *Theol. Prof. Vltraiectini Fil. Vir eruditiſſimus*, *&* *Litterariis laboribus ſatis notus*, Graevii *diſcipulus & ſucceſſor fuit in Profeſſione Hiſtoriae*, *Eloquentiae*, *Linguae Graecae*, *&* *Poetices in Academia Lugduno Batava*, *Bibliothecae Publicae Praefectus*, *&* *Foederatorum Belgii Ordinum Hiſtoricus*; *obiitque die* 21. *Martii* 1741. *Ex Epiſtolis quas ad* Magliabechium *ſcripſit*, *plures neſcio quomodo periere*: *ſuperſtites elegantiſſimas edimus*, *in quibus agit potiſſimum de conatibus ſuis ad emendationem* Petronii, Ovidii, *&* Valerii Flacci. *V. quae de ipſo ſcripſerunt* Cuperus, Heinſius, *&* Graevius *in T.* 1. *huius noſtrae Sylloges pag.* 36. 76. 139. 308. *&* 327.

PETRI BVRMANNI EPISTOLAE AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Illuſtriſſimo & Eximio Viro

ANTONIO MAGLIABECHIO

Literarum & Literatorum ſummo decori

S. P. D.

PETRVS BVRMANNVS.

Diutius aequo literarum commercium inter nos ceſſavit, cuius negligentiae ego ſolus culpam ſuſtineo, cum ſuaviſſimis Tuis literis quas ad me proxime exaraſti nihil repoſuerim; neque quo hoc peccatum expiem reperio, niſi ad ſingularem Tuam humanitatem & benignitatem confugiam, emendaturumque me promittam. Praecipua autem ſilentii cauſa fuit,

quod hac belli tempeſtate, quae per totam Europam graſſatur, rariores ſint qui peregrinationes ſuſcipiant, quibus & Literae, et ſi quid novorum libellorum hic terrarum exeat, committi poſſit. Praeterea nihil fere, quod oculis Tuis dignum ſit, typis excuditur, cum Typographi turbatis ita rebus, impenſas aliquas in rem literariam facere non audeant; denique quicquid adhuc praelis deſcriptum, hic cernitur, novitatis gratia vix placere poteſt, cum fere omnia recudantur, quae iam ante publicata avide fuere divendita, vel a ſemidoctis quibusdam emittantur libri ex aliis compilati, qui magnificis titulis emptoribus imponunt. Ipſe autem nihil a longo tempore elaboravi, quod quidem non ſuo pretio, ſed favore Tuo, & ſtudio quo me complecteris forſan placere poſſet; cum quia magis magiſque a ſcribendo alienus fieri incipiam; tum quia poſt mortem Celeberrimi *Graevii* labores publici ita aucti, & aggravati fuerunt, ut vix cogitandi de conſcribendis libris tempus mihi ſit reliquum. Non potui tamen effugere, quin his diebus in me ſuſciperem novam *Petronii* editionem curandam; quia tres quatuorve Typographi ita me fatigarent, & minarentur hanc provinciam ſe ad quosdam translaturos, qui neque de publico aliquid mereri poterant, & eruditis tantum ſtomachum movere apti erant; ſed maxime me permovit, quod poſſiderem egregias *Adnotationes* Viri principis olim in literis noſtris *Nicolai Heinſii* (1), quibus infinita in hoc Auctore loca, & prae-

1 V. *Caperi* Epiſt. XLV. ad *Magl.* a nobis editam in T. I. huius Sylloges pag. 125.

& praeſertim in *Fragmento* illo *Traguriano* nova luce illuſtravit, quae ne perirent, haec optima videbatur mihi occaſio. Quare ſi inſtitutum meum Tibi placeat, quaeſo, ſi quid habes ad novam hanc editionem, quae & ampla forma, & elegantibus typis commendabitur, ornandam, ſubminiſtra benevole, ut ſoles ſemper conatus eorum, qui Remp. Literariam adiuvant, promovere. In primis gratum foret, ſi primam *Fragmenti* iſtius editionem Patavinam nanciſci poſſem; cum Pariſienſem anni 1664. & Amſtelaedamenſem 1670. ſolas habeam. Praeterea a Te diſcere cuperem, qui nam *Marinus* ille *Galileius* (1) fuerit, qui Fragmentum illud contra *Valeſios* vindicavit, an, ut quoſdam cenſere video, Abbas *Gradius*, an P. *Petitius*, an quis alius fuerit? Deinde ignoro quoque quis *Ioannes Capis Filebomenus* fuerit, cuius coniecturae quaedam in hoc Fragmentum extent. Dubito etiam annon in Italia circa illud tempus, quo Viri docti de hoc Fragmento diffidebant, prodierint quidam libelli, qui vel ad nos perlati non fuerunt, vel certe mihi nuſquam conſpecti fuere. Si in his, Vir Ill. vel aliis, quae in melius mihi ad propoſitum hoc exequendum conducere noviſti, aliquam opem ferre poteris, & me, & omnem Remp. Liter. magno beneficio devincies. Has autem literas, una cum coniunctiſſimi Collegae *Relandi* opuſculis quibuſdam ad Te deferent Generoſis. Iuvenes Angli D. *Lumlei*, & *Smith*, quos ut

T 2 ſa-

1 *Statilius* non *Galileius*. V. Epiſt. *L. Theod. Gronovii* ſuperius editas.

ſavori Tuo, & benevolentiae commendem, nihil certe opus eſt, cum tam prolixa Tua in omnes ſit humanitas, praecipue exteros, ut nemo ad nos redeat, quin eam ita depraedicet, vel hoc nomine Itineris Italici illis memoria ſemper ſit dulciſſima. Vale Vir Ill., & me amare perge. Traiecti Batav. a d. XXIV. Aug. 1706.

EPISTOLA II.

VT ſemper mihi acceptiſſimae ſunt a Te profectae Litterae; ita tres illae, quas nuper ad me dediſti, fuere longe gratiſſimae, quia in iis exoſculabar & adorabam ſuper omnes laudes poſitam inſignem illam Tuam humanitatem, & officioſiſſimum ſtudium, quo adiuvare eniteris eos, qui aliquid ad iuvanda literarum ſtudia conferre volunt: ſed praeter omnem ſpem, & expectationem me demeritus es, dum mihi Eruditiſſ. Viri *Fontanini*(1) ami-

1 *Iuſtus Fontaninius* in Epiſt. ad *Magliab.* d Romae 19. Febr. 1707. ait: *In quanto alle coſe ricercate dal* Burmanno, *le riſponderò più preſto che potrò. Io ho avuto in mano l'Originale* Traguriense. *Alcuni ordinari ſono ſcriſſi qualche coſa in queſta materia al* Relando. In alia d. 12. Martii 1707. *Ho ſcritto una lunga lettera al Sig.* Burmanno, *la quale ſe non diſpiacerà a VS. Ill. potrà Ella mandarla al Sig.* Burmanno *con ſicurezza, perchè mi diſpiacerebbe di averla a rifare. Me ne dirà il ſuo parere, eſſendo per altro ſcrit-*

amicitiam concilias; cuius ego Viri doctrinam, & inſignes ingenii & animi dotes, non a *Relando* modo noſtro, ſed a plurimis qui Italiam peragrarunt, dudum praedicari audiveram. Quare ut me porro illi commendes, & mea ſtudia ipſi deferas oro & obſecro. Tibi vero iam tot nominibus ſum devinctus, ut omnia circumſpicienti, nulla ratio appareat, quae me aere hoc alieno expediat: una me explicandi ſpes ſupereſt in Tua humanitate, ſi animum memorem & gratum Tibi ſufficere exiſtimes, & pronunties.

Valde autem opportune ad me tranſmiſſum eſt a Te Patavinae editionis *Fragmentum*, cuius contemplatio non modo mihi iucunda, ſed & utilis quotidie eſt, in recenſendo Auctore meo, cuius editio pulchre procedit, & iam ad ipſam *Coenam Trimalchionis* eſt producta. Spero me hanc ita curaturum, ut qui hac uti velit, facile reliquis carere in poſterum poſſit: congeram enim in hanc omnia, quibus ſingulae ſe olim commendabant; & praeterea ipſi, pro modo doctrinae noſtrae, aliquid novi ornamenti apponere conabimur.

ſcritta con fretta, per mantener la parola di mandargliela queſta ſera, come fo. Rimando la Lettera dello ſteſſo Sig. Burmanno, *e quella del* Baile *con l' Elogio del* Menchenio *doppo avere il tutto fatto vedere agli amici*. Rurſus alia d. 22. Sept. 1708. *Io certamente non ho avuta alcuna Lettera del Sig.* Burmanno, *dopo che gli mandai la Lettera dell'* Aleandro *ſopra alcuni luoghi di* Petronio. Tandem in alia d. 7. Iunii 1710. *Godo infinitamente d' intendere che abbia ricevuto il* Petronio.

Quod gaudeas Tibi ex Praefatione Cl. *Gronovii* in *Gellium* de noſtra amicitia conſtare, mirum mihi accidit, quaſi id rarum, & inſolitum Tibi obvenerit quemquam hic terrarum eſſe, quem ille Vir laudare, & a quo amari ſoleat. Immo vero ego ſemper eius ſtudia & doctrinam maximi feci, & olim etiam cum Lugduni agerem, eius ſcholis interfui, neque ullam unquam de me querendi ipſi cauſam praebui. Ingenium vero eius aliquantulum aſperius, de quo aliqui queruntur, ad meum Tribunal, qui aetate, & eruditione multo inferior ſum, exigendum eſſe numquam putavi; & quamvis in nupera eius *Phaedri* editione, me, qui primum tyrocinium in eo Auctore depoſueram, obliqua oratione bis terve perſtringi immerito vidiſſem, malui haec diſſimulare, quam exteris male de adoleſcentia mea exiſtimandi cauſſam dare. Acceſſit nuper aliqua inter familias noſtras neceſsitudo, cum eius filiam duxerit Fratris mei Filius, ita ut nobis omnia amicitiae & familiaritatis officia ſatis conſtent.

Novi hic nihil fere agitur, cum fervente peſtifero illo, & immani bello frigeant ſtudiorum meditationes. *Gruteri Corpus* cuius cura primo *Graevio*, poſt mihi incubuit, iam intra menſem prodibit. *Strabo* cum *Caſauboni*, & aliorum notis, induſtria *Almeloveenii* in publicum exiit. Idem tertiam *Caſaubonianarum Epiſtolarum* editionem in maxima forma curat, quae Roterodami iam incohata eſt. *Relandus* noſter ſecundum *Diſſertationum ſuarum* Tomum emiſit, & occaſionem modo ad Te mittendi expectat.

Lit-

Litteras *Fontanino* inſcriptas, & apertas his adiunxi, tum ut Ipſe arbiter eſſes primi inter nos colloquii, quod Te auctore inſtitutum eſt; tum quia errare in Titulis, quibus ornandus eſſet Vir inſignis, nollem. Quare peto, ut ſi quid ad me iterum literarum dare velis, indices quam Romae perſonam gerat, & quo nomine ſit compellandus. Vale decus noſtrum. Traiecti Batavor. a d. VII. Maii 1707.

EPISTOLA III.

Commodiſsima cum ſe mihi offerat occaſio *Petronium* modo excuſum (1), & qui nondum a Typorum calore refrixit mittendi per praeſtantiſsimum D. *Forreſterum*, quem iam antea Te ſalutaſſe puto, nolui officio meo deeſſe. Gratum Tibi futurum munus nullus dubito, qui etiam tenuiorum in Literaria Rep. conatus laudare, & omni modo accendere ſoles. Quid praeſtiterim in hoc Auctore illuſtrando, Tu optime omnium, qui procul ab omni errore ſemper fuiſti, aeſtimabis. Si porro in mei gratiam aliquid conferre poſſes ad *Catalecta Veterum Poetarum* locupletanda, gratiſsimum id mihi accideret; neque dubito quin in Italia ex Bibliothecis, & aliis priſci

1 *T. Petronii Arbitri quae ſuperſunt cum integris Doctorum Virorum Commentariis, notiſque ſelectis aliorum &c. curante Petro Burmanno. Traiecti ad Rhenum* 1709.

aevi reliquiis multa adhuc inedita Epigrammata colligi poſſent, quae mererentur produci: quae ſi Tua opera, & ſtudio perferentur, efficerem ut Orbis Literatus merita Tua agnoſceret.

In ſcriniis *Heinſianis* repperi *Panegyricum Carmen dictum Berengario Aniceto Caeſari*, cuius prologus incipit.

Non Hederam ſperare vales Laurumve libelle &c.

Ipſum vero carmen

Graecia quaeſitis cecinit ſi Regna loquelis &c.

Sed deficitur fine, & puto *Heinſium* integrum habuiſſe, & folia aliquot, neſcio quo caſu, deperdita. Si me docere poſſes, an alicubi exſtaret vel typis deſcriptum, quod non puto, vel manu exaratum, me magno beneficio devinceres.

Dubito vero an non *Ovidio* iam manus ſim adhibiturus, & *Curas Heinſianas ſecundas*, quae prioribus duplo fere auctiores ſunt, producturus; ſed immenſus, quem praevideo, labor deſcribendi ex liturariis, & ſchedis *Heinſii* omnia, fere me deterret: conabor tamen, modo otium adſit, illud efficere. Sed ante omnia exoptarem copiam mihi fieri duorum librorum, quos reperire adhuc, quicquid operae inſumſi, nequivi. In *Geſneri Bibliotheca* legi exſtare *Caroli Viviani Annotationes in Lectionem Ovidii Librorum Metamorphoſis, & de Arte Amandi impreſſas Florentiae*, quas numquam vidi, & puto me iam olim de illo libro Te conſuluiſſe, an ulla ſpes foret eum conſequendi. Alter eſt: *Meziriaci notas in Epiſtolas* He-

Heroidum continens, qui in Gallia editus, & rariſsimus hic terrarum omnibus eſt ignobilis. Quare ſummo a Te opere peto, ut videas num deſiderio meo per Te poſsit ſatisfieri. In *Valerium* quoque *Flaccum* commentarium iam abſolvi, ne tamen edam faciunt tot adhuc loca corruptiſsima, ex quibus me expedire nequeo, & de quibus amplius eſt cogitandum. Nonne vero poſset via aliqua inveniri, qua *Iani Parrhaſii Commentarii*, quos Neapoli in Monaſterio *S. Ioannis Carbonarii* adſervari docuit *Heinſius* ad lib. 1. verſ. 1. iſtius Poetae, poſſent obtineri, ut ſimul cum orbe erudito communicentur. Tu vero unicus es, qui talia nobis praeſtare poſses; Te enim, quod Deus longo adhuc tempore avertat, ſublato, ex Italia nihil fere nobis ſperandum video. *Silum Italicum Heinſianis notis illuſtratum* edere quoque conſtitueram, ſed quia his omnibus haud ſufficio, illam provinciam tradidi Eruditiſs Iuveni, qui ex diſciplina mea prodiit, *Arnoldo Drakenborchio*, qui famae ſuae primordia hoc labore eruditis commendare ſtudebit, & aliquid de ſuo addere. Huius conatus ſi adiuvare velles, dignus enim eſt maxime, & variantes quasdam lectiones ex Codicibus MSS. qui apud vos (1), vel Romae ſervantur, ſuppeditare, me quoque tali ingenti merito obſtringeres.

Rot-

1 Inter rariores Codices Bibl. P. Magliab. unum habemus membranaceum in f. complectens *Statii Thebaiden*, ſcriptumque ut praeſefert, *Florentiae in diebus 25. A. D.* MCCCLXXXIV. *completum*

17.

Rotterodami Litteras Humaniores profitetur *Franciſcus Heſſelius*, quem an noveris neſcio, qui *Ennium Columnae notis illuſtratum* nuper recenſuit. Hic nunc novam molitur *Vibii Sequeſtri de Fluminibus* &c. editionem. *Almelovenius Apicium* cum notis *Liſteri* Angli Medici recudi curavit. *Perizonius* Hiſtoriae Belgicae partem a natalibus Caroli V. ad eius mortem contexuit, quae brevi exibit. Praeterea nihil hic novi geri cognovi, quod tua ſcire interſit. Avide ad haec reſponſum Tuum expectabo, ſimulque an valeas, & an ſatis ex ſententia vivas reſciſcam. Vale Vir Ill. Decus & Praeſidium omnium Literatorum. Traiect. Batavor. pridie Kal. Aug. 1709.

EPISTOLA IV.

Nihil fere nunc ad manum eſt, Vir Excell. quod Tibi munuſculum mittam, cum & ipſe nihil ediderim, ex quo *Petronius* meus exierit, niſi leviores quasdam velitationes cum communi Literarum elegantiorum peſte *Clerico* (1), quas etiam iam aliis ad Te perferendas

17. *Septembris*. *Sylvas* autem habemus typis impreſsas *Florentiae apud Sanct. Iacobum de Ripoli* MCCCCLXXX in fol. adiectis ad dimidium uſque libri annotationibus, & variantibus Lectionibus ex antiquo, optimaeque notae Codice MS. deſumptis manu *Hieronymi Benivenii*.

1 Acriter nimium, nec ex merito invehitur in *Io. Clericum* Virum doctiſs. cuius Epiſtolas olim edemus.

das me commiſiſſe arbitror. Implicuit me huic rixae *Graevii* unici mei praeceptoris, & cui omnia debeo, amor, quem a tam indocto, & mercenario ſcriptore infamari poſt funera acriter dolebam. Et quamvis nullum memorabile nomen ex tam ignobili hoſte peto, hoc tamen me Reip Literariae praeſtitiſſe gaudebo, ut in poſterum non tam ferociter in Principes Viros inſiliat, & leonibus aſinus inſultet. Neſcio vero quibus artibus & lenociniis ille conſecutus ſit, ut apud exteros in quadam adhuc ſit exiſtimatione, cum ſi diligenter eius ſcripta literas noſtras interiores ſpectantia (nam Theologicis, & Philoſophicis me non immiſceo, in quibus cavillari, & ſophiſtice agere in aeternum permittitur) excutias, nihil niſi puerile vel furtivum appareat; eiuſque iam rei fidem olim feci edito *Dialogo*, in quo eius furta ex *Stephani Theſauro* expoſui, cui nunc his diebus alterum adiunxi, quem amiciſſimo mihi *Hayo* Med. Doct. Tibi tradendum commiſi, & forte ſequentur alii, quibus nuditas hominis ſtolidi plane detegetur.

De ſtudiorum vero apud nos ſtatu, nihil fere eſt quod nunc magnifice praedicem, cum infauſto hoc belli tempore admodum langueant, ita ut parvi libri, qui literas illuſtrant, prodeant. Cl. *Perizonius Origines Babylonicas*, & *Aegyptiacas* nuper egregie illuſtravit. *Gronovius* in *Herodoto* recenſendo occupatus eſt. *Franciſcus Heſſelius* qui Eloquentiam Roterodami profeſſus nuper eſt, ſed quia in Civitate Mercurio dedita, Palladis ſtudia negligi dolebat, in noſtram Vrbem Lares tran-

ſtu-

ſtulit, *Vibium Sequeſtrum* edidit. *Relandus* noſter tanta contentione in *Geographiam ſacram* illuſtrandam incubuit, ut in infirmitatem, quae omnes fere vires exhauſit, incideret, ita ut a Medicis plane ab omni literarum meditatione abſtinere iuſſus ſit, & licet paullum refectae iam vires videantur, timeo tamen ipſi male, niſi obtemperare amicorum monitis, & a ſtudio illo nimis acri & vehementi animum remittere velit. Ego vero, quamquam ingenti erga literarum ſtudia ardore feror, tanti tamen ea non facio, ut etiam ſanitatem impendere illis velim. Itaque quantum labores publici permittunt, ſubſecivis horis in recenſendo *Ovidio* otium meum colloco; ſed quandiu bellis iſtis internecinis vexamur, ei publicando manum non admovebo, quia moles libri deterret Librarios hoc rerum ſtatu; tribus enim in forma, ut vocant, quarta Tomis eum excudi vellem. Ad eius vero emolumentum maxime pertinere putarem, ſi compos fieri poſsem *Viviani Annotationum in Metamorphoſes*, quas olim Florentiae prodiiſse puto, & de quibus iam etiam quondam ad Te perſcripſi, & quas fruſtra hic terrarum quaeſivi. Si prece, vel pretio eas mihi conſequi liceret, ſummo gaudio me efferrem, & ſi quid praeterea ſubſidii ad rite hanc provinciam adminiſtrandam mihi ſubminiſtrare poſſes, gratum me pro tot officiis agnoſceres. Sed tot Tua iam in me merita conſtant, ut pudor plura flagitare prohibeat. In *Valerium* quoque *Flaccum* plurima parata habeo, ſed tot adhuc corrupta, & obſcura in eo Poeta ſunt loca, ut ſine ope MSS., quos tamen

fru-

ſruſtra forte deſidero, Codicum, nihil moliri audeam. Vide quaeſo, Vir Humaniſs. an quid opis a veſtra Italia ſperari poſsit. Ex *Heinſii* notis didici Neapoli in *Iohannis Carbonarii* Bibliotheca latere ineditas *Iani Parraſii* notas, quas ſi conſequi Tua auctoritate, qua apud omnes ubique Literatos vales, poſsem, efficerem ut in communem utilitatem prodirent. *Ioh. Baptiſtae* quoque *Pii* in *Valerium Flaccum*, & Bononienſis antiquiſsima editio numquam oculis meis uſurpata fuere. Vnde vero tot mihi Theſauros ſperandos? Si nummis conſequi liceret, non parcerem ſumptibus, & ſi vel huic *Hayo*, vel alteri Britanno illos libros quis vendere vellet, grato animo illis impenſas reſtituerem; neque illi pro me hoc onus recuſarent. Ego ſi viciſſim quid Eruditis apud vos officii praeſtare poſsem, efficerem ne meam operam fruſtra deſiderarent. Vale Vir Exc. & me Tui cultorem maximum ama. Traiecti Batavor. Kal. Iuliis 1711.

P. S. Non gravante onus amiciſsimo *Hayo*, mitto Tibi *Eginhartum* cura Diſcipuli quondam mei doctiſsimi iuvenis illuſtratum; eique *Vibium Sequeſtrum* addo comitem: folium quoque illud quod *Petronio* Tuo deerat hic habes.

EPISTOLA V.

Quam Acephalam edimus ſicut in Autogr. invenimus.

**. Praeterea incepi Viri Nobiliſsimi *Nicolai Heinſii* Epiſtolas digerere (1), & quasdam ſeponere, quae ſumma cum voluptate, & utilitate publice legi poſsent. Sed & hic deficit altera pars voti: careo enim pleriſque literis, quas *Heinſius* ante annum ſaeculi praeteriti LXIII ad Viros doctos exaravit: ab eo tempore denuo exempla Literarum duo fecit. Si ergo Tui opera poſsent haberi eius ad *Carolum Datum*, *Offredum*, *Gaudentium*, & alios in Italia Viros Doctos, & ad Te quoque, magno me beneficio devinceres, & efficerem ut Orbis Literatus, Tibi iam tot meritis & officiis obligatus, ſciret cui tantum deberet munus. Vale, Vir Ill., & me amore Tuo non indignum iudica. Traiecti Batav. a d. XIV. Maii 1704.

Da-

1 Eas edidit in T. V. *Sylloges* ſuae *Epiſtolarum Illuſtrium Virorum*.

Daniel Coſſonius *Lugduno Batavus cuius ſuccedunt Epiſtolae, licet nullum ingentis ſui monumentum reliquerit, non mediocrem tamen apud Eruditos laudem promeritus eſt, eo quod plures Aſiae Minoris Antiquitates ſedule perquiſiverit, & cum variis in Europa amicis communicaverit. Dum Conſul Mercatorum Batavorum deſignatus Smyrnam tenderet Florentiae aliquantiſper conſedit, facileque ſe in* Magliabechii *amicitiam inſinuavit. Smyrnam advectus plures ad eum Epiſtolas miſit, eumque de Antiquitatibus a ſe detectis certiorem ſubinde fecit. Ex Inſcriptionibus antiquis, quarum exempla ei tranſmiſit, unam tantummodo reperire licuit latitantem inter* Norilii *Epiſtolas, quam Domino ſuo reſtitutam libenter edo, ea praecipue de cauſa, quod a* Gronovio *praetermiſſa ſit.* Coſſonio *etiam deberi puto Inſcriptiones Graecas de quibus mentionem facit* Cuperus *in Epiſtolis ad* Magliabech. *a nobis editis in Tom. I. huius Sylloges. Coeterum optimi* Coſſonii *Vitam; infandam calamitatem quam perpeſſus eſt ab horrendo Terrae tremore an. 1689. tandem nefariam eius caedem egregie deſcripſit* Iac. Gronovius *(licet viventi non valde faverit, ut patet ex eius Epiſt. ſuperius editis) peculiari libro cui titulum fecit:* Memoria Coſſoniana, hoc eſt Danielis Coſſonii Vita breviter deſcripta, ad Clariſs. & Ampliſs.

Viros Petrum Coſſonium Medicum, & Ioannem Vanden Bergh I. C. cui adexa eſt nova editio Monumenti Ancyrani priore Aug. Buxbequii, & Andr. Schotti emendatior & auctior, cum notis Iacobi Gronovii. Accedunt nonnullae Inſcriptiones ab eodem Coſſonio collectae. Lugd. Bat. apud Fredericum Haaring 1695. *in* 4.

* Danielis *Epiſtol's tres tantummodo* Abrami *eius fratris ſubiecimus, quae ſuperiores illuſtrant*.

DA-

DANIELIS COSSONII EPISTOLAE AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Illuſtriſſimo Sig. Sig. e Padron Colendiſs.

MI ſento indegno d' eſſer di nuovo favorito da V. S. Illuſtriſs. della ſua de' 25. del preſente, per aver infaſtidito per la mia V. S. Illuſtriſs. a maggior ſegno occupata; però la ſupplico a perdonare la mia temerità, aſsicurandola, che non commetterò più queſto fallo.

Hier l' altro ho riverito in nome di V. S. Illuſtriſs. il Sig. *Berkelio*, e diſſuaſo di ſcrivere al Panegiriſta, che fa il Libraro.

Non ſo capire per qual cagione il detto

Sig. *Berkelio* (1) voglia ſcrivere a chi non è ſtimato, ma invidia V. S. Illuſtriſs. per li favori, ch' Ella meritamente riceve da S. A. S. Padron delle rariſsime Librarie. Ringrazio V. S. Illuſtriſs. caldamente, che ſi degni di ſcrivere per le varie lezioni di *Stefano*: tengo queſto ſervizio per accreſcimento del mio obbligo a V. S. Illuſtriſsima. Si ſente nulla del noſtro convoglio, però partirò forſe la ſettimana ſeguente colle navi Ingleſi per Smirna, ma non mancherò di botto avviſare a V. S. Illuſtriſs. il giorno deſtinato alla mia partenza, ed accertarla che ſarò ſempre

Di V. S. Illuſtriſs.

Livorno li 29. Maggio 1674.

Umiliſſ. ed Obbligatiſſ. Serv. vero
Daniel Coſson.

Li Sigg. *Van Vinckel*, e *Dillemans* riveriſcono V. S. Illuſtriſs.

EPISTOLA II.

HO ricevuto la lettera che V. S. Illuſtriſs. mi ha ſcritta, e veduto dall' incluſa, che

1 *Abraham Berkelius* cum quo *Iac. Gronovius* ſimultates geſſit. V quae pluribus locis de ipſo ſcribit in Epiſtolis ad. *Maglıab.* ſuperius editis.

che in Perugia (1) non ſi trova chi intenda la Lingua Greca: queſto è ſegno, che il Manoſcritto ſia nelle mani d' huomini ignorantiſſimi, ed indegni di poſſedere sì prezioſo teſoro: però ſarebbe di biſogno traſportarlo ad altra Libreria, ove ſi trovano Letterati, acciocchè lo ſtudio poſſa godere queſta fortuna di vedere *Stefano* ſcorretto rinaſcere correttiſsimo: ma patienza per forza.

Mi diſpiace haver dato tanto faſtidio a V. S. Illuſtriſs. ed a' Sigg. *Magi*, e *Doni*, però in nome del Sig. *Berckelio* ringrazio V. S. Illuſtriſs. per tutte le diligenze già fatte, ſendo tante dimoſtranze del ſuo affetto alle buone lettere, e l' aſsicuro, che non ſcorderommi mai del Sig. *Antonio Magliabechi* mio Padrone riveritiſsimo, che mi ha favorito della ſua amorevolezza in guiſa, che ho vergogna non poter riſpondere a tanti favori, ed uſcir dell' obligo, mentre che bramo eſſer onorato da' ſuoi comandamenti, ai quali ſarò ſempre diſpoſto. Il tempo piogioſo mi trattiene quà, altrimenti ritornerei per Lucca a Fiorenza per riverire V. S. Illuſtriſs. ed aſsicurarle, che ſon di cuore ec.

Livorno adì 15. Maggio 1675.

Li Sigg. *De la Fontaine*, *Van VVinckel*, e *Dilleman* riveriſcono V. S. Illuſtriſs.

V 2 Avrei

1 Adludit ad Collationem *Stephani* cum antiquo Cod. MS. Bibliothecae Abbatiae Peruſinae, quam *Berkelius* flagitabat. Confer quae *Iac. Gronovius* circa haec tempora ad *Magliabechium* ſcripſit.

Avrei caro, ſe piaceſſe a V. S. Illuſtriſs. avviſarmi, ſe il *Vocabolario dell' Academia della Cruſca* è riſtampato, anch' il titolo di queſto Libro delle Sentenze Toſcane, nella Libraria di S. A S. tradotte in Lingua Greca, e Latina, che V. S. Illuſtriſs. mi ha moſtrato.

EPISTOLA III.

MI trovo onorato per la deſideratiſsima di V. S Illuſtriſs. de' 18. del preſente, colma d' amorevolezza, e che mi ha reſo tutto confuſo per veder che V. S. Illuſtriſs. m' attribuiſca lodi, che non ſono le mie, ma le ſue proprie; però potrei con più giuſta raggione, e verità aſcriverle a V. S. Illuſtriſsima, ſe non la ſua modeſtia mi faceſſe paſſar ſotto ſilenzio tutte le doti, che poſsiede il ſuo incomparabil genio.

Ho ricevuto hieri una Lettera dal Sig. *Berkelio*, che riveriſce V. S. Illuſtriſs. e ſi duole molto del Sig. *Gronovio*, che nega haver la lettera, che V. S. Illuſtriſsima ſi è degnata di ſcrivere al predetto Sig. *Berkelio* tutto ſconſolato per vederſi privo de' voſtri favori tanto da ſe deſiderati. Veda V. S. Illuſtriſs. che mala beſtia ſia l' invidia. Il Sig. *Berkelio*, ſe il *Gronovio* non rende la lettera, ſcriverà lo ſteſſo a V. S. Illuſtriſs. e le manderà col convoglio li Libri, i quali ha dati alla luce: vuole anche ſcrivere al-

al Sig. *Dati* per haver corriſpondenza col detto Signore.

Se piace a V. S. Illuſtriſs. ſcrivere di nuovo al Sig. *Berkelio*, mi mandi la lettera, e darolle fido ricapito.

Il Sig. *Gaesbechio* ſtampatore dello *Stephano* m' avviſa, che la ſtampa ſarà finità queſt' anno, però prego V. S. Illuſtriſs. per benefizio delle lettere, che ſi continui di far tutte le diligenze poſsibili per collazionare il Manoſcritto, acciocchè il Sig. *Gronovio* reſti burlato. Ricevendo queſta grazia ſarò eternamente obligato a V. S. Illuſtriſs. Mi diſpiace ſolamente, che per la etate, e qualche negozi d' importanza non poſso andar da me a Perugia, coſtretto di non allontanarmi da queſta Città, che fin a Firenza. Non credo, che i Padri concederebbero traſportare il Manoſcritto in Firenza per far la collazione, e dappoi rimandarlo, però deſpero affatto.

Ho letto il *Panegirico* del Sig. *Dati* (1) che è ſtato di molte coſe male informato, principalmente di Ginevra, Doncherche, Oranges, e delle rendite reſtituite in Olanda alla Sacra Geroſolimitana Milizia ec. e per eſſer benefiziato dal Re di Francia è troppo paſsionato, benchè al fine del Panegirico nelle Cenſure è nominato Oratore ingenuo, e ſpaſsionato.

Lunedì ſon ſtato in corſo colla nuova Galera di S. A. S. comandata dal Sig. Ca-

1 *Carlo Dati Panegirico a Luigi XIV. Re di Francia. Firenze* 1699. in 4.

pitano *Lanfranchi* Cavalliere garbatiſsimo, che mi ha favorito dell' onore di ſua compagnia, come anche della preſenza del Sig. *Zunzifanti* Cavalliere di Malta, Signore di gran talento: ſtupiſco quando mi ricordo della loro compitezza verſo un foreſtiero di sì poco merito, e non conoſciuto da quei Signori; ma queſto è ſegno che loro ſono Miniſtri non degeneranti dal Padron Sereniſſimo, unico ſtimatore della nazione ſtraniera. Con che facendo fine aſpetto l' onore de' ſuoi comandamenti, mentre mi glorio eſſer ſempre ec.

Livorno li 22. Maggio 1675.

Di grazia, Padron mio cariſsimo, mandatemi l' Inſcrizione trovata in Porto Ferraro.

Quì s' intende nulla della negoziazione di Monſieur di *Gaumont* Inviato del Re di Francia verſo la S. A. S.

Il Sig. *Gronovio* è partito colle ſue Sorelle, e Fratello per Daventria: di nuovo riveriſco V.S. Illuſtriſs.

EPISTOLA IV.

Latore della preſente ſarà (coll' aiuto di Dio) il Sig. Adriano *Groeninx*, amico mio ſingolariſsimo, imbarcandoſi per tornarſene, doppo tredici anni che ſi è trattenuto quà, alla Patria amatiſsima per via di Livorno colla nave Ingleſe, *Brettagna*,

che

che partirà colle Patenti nette, mentre che per la grazia di Dio ſi ſente nulla del mal contagioſo, nientedimeno tutti che vengono da Levante, ſendo ſoggetti alla prattica del Lazaretto, il detto Sig. *Groeninx* teme con ragione, che non potrà continuare il ſuo viaggio verſo Firenze per riverire umilmente V. S Illuſtriſs. in nome mio, e vedere le coſe ſuperbe di queſta Città, ſenza far la quarantena; però alla ſua inſtanza non hò potuto mancare d' infaſtidire V. S. Illuſtriſs. col ſupplicarla, che le piaccia favorire il ſudetto Signore in tutto quello che potrebbe ſervire per liberarlo in pochi giorni dal Lazaretto, confidandomi alla gentilezza di V. S. Illuſtriſs. ho certiſsima ſperanza, che ſi degnerà di fare tutto quello, che ſarà poſsibile, acciocchè queſto Signore reſti conſolato: ricevendo da V. S. Illuſtriſsima queſto favore, lo ſtimerò per fatto a me ſteſso; aſsicurandola, che ſon ſempre diſpoſto a' ſuoi da me bramatiſsimi comandamenti.

Dal Sig. *Giacopo De la Fontaine* ho lettera de' 2. di Decembre, avviſandomi di eſſere ſtato qualche giorni in Firenze da V. S. Illuſtriſs. che godeva ottima ſanità, e non ſi era ſcordata di me, mentre che il detto Signore mi ha riverito in nome di V. S. Illuſtriſs. Oh quanto ſono indegno di tanti onori, che mi rendono giornalmente confuſo! Quanto mi rallegro ſentendo, che la Sereniſs. Republica di Venezia per lettera compitiſsima abbia offerti tremila Ducati al Signor *Gronovio* per abitare in Pado-

va (1) ſi vede al diſpetto de' dottiſsimi Piſani, che ſi fa più ſtima del *Gronovio* in altri luoghi. Farò fine per non tediarla di vantaggio coll' accertare, che ſono eternamente ec.

Smirne li 22. di Febr. 1677.

Riveriſco li Padri *Noris*, e *Baronio*, e tutti li Letterati.

EPISTOLA V.

AL Sig. Adriano *Groeninx* (amico mio ſingolariſsimo) tornando in Olanda per via di Livorno ho conſegnato l' ultima mia de' 23. di Febraio indrizzata a V. S. Illuſtriſs. dopo ricevo la ſua corteſiſsima Lettera de' 5. d' Ottobre colma di ſegni d' affezione verſo di me, ed empita di novità letterarie; per l' affetto di V. S. Illuſtriſs. a tal favore reſto obbligatiſsimo, e la continuazione mi ſarà ſempre gratiſsima. Non occorrendo quà materia, che ſia degna di ragguagliare a V. S. Illuſtriſs mi compatirà ſe le ſcrivo in poche parole, e le piacerà gradire l' Inſcrizione, che mando copiata (2).

Mi

1 Ex his liquet *Iac. Gronovium* curante *Franc.* Cardinali *Mediceo* in Lycaeum Patavinum invitatum fuiſſe; quod in adnotationibus ad eius Epiſtolas ſuſpicati ſumus

2 Quantavis diligentia adhibita Inſcriptionem hanc reperire nobis non contigit.

Mi diſpiace la morte di S. A. Reverendiſs. che pare ſarà ſeguita da quella delle lettere per diverſe ſpeculazioni.

Ammiro la generoſità del Sig. *Gronovio*, e mi rallegro che ſi riſtampa quantità di Libri per conſolazione de' Letterati. Non dubito che col primo Convoglio ſarò proviſto di tutti, che ſaranno finiti.

La morte del Sig. *Filippo Rulleo* mi cagiona dolore riſguardando alla ſperanza, che i era della ſua dottrina.

Il Sig. *Tollio* continua di fatigarſi nella Correzione di molti Autori; mi diſpiace molto di eſser privo della corriſpondenza con ſimili dottiſsimi Signori, ma nè la diſtanza de' paeſi permette, nè l'aria di queſte contrade favoriſce alli ſtudi per li calori intolerabili, di maniera che biſogna aver patienza fin al mio ritorno; il quale Dio conceda ſia proſpero. Fra tanto ſupplico V. S. Illuſtriſs. annoverarmi fra gli ſuoi amici, ed onorarmi col favore de' ſuoi da me deſideratiſsimi comandamenti ec.

Smirne li 13. Dicemb. 1677.

EPISTOLA VI.

DI nuovo ſon favorito della gratiſsima lettera di V. S. Illuſtriſs. de' 7. di Febraio, la quale ho riceuto con grandiſsimo contento, vedendo che piaccia a V. S. Illuſtriſs. di gradire la copia della lettera del Sig. *Gallandio*. Mi diſpiace infinitamente di

non

non aver traſcritta quella che era indirizzata al Sig. *Berkelio*, mentre veggo la ſtima che V. S. Illuſtriſs. ſi degna di fare dell' erudizione di detto Signore; aſsicuro però V. S. Illuſtriſs. per ſecondare il ſuo deſiderio, che non mancherò di traſmetterle ſubito, che mi capitino ſimili, o altre coſe.

Quì incluſa le mando la copia di una Inſcrizione trovata nelle rovine della famoſiſſima Troia. Gli errori può eſſere, che ſieno nella medeſima Inſcrizione, e però non ho voluto correggere coſa alcuna; ma credo per certo che il copiatore, ſendo idioto, ha commeſſo queſti falli, come vedrà chiaramente V. S. Illuſtriſs. dalle lettere in più luoghi traſpoſte.

TROIAE.

ΑΒΟΛΛΑΚΙΟΔΑΜΟϹ
ΑΤΛΟΝ ΚΑΩΔΙΟΝ ΓΜΕΡΕ
ΝΙΑΝΟΝ ΣΤΡΟΤΑΓΗΣ ΑΝ
ΤΑ ΑΓΝΩΣ ΚΙΕΤϹΤΑ ΘΕΩ
ΕΝ ΚΑΙΡΟΙϹ ΕΠΙΜΕΛΗΑϹ
ΔΕΤΟΜΕΝΟΙϹ ΤΟΝ ΕΙΡΕΑ
ΣΑΙ ΑΡΧΕΙΡΕΑ ΚΑΙ ΛΟΓΙΟΝ
ΠΡΤΤΑΝΙΝ ΑΓΟΝΟΘΕΤΑΝ
ΕΝΙ ΕΝΙ ΑΤΤΩΠΕΠΛΗΡΩΚΟΝ
ΤΑΔ ΕΚΙΤΑΝΕΝΤΑ ΠΡΩΤΑ

ΠΑ-

ΠΑΤΡΙΔΙ ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΩ ΠΕΡ
ΓΑΜΗΝΩΝ ΤΩΝ ΣΝΓΕΝΕΩ
ΠΟΛΕΙΤΑΝ ΕΠΩΝΤΩΤΜΟΝ
ΑΠ ΤΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΡΤΤΑΝΗΙΑ
ΑΝΕΚΓΕΝΕΟΣ ΔΙΑΔΕΣΑΜ
ΝΟΣΤΟΙΣ ΤΑΣ ΑΞΙΑΣ ΒΑΣ
ΜΟΙΣ ΑΝΕΛΟΓΗΣΕ

Mi rallegro ſentire, che il Sig. *Paolo Rycaut* ſia ſtato da V. S Illuſtriſs. ma vorrei, che nel ſuo Opuſcolo *dello ſtato dell' Imperio Ottomanno* non aveſſe ſcritto molte coſe contrarie alla verità, oltre quelle che ſono in diſpregio della noſtra Nazione.

Il Sig. *Berkelio* mi avviſa, che l' edizione del ſuo *Stefano* era quaſi finita; in oltre haveva determinato di ſcrivere una Diſſertazione contro il *Pinedo*, come haveva fatto contro il *Munckero*. Il ſuddetto Sig. *Berkelio* ſi duole aſſai del Sig. *Gronovio*, che gl' impediſce la corriſpondenza con V. S. Illuſtriſs. e mi ſupplica di riverire V. S. Illuſtriſs. in nome ſuo.

Preſentemente ſi riſtampa in Leidem *Harpocrationes Lexicon* con Note del Sig. *Blanckardo*.

Per non tediare di vantaggio V. S. Illuſtriſs. farò fine col ſupplicarla a favorirmi dell' onore de' ſuoi da me bramatiſſimi comandamenti ec.

Smirna li 18. Maggio 1679.

Ri-

Riveriſco caldamente li Reverendiſsimi Padri *Noris*, e *Baronio*, ſuoi, e miei amici.

EPISTOLA VII.

Con infinito contento ho riceuto la gratiſſima di V. S. Illuſtriſs. de' 25. Novembre, ma mi diſpiace al maggior ſegno, che l' altra che V. S. Illuſtriſs. ſi è degnata ſcrivermi, non mi ſia traſmeſſa, però ſupplico V. S. Illuſtriſs. di non attribuire la tardanza di riſcriverle alla mia negligenza, ma al mal incontro che mi privò de' ſuoi favori. Mi rallegro di vedere, che il Sig. *Berkelio* abbia mandata a V. S. Illuſtriſs. la ſeconda edizione del ſuo *Antonino Liberale*, ma io non merito ringraziamento alcuno per haver ragguagliato il detto Signore della ſtima che V. S. Illuſtriſs fa delle ſue *Annotazioni*, ſendo ſtato l' obligo che mi comandò, dargli queſt' avviſo, per cagionargli l' opportunità di potere inviare coſa che aggradiſſe a V. S. Illuſtriſs havendo da riſpondere ad una delle ſue lettere, non mancherò con queſta occaſione di aſſicurargli della ſodisfazione di V. S. Illuſtriſsima, e gli rappreſenterò tutto quello, che V. S. Illuſtriſs. ſi è piaciuta comandarmi.

Da Lione, e d' Ollanda ho ricevuto l' *Itinerario* del Sig. *Spon*, ma li altri ſuoi Opuſcoli ſin adeſſo non ho veduto, di ma-

nie-

niera che doverò ſcrivere per Lione che me li mandino.

Per qualche occupazione non ho ancor finito la Lezione della *Grecia di Palmerio*, nientedimeno ſe detto Libro non ſi trova nella Libreria di V. S. Illuſtriſs. la ſupplico d'avviſarmelo, ed haverei per ſomma gloria ſe la poteſſi ſervir col mio.

Pochi meſi ſono che ſi trovorno in cima della montagna verſo la Tramontana ſotto una Cuppola di Muſaico le Statue intere di *Apollo Pythius*, *Iupiter*, e d'una Donna artifiziatamente ſcolpite, tutte tre di bianchiſſimo e finiſſimo marmo, le quali ſaranno mandate per Marſiglia, con intenzione di venderle là. Quà giunte mando a V. S. Illuſtriſs. le copie delle Inſcrizioni da me con gran faſtidio trovate nel medeſimo luogo. * *

A' giorni paſſati arrivò il Sig. Antonio *Galland*, che mi ha ſupplicato di riverire V. S. Illuſtriſs. in nome ſuo. Havendo detto Signore determinato di trattenerſi qualche anni in queſti paeſi per cercare Medaglie, Inſcrizioni, ed altre antiquità, goderò ſenza dubbio della ſua corriſpondenza, in guiſa che V. S. Illuſtriſs. ſtia certa, che le traſmetterò tutte quelle curioſità che mi arriveranno da queſto, ed altri dottiſſimi Signori.

Con che finirò pregandola ad affrettare i ſuoi comandi, acciocchè l'onore di queſti mi aſſicuri delle ſolite pruove della ſua ſingolariſſima gentilezza ec.

Smirne li 5. Aprile 1680.

Do-

Dopo haver ſcritto la preſente il Sig. *Galland* mi ha dato l' inchiuſa per V. S. Illuſtriſs. e le manda la figura di *Apollo*. Di nuovo la reveriſco.



ABRA-

ABRAHAMI COSSONII EPISTOLAE AD ANT. MAGLIABECHIUM.

EPISTOLA I.

Illuſtriſs. Sig. mio Sig. Padron Colendiſſ.

POichè l' eruditiſsimo, e celeberrimo Sig. *Gronovio* ne ha mandato alcuni ſuoi verſi elegantiſſimi per la morte del defunto mio fratello (1), piglio la libertà di mandarne a V. S. Illuſtriſs ſiccome quei dell' eruditiſſimo Sig. *Perizonio* per quella della mia ſorella; come anche il ritratto dell' *Aloe Americana* con i vivi colori dipinta, con ſperanza che il pri-

1 *Iacobi Gronovii nenia in repentinum & triſtiſſimum obitum Petri Coſſonii Medicinae Doctoris*, In folio expanſo.

primo in Italia ſarà in mano di V. S. Illuſtriſs Ho reverito il Sig. *Van Dam* da parte di V. S. Illuſtriſs. che mi ha raccomandato il contraccambio. Con che ceſſerò di faſtidire V. S. Illuſtriſs. pregandola d' eſſer perſuaſa, che con cuor ſincero, ed affettuoſiſſimo ardiſco ſottoſcrivermi

Di V. S. Illuſtriſs.

Leida adì 10. Luglio 1699.

Umiliſs. Obbligatiſs. Serv.
Ab. Coſson.

EPISTOLA II.

AVendo l' onore della viſita del dottiſſimo Sig. *Perizonio*, comunicaili la di V S. per il Sig. *Rieocoer*, che mi diſſe trovarſi adeſſo in Inghilterra, ma che volendo laſciarla in mano a lui, averebbe la cura che fedelmente ſarebbe reſa al ſuo compagno il Sig. *Sxbio*, quel ch' accordai: in oltre moſtraili la di V. S del 11. Agoſto a me, per farle vedere la ſtima particolare che V. S. Illuſtriſs. le porta, da che ſendo ſommamente ſodisfatto, m' a pregato di volerla aſſicurare del debito ſuo riſtretto inverſo V. S. Illuſtriſs. e riverirla da parte ſua con dimandarle l' onore della continuazione del ſuo favore, come anco fa ec.

Leida 27. Ottobre 1699.

EPI-

EPISTOLA III.

VEnnemi una cattiviſsima, e doloroſa novità d' un incendio, che ſarebbe ſtato nella Libreria di S. A. R. con ſua Guardaroba quaſi interamente divorata aveſſe: avendomi informato appreſſo il Signor *Del Vigna*, ho trovato al mio gran conforto, e contentezza, che non ſia ſtato il fuoco nella Libreria, e che il danno non vi ſia tanto quanto ci era ſignificato. Grazie a Iddio che ſi ſiano conſervati tanti Manoſcritti conſiderabiliſſimi ſi trovan lì, ſecondo l' informazione dell' eruditiſſimo Sig. *Iacopo Gronovio*. Queſto noſtro ſingolar amico ieri è ſtato degnamente eletto (dopo il Profeſſorato di 24. anni in queſta Univerſità) per Rettore Magnifico, il ſupremo carico d' onore di tutta la Città, e Univerſità, avendo la mano e luogo dai Illuſtr. Sigg. Curatori dell' Univerſità, e Conſoli della Città iſteſſi. Ho avuto l' onore, come l' intimo mio amico, di felicitarlo, ſiccome fa l' iſteſſo a V. S. Illuſtriſs., come uno de' ſuoi parziali amici: come anco il dottiſſimo Sig. *Surenbuſio* con pregarmi di dar notizia a V. S. Illuſtriſs. come da quì in due meſi ſarà finita la ſtampa del ſeſto ed ultimo Tomo . . . . . ſuo; ſendo egli intenzionato d' inviare li tre ultimi Tomi al Sereniſs. Granduca, e al Sereniſs. Cardinale de' *Medici* per giugnere ai tre primi Tomi. Da che può V. S. Illuſtriſs. aſſicurarſi, ed anco che io farò ſtima particolare de' ſuoi comandi, e ſarò ec.

Leida 9. Ottobre 1703.

HEnricus Brenkmannus I. C. *Cuius Epiſtolas ſubnectimus, magnam laudem ſibi comparavit ob accuratiſſimam collationem* Pandectarum Iuris Civilis *cum vetuſtiſſimo celeberrimoque exemplari Florentino olim Piſano. Vt id exequi poſſet Florentiae per duos annos commoratus eſt, plurimumque in eo opere adiutus fuit a Cl.* Ant. M Salvinio. *Romam deinde ſe contulit, ubi alia vetuſta* Pandectarum *exempla conſuluit. Hinc* Fontaninus *in Epiſt. ad* Magliabechium *d. die* 11. *Ianuar.* 1710. *ait:* Godo che il Sig. *Brencmanno* ſia venuto coſtà a collazionare le Pandette, e che dopo fatto il lavoro ſia per venir quà, dove non mancherò di ſervirlo come potrò. *Hiſtoriam Pandectarum Florentinorum conſcripſit, quam Clar.* Guido Grandius *in ſuis de eodem argumento Diſſertationibus ad cenſuram revocavit. Coeterum de pretio* Brenkmanniani *laboris in ea collatione inſumpti, vide quae ſuperius ſcripſit* Iac. Gronovius.

HENRICI BRENKMANNI

EPISTOLAE

AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Viro Illuſtriſs. Clariſſimoque

ANTONIO MAGLIABECCIO

S. P. D.

HENRICVS BRENKMANNVS.

QUantae imprudentiae, aut potius temeritatis eſſet, Vir Illuſtr. ut in quo ornando, colendoque praeclariſsima quaeque Eruditi Orbis Ingenia eloquentiam, acumen, nervos omnes intenderunt, ego nunc poſt eos laudandi periculum facerem? Mihi ſuffecerit gloriari poſſe, eius, quam alii tantopere depraedicaverunt, fortunae per biennium participem fuiſſe: ſufficit, inquam,

inſignia illa favoris Tui, amoriſque indicia tandiu expertum eſſe, adeo ut libros, ac ſermones pro lubitu communes habuerim, & quominus ulterius haberem, negotiorum injuria extitit. Itaque maximas Tibi gratias ago, Vir amiciſſime, maiores ſemper publice, privatimque habiturus. De caetero Te proſperi adventus mei certiorem reddere volui, ſimul inſtantis Anni occaſione omnia Tibi fauſta, felicia, ac fortunata precari. Vivas adhuc, valeaſque diu Eruditionis ac Litteratorum bono, ſed & perpetuo nobiliſſimae Civitatis Tuae ornamento, & ſplendori.

Dabam Romae VI. Kal. Ianuarii MDCCXII.

EPISTOLA II.

NOn ſolent Florentia Romam venire, quos de Te, Vir Illuſtr. Tuaque ſalute non ſtatim interrogem. Quis enim, qui ſtudia & literas humaniores revereretur, de eo ſollicitus eſſe desineret, qui aetatem in promovendis ſummopere Virorum conatibus ſingulari exemplo contrivit; immo vero qui nec annis provectioribus parcere etiamnum aſſolet, ubi de Rei Literariae augmento agitur. Hiſce igitur excelſae indolis Tuae dotibus ſubnixus, in re maioris momenti, & quae vel maxime ad Italiae Tuae ornamentum pertineat, moleſtus Tibi eſſe ſuſtineo. *Theſaurus Antiquitatum, & Hiſtoriarum Italiae,*

liae, quem Cl. *Graevius* in lucem dare inſtituerat, ad VI. Volumen ſubſtitit, ut noſti. Continuare tam pulchrum opus non detrectat Cel. apud nos Typographus *Petrus Vander Aa*, modo unus & alter ex famoſiſſimis Italiae Literatis ſolemniore quodam, plenioreque teſtimonio, ſeu exhortatione id inſtitutum promovere vellet; ita nimirum, ut exhortando immiſceat laudes, utilitatem, & praeſtantiam operis, & quod digniſſima foret celebriorum Bibliothecarum ſupellex: ſed Tuum imprimis efflagitat teſtimonium. Itaque quamprimum Tibi commodum erit, ſimilem quamdam exhortationem a Te expecto. Illuſtriſs. ac Reverendiſs. *Fontaninus* iam olim ſuo ſuffragio laudabile hoc propoſitum ornavit in Praefatione Operis *De Antiquitatibus Hortae*. Continuationem autem laudati *Theſauri Perizonius*, opinor, procurabit.

Attulit tandem Eruditiſs. *Lommerman*, qui variis per Germaniam Itineribus diſtractus fuit, *Origines Babylonicas*, & *Aegyptiacas*, quarum Tibi exemplar traditurus eſt, una cum hiſce meis. Rogat autem Cl. Auctor, ut apud Te excuſem, quod incompactas miſerit, utpote quod tanto facilius perferri poſsent.

Me quod attinet, tota aeſtate Romae detineor, quamplurima enim hic in Bibliothecis, praeſertim in *Vaticana*, *Pandectarum* Volumina MSS. inveni. Initio menſis elapſi per ſedecim dies Neapoli commoratus ſum, per Montem Caſſinum Romam reverſus. Summa benevolentia me complexi ſunt *Ioſe-*

phus Valletta cum duobus nepotibus, caeteriquc Eruditi Neapolitani, quos inter praecipuam ſermonis partem faciebat virtutum Tuarum, nominiſque celeberrimi commemoratio. Plurimum Te ſalutant quos nominavi, aliique omnes eruditionis amantes. Tu idem, ni moleſtum eſt, meo nomine facies amicis communibus. Vale Literarum decus, & me, ut facis, ama.

Romae ipſis Kal. Iun. MDCCXII.

EPISTOLA III.

EX aliorum amicorum reſponſis ſoleo reſciſcere an meas acceperint; at iniquum eſſet, ac pene iniurium, Vir Illuſtr. a gravioribus annis Tuis hoc officii genus, in quo florente aetate diligentiſſimus fuiſti, ulterius exigere. Spero igitur poſteriores meas Tibi redditas eſſe: recens beneficiorum Tuorum, meaeque in Te obſervantiae teſtimonium apud Te deponere conſtitui, ac ſimul quid agam indicare.

Ex quo domum redii, iam duplex me exercuit valetudo. Nimirum longae peregrinationes, incommoda ſenſim coacervata, & tamen interim continua agitatione velut renovata aliquandiu, atque deluſa, tandem ubi quieti me tradidi, in duplicem hanc aegrotationem eruperunt. Neutra quidem valde gravis, aut periculoſa fuit, ſed tamen permoleſta, & mea ipſius culpa diuturnior. Quum enim varia negotia me premerent,

at-

atque eadem nondum confirmata valetudine vellem perficere ; ipſemet in cauſa fui , ut & tardius convaluerim , & difficilius etiam. Haec res omnes conſiliorum meorum rationes conturbavit , plurimumque obfuit utiliſſimo inſtituto promovendae *Societatis Literariae* ; quod nunc de integro aggrediar , nihilque intentatum relinquam , ut praeclariſſima haec res effectum ſortiatur. Nunc enim cum priſtina valetudine in gratiam videor rediiſſe, niſi quod dolor quidam , & fluxio oculorum poſteriori morbo ſucceſſerit , quae ſubinde moleſtia me afficit, ac valde ſollicitum tenet, ne in peius abeat. At meliora auguramur! Certe in perpoliendo, perficiendoque *Pandectarum* Opere, quod brevi me perſecuturum ſpero ; multa conſulenda mihi ſunt minuto charactere conſcripta , atque impreſsa; quae bona oculorum acie indigent. Habes quae me ſpectant : plura addere cogitaveram ; ſed magna negotiorum , literarumque copia in diverſa me diſtrahunt. Vnum non poſſum quin addam , omnes hic fama Tui nominis excitatos me apprime beatum, felicemque praedicare, qui tamdiu tanti Viri colloquio, ac praeſentia , ſummo meo honore frui potuerim . Vale mei memor ; Vir Illuſtr. & Celſiſs. Magnum Principem ; ſi tantum fortunae mihi adſpirare fas ſit , devotionis meae , & devinctiſſimi obſequii certiorem redde, eidemque inſuper cumulatiſſimam meis verbis ſalutem precabere : ſed & amicos quos mihi ſcis Tecum eſſe communes plurimum meo nomine ſalutabis. Vale iterum.

Dabam Amſtelaedami poſtr. Kalend. Maias MDCCXIIII.

IOannes *Kool* Traiectinus in adoleſcentia Iuris Civilis ſtudiis Operam dedit. Extat *Herm. VVitſii Diſputatio Iuridica ad Legem alteram Tarpeiam de multis propugnante Io. Kool. Traiecti ad Rhenum* 1698. *in* 4. Dum per Italiam ſtudiorum cauſa Iter inſtitueret, ſe in *Magliabechii* amicitiam inſinuavit, plurimumque ab illo in ſuis Litterariis laboribus adiutus fuit: Romae quoque Vetuſtorum Codicum collationi incubuit. Hinc *Fontaninus* in Epiſt. ad *Magliabechium* d. quam omiſimus, ait: *Al Sig.* Kool *ho impreſtato un bel Codice MS. di* Saluſtio, *che egli collaziona, ed è ſtato* d'Ercole *II. Duca di Ferrara*. In Belgium reverſus Amisfurti ſedem ſibi fixit, & ocium ſuum in *Marq. Gudii Collectione Inſcriptionum Antiquarum* coordinanda poſuit.

IOANNIS KOOLII

EPISTOLAE

AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Illuſtriſſimo ac Doctiſſimo Viro

D. ANTONIO MAGLIABEQVIO

S. P. D.

IOANNES KOOL.

TVae debes, magne *Magliabechi*, inſigni humanitati, & ſummae benevolentiae, qua omnes, praecipue liberalibus artibus deditos proſequi ſoles, ſi ego, cuius nomen neſcio an Tibi notum, litteras ad Te dare ſuſtineam. Celebrarunt enim mihi omnes, quotquot ad Te inviſere datum eſt, maximam illam comitatem

Digitized by Google

tem qua eos excepiſti, adeo ut nihil in itinere me vidiſſe mihi perſuaſerim certo certius, niſi Te, Literarum, Literatorumque Patronum ſalutaverim. Plures Tuae comitatis teſtes afferre poſſem: nominarem quippe Viros Generoſiſſimos *Drummondum Scotum* . . . . . ; & plures alios; verum graviores ſi deſideres, commemorabo orbis eruditi delicias, Viros Cl. *Graevium*, atque *Gronovium* Doctores meos, à quorum ore me pependiſſe haud immerito glorior. Hi duo ſunt ſtudiorum meorum Patroni, qui maxime me confirmarunt, immo certiorem plane reddiderunt non aegre Te laturum ſi de meo, & itineris ſocii D. *Voorſtii* propoſito ad Te ſcriberem. *Graevius Callimachum*, *Gronovius Manethonis Apotheleſmata* Illuſtriſs. Tuo nomini inſcripta ad Te perferenda commiſerunt: minoris ponderis quaedam ego addidi, quae ſi Tibi Florentiae offerre liceat, votorum ſummam me conſecutum putabo. Cl. *Gronovius* mihi ſignificavit ſe de inſtituto noſtro ad Te ſcripſiſſe: ſpero litteras iſtas Tibi redditas eſſe, ex illis enim videre potuiſti quod nam nos teneat deſiderium; quod fateor non aliud eſſe, quam ut Bibliothecas & Nummophilacia perluſtrare, & Codices evolvere liceat. Qua in re cum Tu ſolus nobis prodeſſe poſſis quam qui maxime, Te rogamus, ut Litteras Tuas Mediolano accipiamus commendatitias alios ad Viros eruditione claros, vel Bibliothecas curantes, vel Nummos ſervantes adiungere ſi placuerit; quantum Tibi debeamus, coram declarabimus. Brevi Mediolanum, dein Florentinam Vrbem petemus; Mediolani autem expectabimus Tuas Litteras;

ex

ex quibus diſcere poterimus quinam Viri in iſthoc itinere ſint ſalutandi. Votis noſtris ſi ſatisfeceris, maximum ex peregrinatione noſtra fructum nos percepiſſe putabimus. Vale Vir ſumme; diu Orbi Litterato ſuperſis! Deum veneror. Auguſtae Taurinorum a. d. 21. Iulii 1698.

EPISTOLA II.

HAbeo profecto quod mihi gratuler, qui a Te Viro gravioribus rebus intento, & nunquam non occupato, tam cito ad meas reſponſum tulerim, ac ex Tuis elegantiſsimis Litteris, amoris erga me Tui plenis, quaeque me ingenti laetitia non poſsunt non perfundere, intelligere potuerim ea, quae ſcire quammaxime deſiderabam.

Vtinam ante Kal. Febr. (eo enim tempore itineri me accingo Venetias properaturus) ad me deferri poſsent *Danielis Eremitae*, & *Roberti Titii* ἀνέκδοτα, ut Clariſs. *Graevii* deſideriis ſatisfacere poſsemus. Ingentes Tibi quoque ago gratias pro litteris, in quibus Nos Viris Doctiſsimis, ac laudatiſsimis commendare voluiſti. Omnes enim benigne nos excepere, nobiſque nulla in re ſe defuturos promiſere.

Doctiſsimi *Fabretti* Liber *Inſcriptionum* intra paucas hebdomadas lucem adſpiciet; verum nullus dubito, quin appendicem concinnaturus ſit, cum ſingulis fere diebus novae ipſi vel adferantur, vel e terrae viſceribus eruantur. Aditum nobis paravit *Fabrettus* ad inſi-

gne

gne illud Cardinalis *Carpegnae* Gazophylacium, quo illuſtrius Romae, licet plura viderim, perluſtrare nondum contigit. Bibliotheca Vaticana nunc moram meam oblectatur: hanc mihi aperuit Reverendiſs. ac Doctiſs Cardinalis *Noris*, qui ingenti nos comitate excepit, ac diu nobiſcum ſermones ſeruit de illis, quae apud nos in Republica Litteraria gerantur.

Deſino mirari quod nullas ab Doctiſs *Bacchino* litteras acceperim, cum ex Tuis intelligam per longum tempus adverſa valetudine uſum fuiſse: ſpero eum nunc reconvaluiſse, ideoque brevi litteris iterum adire fert animus. Vale, Vir Illuſtriſsime, & *Koolii* Tui memorare.

Romae 10. Decembris 1698.

EPISTOLA III.

MErito totus Litteratus Orbis, Vir Illuſtriſsime, Te colit, ac ſuſpicit, cum totam Rempublicam Litterariam non tantum egregie ornes, ſed & eam quotidie augere non deſinas, imo id unice agas, ut omnes Litteratos Litterarumque fautores adeo Tibi devincias, ut Tui Nominis non poſsint non eſse obſervantiſsimi. Quaecumque enim doctrinas humaniores promovere poſsunt, ſi temporis invidia Erudito Orbi ſubtraxerit, ex inſtructiſsima Tua Bibliotheca iſta vel promis, vel ex aliis latebris extrahis, ac priſtino fulgori reddis. Luculentiſsimum ſingularis Tui erga humaniores Litteras ſtudii monumentum in-

omne

omne aevum duratūrum erunt *Danielis Eremitae* ſcripta (1) tanto ab Eruditiſs. *Graevio* deſiderata, quem ſcio laetitia exultaturum, eaque ſit pretioſiſsimum Theſaurum exoſculaturus, quando mihi, patriis laribus reddito ipſi illa tradere contigerit. Ego autem habeo profecto quod mihi gratuler, dum Viri doctiſsimi ἀνέκδοτα in patriam noſtram perfero, mearumque curarum potiſsima erit, ut religioſe exequar quaecumque de iis fieri deſiderat Vir Generoſiſs. ac Nobiliſs. *Guidi* (2). cui meo nomine vel maxime rogo, ut gratias agas pro tam ſplendido munere, quo Rempublicam Litterariam ornare voluit; dedicatum erit Sereniſsimo Hetruriae Principi, *Maſſeorum* Familiae honorifica fiet mentio, ac Generoſiſsimi *Guidi* nomen, & benevolentiam ſilentio praeterire ſumma nobis erit religio. Ipſa *Eremitae* manus ſtudioſe ſervabitur, & cum aliquot exemplis Florentiam curabo, nitidiſsime typis deſcriptis Denique alia ſi forte circa ea deſideres, mihi mandes velim, ego pro virili exequar, ſemperque oſtendam quam carum mihi acciderit, elegantiſsima *Eremitae* ſcripta cu-

rae

1 De Editione Operum Poſtumorum *Danielis Eremitae* V. Epiſt. ix. *Io Georgii Graevii* ad *Magliab* a nobis editam in T. I. *Epiſt Claror. Belgarum*. In alia Epiſt. d. Romae id. Ianuar. 1699 ait *Koolius*. *Ferme aliquid addere oblitus eram de* Eremitae Panegirico: *an apud nos reperiatur prorſus ignoro*, & *neſcio an Cl.* Graevius *illum viderit*: *ſatis perſpicio apte reliquis Operibus addi poſſe*.

2 Philippus Maria Guidius, *ut ex alia Epiſtola quam omiſimus apparet*.

rae meae fuiſse mandata. Vale, Vir Illuſtriſſime, Reique publicae Litterariae diu ſalvus ſuperſis Deum veneror. Vale.

Romae 10. Ianuar. 1699.

EPISTOLA IV.

Beneficiorum quibus me cumulaſti, parum me memorem vivere, ingratique me forte animi accuſaveris, Excellentiſsime *Maglıabecbi*; verum ſi quid tale de me ſentias, pravam hanc opinionem plane abiicias rogo, utque credam id Te praeſtiturum, facit cum ſingularis Tua humanitas, tum mirificus, quem ſemper probaſti, erga me animus. In Te enim colendo, ex quo tempore ſalutare licuit, facile parem, ſuperiorem neminem paſsus ſum. Demum ergo ſilentii mei cauſas ſatis graves has accipe. In Patriam reverſus illico patriam Vrbem, patrioſque lares relinquere decrevi: vocabant me cum ſplendida Domus, & amoena predia Amisfurtum, amoeniſsimam Vrbem tribus horis ab Vltraiecto diſtantem; iſtic ſolus mihi & Muſis vivo, nil aliud curo. Quae tunc, cum habitationem mutarem, moleſtiae ſuperandae fuerint in componenda ſupellectile libraria, teſtes ſunt omnes qui me norunt. His defunctus cum eſsem, celeberrimae fuere amicorum ſalutationes; dein in morbum incidi ſatis pertinacem, qui corpus debilitabat, & mihi triſtitiam, neſcio quam, creabat; non morbum, aut quid humanitus metuebam, ſed aegre ferebam me rebus meis ſupereſse non poſ-

poſse. Habes aliquot ſilentii mei cauſas; ſed me iudice graviores poſtea intelliges. Nunc ad Muſas me converto.

Vix ac ne vix quidem patriis laribus redditus eram, quin Cl. *Graevium* ſalutare licuit, imo illo ipſo die, quo domum intravi Cl. *Graevio Danielis Eremitae* ſcripta tradidi, quae exemplo Typographum invenerunt, & cum horum cura mihi commiſsa foret, non paſsus ſum a Typographorum filiis ea maculari, ac ſordidis manibus tractari, referens idem exemplar minime maculatum ad Magnum Etruriae Principem, Cuius inſigni liberalitati, & ſummo ſtudio erga elegantiores litteras, hoc anecdotum debemus; reverti debere: quare deſcribendum fuit, quod & factum. Quotidie hortabar Bibliopolam ut praelo ſubiiceret: ille ſe facturum promittebat, ſed nunc aliis negotiis premi (noſti enim homines) dicebat; nunquam eius officinam intrabam, quin urgerem primum folium, maxime enim cupiebam ad Te litteras dando folium addere, ut ſimul Tibi meam diligentiam probarem, & Tu de chartae & characterum elegantia ſtatuere poſses. Ita procraſtinando, dilatum ſcribendi officium non tam mea, quam Bibliopolae culpa: hanc quaeſo cauſam mente volvas, & nullus dubito quin veniam aliquam daturus ſis. Taceo Cl *Graevium* mihi narraſse ſe rem omnem ad Te perſcripſiſse; quapropter litteras meas, ſi *Eremitae* ſcripta ſpectes, inutiles fore iudicavi. Quae porro in ſcedis notaveras, ut praefationi infererentur Clar. *Graevio* oſtendi, qui ea perlegit ac probavit, verum cum Vir ille doctiſsimus innumeras char-

tas

tas habeat, quibus facile permiſceri poſsent, Tuae verebar ne forte perirent; quare haec adhuc ſervo, tradamque cum Praefatio adornanda erit. Dedicabuntur, ut petiiſti, Magno Etruriae Principi. Haec fere ſunt, Vir Excellentiſsime, quae meae curae commiſeras. Quam ſtudioſe Tua mandata executus fuerim, Tuum nunc erit iudicare. Verum enimvero de *Danielo Eremita* ſilentio praeterire nequeo quod profecto miraberis. Degit in hac Vrbe Amisfurti mulier, quae etiam *Eremita* vocatur, ex eadem familia oriunda eſt, qua originem traxit *Daniel*. Poſsidet haec *Danielis* Imaginem aeri inciſam, quam *Daniel* ipſe pinxerat. Nunc quid ferat novi Respublica Litteraria cognoſces.

Neocorus ſeu mavis *Kuſterus* a Sereniſsimo Electore Brandemburgico Profeſsor Collegii Fredericiani, quod Berolini eſt, creatus eſt. Ab hoc Sereniſsimo Principe veniam impetravit Britanniam, Galliam, forſan & Italiam perluſtrandi, antequam Provinciam ſibi mandatam ſuſcipiat. In Angliam itaque traiecit *Neocorus*. Eius litteras ad Clar. *Graevium* datas vidi, ex quibus didici, quam praeclare Angli litteras Graecas promovere pergant, ut *Neocorus* illis aperuerit ſuum propoſitum de *Heſychio* perpoliendo, & edendo, quod tam gratum Anglis accidit, ut exemplo *Bentleius* & *Dodwellius* ſua obtulerint, quae in hunc Lexicographum commentati eſsent. Doctiſsimorum quos dixi Virorum induſtriae, accedent praeclara illa Illuſtriſs *Spanhemii*, qui *Heſychium* infinitis in locis emendavit, ac illuſtravit. Studia, ac labores Viri ſummi, ſatis

ſu-

ſuperque noſti, Celeberrime *Magliabechi*, quare quae ſpes nobis affulgeat praeſtantiſsimo hoc Lexicographo emendatius fruendi, ipſe vides. Vnum tamen eſt quod mirabuntur omnes, qui Anglos non norunt. Noſti, & niſi fallor, praeſenti ſaepius narravi *Ioan. Vervveii* luculentum commentarium in *Heſiichium* reliquiſse; hunc cum diceret *Neocorus* ſe addere velle, negabant Angli ſua, ſi *Vervveii* adderentur: adeo Angli aliena ſpernunt, ſua tantum probant. *Pollucis Onomaſticon* nondum ſub proelo ſudat; ſed cum *VVeſtenius* magnis ſumptibus doctiſsima quaeque collegerit, quae novam editionem commendare poſsent, nullus dubito, quin & hic Lexicographus lucem apud nos ſit adſpecturus.

Ex aliis forte accepiſti prodiiſse nuper *Ciceronis Orationes*, Clar. *Graevii* notis illuſtratas. Inſcripſit hoc opus Vir Doctiſsimus Burgundiae Duci, & in Praefatione, ſummo Tuo merito, honorifica Nominis Tui ſit mentio. Praeter ea, quae Tibi debemus, ornant hanc Editionem *Iacobi Menardi* Burdigalenſis Commentarii in aliquot *Ciceronis Orationes* nunquam antea editi: ſunt hi omni eruditione referti. Totum opus ſex voluminibus abſolvitur, eadem forma, iisdemque characteribus impreſsum, quibus *Epiſtolae* prodiere.

Ante paucos dies lucem aſpexere *Tollii Epiſtolae Itinerariae*: in eis iter Germanicum, & Hungaricum florido maxime ſtilo narrat, has notis, epiſtolis ipſis auctioribus, illuſtrare voluit *Henninius*, quibus nos tuto carere poſſe multi mecum affirmant.

Brevi videbimus *Aeliani Varias Hiſtorias* Clariſs. *Perizonii* notis illuſtratas.

Clariſs. *Gronovius Dodwello*, ne dicam omni Britanniae, bellum indixit, noſti enim, *ſta ſempre colla ſpada in mano*.

Parat Clariſs. *Graevius Obſervationum* ſuarum Volumen, quod quam maxime gratum erudito orbi futurum ſit, vel me tacente intelligis. Qui aliorum ſint labores ac conatus vides, nunc meos narrabo.

Lubens in me ſuſcepi laborem ſummum, *Inſcriptiones* ſcilicet *Gudii* adornandi: quam duram provinciam coeperim ſatis video, paucis, cum hoc opus a multis deſideretur, rem omnem aperiam. Fert animus *Gruterii*, ac *Reineſii* veſtigia premere, qui ad certas Claſses totum Opus revocarunt, quod & mihi non ſine ſumma moleſtia praeſtandum erit: mixta quippe ſunt omnia, unde primum cuilibet Inſcriptioni ſuus locus eſt adſignandus; dein deſcribenda; & tandem cum Autographo committenda. Verum nec hic ſubſiſtet labor. Vidiſti procul dubio *Fabretti Inſcriptionum* volumen: ad nos perlatum nondum eſt: in eo, quis dubitat quin multae futurae ſint Inſcriptiones, quas & *Gudius* habet? has in noſtro opere recudere inſani foret labores, niſi *Gudii* emendatiores forent. Iam vero cum *Fabretti* opus ſine indice prodeat, non alia ratione cognoſcere dabitur, quas uterque habeat, quam ex indice ſaltem uno, qui mihi adornandus erit.

Ex Gallia accepi Autographum *Franciſci Danielis*, quem non novi: ſcripſit is *Commenta-*

tarium in Iuvenalem ſatis eruditum, & quod gaudeo, cum decem Codicibus Manuſcriptis, ut in Praefatione teſtatur, contulit: hoc anecdoton ego poſſideo. *Salluſtium* brevi, proelo committam: Auctorem hunc cum decem Codicibus manu exaratis, & impreſsis vetuſtioribus contuli. Pariſiis dum agerem incidi in *Franciſci Barbari* Veneti libellum Manuſcriptum de *Re Vxoria* ad *Laurentium de Medicis* (1) perſcri-

Y 2

1 *Inter Codices MSS. Bibl. Magliab. unum adſervamus chartaceum in* 4. *qui complectitur* 1. Franciſci Barbari de Re Vxoria Librum ad inſignem Virum Laurentium de Medicis Civem Florentinum. 2. Poggii Florentini Epiſtolam ad Guarinum Veronenſem in laudem eiusdem operis. 3. Petri Pauli Vergerii Epiſt ad Nicolium Leon. Phyſicum in commendationem eiusdem operis. 4. Anonymi Orationem in laudem Matrimonii habitam Mediolani in nuptiis P. Vicecomitis, & Mariae Fliſchae. 5. Anonymi Vitam S. Pauli primi Heremitae. 6. F. I. Abbatis Bomein Epiſt. ad Leon. Aretinum, cum Aretini reſponſoria. 7. Luciani certationem inter Scipionem, Alexandrum, & Annibalem apud Inferos coram Minos, quis fuit praeferendus, latine reddita per D. Ioannem Auriſpam Siculum ad inſtantiam D. Baptiſtae de Capodeferis Romani Militis tunc Bononiae Praeſidis. 8 Leonardi Aretini Epiſt ad Thomam Cambiatorem. 9. De Hiſtoria Dionis traducta de Graeco in Latinum ab Auriſpa, particulam de Conſolatione Ciceronis. 10. Anonymi Vitam S. Hieronymi Stridonenſis. 11. S. Hieronymi Epiſt. ad Auguſtinum. 12. S. Auguſtini Epiſt. ad Praeſidium. 13. S. Ambroſii ſermonem qui dicitur Paſtoralis. *Omnia haec eadem manu ſcripta ſunt ſaec.* XV. *exeunt.*

ſcriptum: bis terve typis deſcriptus eſt libellus ille, ſed apud nos rariſsimus eſt, & in paucisſimorum manibus verſatur: Vnus *Graevius* hunc auctorem noverat. Huius *Franciſci Barbari* elegans, & purus ſermo adeo arriſit non ſolum mihi, ſed omnibus, quibus eius copiam feci, ut hic typographum quaerere decreverim, cur enim paterer tot inania, & nullius momenti ſcripta ad incudem revocari, negligi vero elegantioris ſermonis ſcriptorem. Quare ſi quid ſit, quod de *Franciſco Barbaro*, ut & de *Franciſco Daniele* docere poſſis, quantum Tibi debeam omnes cognoſcent.

Obiit *Lomeyerus* ſcriptis de *Luſtrationibus Veterum Gentilium*, *de Bibliothecis* & *Genialium dierum*, ſatis celebris. Tandem *Ottonis Sperlingii* liber *de Nummis non cuſis* typographum invenit. Proelis iterum ſubiicientur *Heſiodus Graevii*, ut & eiusdem *Florus*, & *Iuſtinus*. Ex *Nocoleri* Bibliotheca *Almelovenius* noſter accepit *ſeptem illuſtrium Foeminarum Poemata*; quare Tuum exemplar ad Te remittam, quod tuto fieri poterit, cum *Eremitae* opus mittetur. Verum deſino obnixe rogans, ut ſi quam contra me iram ſuſceperis, hanc deponas, & me Tuis litteris reficias, & cum novus Tibi annus illuxerit, ſuaviter ille, & ſine moleſtia Tibi decurrat, Deum veneror. Vale & me ama. Amisfurti ipſis Kalend. Ianuarii 1700.

IO.

IOANNIS KOOLII
EPISTOLA
AD IACOBVM GRONOVIVM.

Doctiſſimo ac Excellentiſſimo Viro

IACOBO GRONOVIO

Profeſſori Celeberrimo

S. P. D.

IOANNES KOOL.

MIrum in modum me delectarunt Tuae litterae amoris ac benevolentiae erga me plenae. Dum enim in hoc ſeceſſu procul a Litteratis Hominibus ago, nihil fere curans praeter moleſtum *Inſcriptionum Antiquarum opus*, quid quaeſo mihi iucundius evenire poteſt, quam ut ad me perferantur litterae, ac labores Virorum, quorum memoria mihi ſanctiſſima eſſe ſolet ac debet? merito quippe mihi perſuadere poteram mei nullam aut ſane exiguam apud Te memoriam ſupereſſe, cum nihil nunciare valeam Tuis auribus dignum. Verum opinionem meam longe ſuperaſti, ac ſatis ſuperque probant & litterae Tuae quam

amantiſsime ſcriptae, & eruditum munus Te non plane mei immemorem vivere. Sane Orationem Tuam, cuius nullo meo merito copiam mihi facere voluiſti, ſumma cum voluptate perlegi cum ob incredibilem eloquentiae vim, quae in ea ubique elucet, tum ob reconditae Antiquitatis veſtigia quavis pagina conſpicua: quare gratias quas poſſum maximas pro hoc doctiſsimo munere ago.

Illuſtriſsimi *Magliabequii* Epiſtola non parum me commovit (1), nec mirum, cum omnes commiſſae curae partes tam diligenter impleverim ut non inveniam quid amplius a me deſiderari poſsit. Conqueritur nempe *Danielis Eremitae Opuſculum* in Italia proſtare, ſe vero nullum exemplum accepiſse; quod profecto mea culpa non accidit, cum exemplorum in Italiam tranſmittendorum curam in ſe ſuſceperit Cl *Graevius*, nec dubito, quin Illuſtr. *Magliabequii* deſideriis ſatisfactum fuerit; ſed vereor ne Mercatores exempla ſibi ſervaverint, quod etiam ſuſpicatur *Magliabequius*; ſed intra paucos dies communem Patronum huius rei certiorem reddam.

Vt tandem de meis rebus quid addam, noli exiſtimare communem Civitatis noſtrae cau-

1 Iac. Gronovius *in Epiſt. ad* Magliab. *d. Lugd. Bat:* 27. *Nov.* 1705 *ait:* Factum *Koolii* enimvero diſplicet, ac abominor; nec dubitabo captare occaſionem, quae prima mihi incidet, de ea re agendi. Ita ne abſens poteſt facinoroſe ſatis reiicere memoriam promiſſi?

cauſam adeo me tenere, ut ſtudia Litterarum, quibus ſemper deditus fui, plane abiecerim: ita, mihi crede, haec temperare ſoleo, ut parum, aut nihil detrimenti inde ſentiant mea ſtudia; ſed quamdiu *Inſcriptionibus* invigilo, de aliis negotiis cogitare non ſinit id moleſtum opus. Vale, Vir Excell. & eo amore, quem tam luculenter probaſti, me proſequi pergas rogo.

Amisſurti die X. Iulii MDCCII.

ANtonius van Leuvvenhoek *nomen ſuum aeternitati conſecravit ob praeclaras, ſummeque fructuoſas Obſervationes ſuas Microſcopicas. Licet enim a pleriſque accuſetur, tamquam deſcribens nonnulla, quae ſibi in cerebro finxerit potius, quam oculis obſervaverit; nihilo tamen minus tantum lucis attulit ad Naturae Arcana perſcrutanda, & explicanda, ut elegantiſſimis libris ſuis monumentum ſibi aere perennus exegerit. Dolendum plures tanti Viri Epiſtolas ad* Magliabechium *periiſſe: ex iis tamen quae ſuperſunt, ſequentes delegi, quarum poſtremae duobus foliis conſtantis alteram partem expiſcari nondum licuît.*

AN-

ANTONII LEEUWENHOEKII EPISTOLAE AD ANT. MAGLIABECHIUM.

EPISTOLA I.

Illuſtriſſimo, e Dottiſſimo Signore

LA gratiſsima di V. S. Illuſtriſsima del 27. di Maggio m' è capitata ſotto la Coperta dal Reverendiſsimo e Dottiſsimo P. *Papenbrochio*, a cui io per riſpetto delle corteſie in diverſi tempi, uſatemi, ſon obbligatiſsimo ſervidore.

Ho inteſo dalla ſteſſa ſua corteſiſsima, ch' il mio libretto, dopo il tempo di più che duoi anni, finalmente ſia pervenuto nelle mani di V. S. Illuſtriſs. e viſto con mio grandiſsimo contento, ch' ella ſi ſia compiacciuto di gradirlo, ch' ella ſi degna di ſcrivermi con eſpreſsioni tanto particolari di cor-

corteſia, e gratitudine, ch' io m' arroſsii di vergogna, ſentendomi preleggere la ſuddetta ſua corteſiſsima.

Reſto mentre infinitamente alle dette benigniſsime eſpreſsioni obligato. Viddi poi ch' il Sig. *Liebnits* foſſe contento delle mie ſemplici Oſſervazioni. Contra ogni mio merito, ho incontrato la ſteſſa fortuna con diverſe perſone illuſtri, che per cagione del viaggio del Re della Gran Bretagna, erano in queſto noſtro paeſe, e m' han fatto il favore di viſitarmi. Tra queſti mi favorì di quell' honore l' Altezza Elettorale di Baviera, e il Sig. Veſcovo di Londra. Ma per dir il vero a V S. Illuſtriſs. ſenza vantarmi, più volte m' incommoda la frequenza delle viſite, come un aggravio inſopportabile, mentre pochi ſi truovano capaci per poter conſiderar le coſe, come fa biſogno, che con grandiſsima attenzione vogliono eſſer oſſervate.

Mi profeſſo per più infinitamente obligato per lo favore, e fatica preſa da V.S. Illuſtriſs. nel darmi notizia dei trattati già fatti communi al publico, e di quei, che s' aſpettino. Vedo tra gli altri, ch' il Sig. *Ramazzini* ha dedicato a V. S. Illuſtriſs. un Diſcorſo ſtampato a Modena, trattando della Conſtituzione dell' anno 1690. (1) e delle

1 *Bern. Ramazzini de Conſtitutione anni 1691. ac de rurali Epidemia, quae Mutinenſis agri; ac vicinarum regionum colonos graviter afflixit, diſſertatio; ubi quoque Rubiginis natura diſquiritur, quae fruges & fructus vitiando aliquam caritatem Annonae intulit. Mutinae 1690.*

le afflizioni communi, che i popoli del Modoneſe, e dei Regioni vicini, gravemente han travagliati; per il che la natura, della *Rubigine*, overo dell' arſura nel Fromento, guaſtando i frutti, e grani qualche careſtia ha caggionata.

Non poſso far di meno, che de dire a V. S. Illuſtriſs, che nel meſe di Settembre dell' anno 1648. i noſtri prati erano quaſi ch' inondati da certa polvere roſseggiante, tutta fatto alla rubigine del ferro ſimigliante. E quando alcun per i detti campi paſseggiava, detta materia a noſtra viſta rubiginoſa, fu, dove il paſseggiante nell' herba inciampava, da detta herba come polvere ſcrollata. Queſto cagionò che nel vulgo generalmente ſi diceva, che l' aria ſopramodo era infiammata; e tanto più perchè aſsai gente da febre fu infettata, e perciò s' imaginava il vulgo, che quella polvere roſsa dall' aria ſopra l' herba o gramigna foſse caduta. Allora io ho inveſtigato la natura, e caggione di quella materia roſseggiante, e ſcritto ſopra quel ſoggetto alla Società Reale di Londra, da che ne mando un eſtratto, acciò che V. S. Illuſtriſs. poſsi vedere quel che io ne ho ſcritto.

'Quanto alla Febre, o Malatie inſeguite, giudichiamo, che il freddo, all' hora fuor del ſolito grande, e la traſcuraggine di molti, ch' andavano leggiermente veſtiti, habbiano in più vaſi ſanguiferi, e per lo più in quei, che vicini alla pelle eſteriore riſiedono, fatto conſolidar il ſangue, e così

sì in qualche maniera impedito la circolazione; da che un tocco più veloce, o forte del noſtro polſo, o cuore deve eſser cagionato, che noi chiamiamo una Febbre.

La mia intenzione, e ſtudio, è di ſtogliere il Mondo, tanto che mi ſarà poſsibile, da i ſuoi errori, et inſegnar me ſteſſo. Ho perciò indagato la generazione del dannoſo Vermicello bianco che viene nel Fromento, o Grano, quando ne i granari giace; et in che modo quel Vermicel dal Fromento potrebbe eſser ſcacciato, o rimoſſo. Noſtri Piſtori, e Mercanti di Grani, ſoſtengono che dalli letami vengi prodotto. Ma io ſuppongo ch' egualmente impoſsibil coſa ſia, ch' un cavallo, d' un mucchio di letame ſia prodotto, ch' una creatura dotata di mobilità (che noi chiamiamo ſpirito animale) ſenza generazione vengi avanti. Perciò m' è diverſe volte inſinuato, che io ſoſtenendo così fermo la generazione, doveſſi dimoſtrare il modo della generazione dell' Anguille; principalmente perciò che la maggior parte degl' huomini fermamente crede, che l' Anguille vengino ſenza il mezzo della generazione; come s' io doveſsi eſser capace, in caſo ch' io ſoſteneſsi tali poſizioni ſudette, per ſciogliere tutto ciò che circa detta materia mi foſse propoſto. Benchè il campo delle coſe fin ora nell' oſcurità naſcoſte ſi ſia ampio, e largo; niente di meno ho fatto alcuni anni già ogni sforzo per ſcuoprir, ſe foſse poſsibile, la generazione dell' Anguille, e porla avanti la viſta del Mondo. Perciò non ho tralaſciato da Febra-

braro fino a Luglio paſsati, di cercare nelle dette Anguille freſcamente peſcate, dopo d' aver già buttata via la ſperanza di poter mai ſcuoprire la ſuddetta generazione. Finalmente ho perſeverantemente aperto le matrici d' eſse, ch' io nel fine dell' anno paſsato per la prima volta havea ſcoperte, e con grandiſsimo mio piacere, più volte da eſse tirato le Anguilluccie giovani, tanto quelle che già erano arrivate a perfetta forma d' Anguille, benchè foſsero ben dieci milla volte minori ch' un groſso pezzo d' arena; quanto quelle che da una certa particella tonda cominciavan trasformarſi in una forma alquanto lunga, et augmentarſi in lunghezza.

Tra l' altre Speciarie ho eſsaminato il Pepe, e con contento ſcopertone il Sale, e da ciò mi ſono imaginato d' haver trovato la cagione della acutezza ſua ſopra le noſtre lingue. Queſte, et ancor qualch' altre oſservazioni ho deliberato communicar per mezzo della ſtampa, quando haverò avviſato, a cui m' indrizzarò, o vero dedicarò le mie ſudette fatiche.

Poi non ho ſcritte l' Oſservazioni mie, fatte da due anni, parte, perch' io le haveva fatte ſolo per mia particolar inſtruttione, et anche perchè vedeva, che la Società Reale di Londra ſtando in otio, non riſpondeva alle mie lettere. Il reſto del tempo ho impiegato nella fabrica d' alcuni Microſcopi, che mi mancavan ancora, per poter communicar ad altri quello ch' io veniva a ſcuoprir e vedere. Quì farò fine

per

per non faſtidirla più, mentre diverſe volte m' è riferito, da quei, che havean goduto l' honore della conſervazione con V. S. Illuſtriſs. ch' Ella come abonda in dottrina, et erudizione, così excelle in humanità, e corteſia, co' quale ella ſuol trattar i foreſtieri.

Quanto a me non deſidero, nè chiedo, che di poter vantarmi, con la buona grazia di V. S Illuſtriſs. d' eſser gradito, et anco grato ſervitore di Perſona tanto ſtimata, e famoſa. Due giorni doppo la recettione della gratiſſima di V. S. Illuſtriſs. mi trovai in converſazione col Sig. *Guglielmo Blaeu*, amico, e ſervitore di V. S. Illuſtriſs. come detto Sig. *Guglielmo* all' ora mi diſse. Doppo alcuni diſcorſi il detto Signore pigliò la fatica di preleggermi la ſua corteſiſsima in lingua noſtra volgare, e hebbe poi la corteſia di tradurla, e portar la traduzzione fin a Delft in caſa mia. Di più mi preſentò di metter la mia riſpoſta in lingua Italiana, al meglio che potrebbe, acciò che V. S. Illuſtriſs. non haverebbe la fatica d' incommodarne qualche altro. Accettai l' offerta, e ne mando la traduzzione della mia riſpoſta. Il Sig. *Guglielmo* riveriſce V. S. Illuſtriſs. et io reſtarò ſempre

Di V. S. Illuſtriſs.

Delft in Hollanda ai 18. di Settembre 1691.

Umiliſs. Devot. Servit.
Antonii Van Leeuvvenhoek.

EPI-

EPISTOLA II.

Litteras Tuas, Vir Illuſtri, ad me datas VIII. Idus Iulias per Rev. P. *Danielem a Papenbroek*, mihique gratiſſimas, iuſto debitoque tempore accepi; quoniam vero tum paratus eram ad iter in aliam regionem, hoc in cauſa fuit, cur non citius Tibi ad eas reſponderim, quam a d. V. Kalendarum Septembris.

Poſt illud tempus accepi humaniſſimas Tuas litteras, datas ipſis Nonis Iuniis, quas Cel. *Gronovius* per Vrbem noſtram iter faciens, quum ipſi non vacaret domum meam adire, per alium ad me miſit. Atque adeo quia hae tam ſero mihi ad manus venerunt, non citius ad eas reſpondere potui.

In utraque hac epiſtola, Vir Illuſtris, tam honorificis me cumulas titulis, ac tantopere extollis cum libri mei dedicationem Illuſtri Tuo Nomini factam, tum res eo contentas, ut non ſine pudore horum meminerim ego, ne milleſimam quidem meritus partem eorum, quae Tu de me, meiſque praedicare non indignaris.

Satis ſuperque ſane mihi gloriae acquiſitum cenſeo, ſi viles mei labores aliquo inter Eruditos habeantur, quibus in Inſtructiſſima Bibliotheca Ser. Ducis, nec non Eminentiſſimi Principis Cardinalis, locus concedatur, quod factum eſſe ex litteris Tuis didici.

Interim ſupplex Te oro, ut ſi quas in poſterum ad me dederis litteras, tantis nomi-

minibus, tituliſque me extollere ſuperſedeas, nec aliter ad me ſcribas, quam ad Civem mediocri ex loco natum, atque adeo in quem honorifici illi tituli minime quadrant: & hoc pacto multis me nominibus Tibi obſtrinxeris.

Nunc temporis 13. aut 14. Epiſtolae a me ſcriptae poſt finitam verſionem, ac impreſſionem praeteritarum, in Latinam vertuntur Linguam, ac imprimuntur: has ego impreſſas Tibi mittere denuo non dubitabo. Vale, Vir Illuſtris, & me ama.

Dabam Delfis Batavorum VII. Idus Septembris 1696.

EPISTOLA III.

MEnſe Septembri anni proximi elapſi Nob. Tuae litteris indicavi, quaſdam denuo a me ſcriptas Experimentorum Epiſtolas, e Belgico in Latinum verſas, ſub praelo ſudare, de qua re Nob. Tua mihi reſpondit, Te magnopere eas deſiderare.

Nuper vero accepi litteras Tuas gratiſſimas, cum impreſſa Epiſtola ad Tuam Nob. miſſa per ampliſſimum Dominum Medicum *Scaramucci*; in quibus inter alia agitur de *Sceleto Elephantico* petrificato in Saxonia reperto.

Quicquid ſit, ſentio cum iis, qui credunt, nec Oſſa, nec Conchas, nec Piſces ſub terra naſci; verum Orbem Terrarum multis mutationibus fuiſſe obnoxium: inde factum eſt, ut Montes, totaeque Regiones, in Mare ſint

con-

converſae, & contra alii montes e mari fuerunt exorti; ideoque non eſt, quod miremur viſcera montium, piſcium, concharumque in lapides fuiſſe converſa.

Nuper ante tres hebdomadas Hagam miſi quatuor volumina tradenda ampliſſimo N. A. *Birregen*, qui negotia Nobiliſs. Domini Magni Magiſtri Ordinis Teutonici Hagae Comitis curat, complectentia meas nuper Typis impreſſas Epiſtolas in Latinum translatas, precatus, ut compactorum exemplorum faſciculus mittatur ad Sereniſſimum Principem Electorem Palatinum. Huic praeterea in mandatis dedi, ut tres caeteri collecti libelli Tuae Nob. donandi mittantur Florentiam.

Supplex autem rogo quaeſoque Tuam Nob. ut unum e tribus libellis velit ſibi ſervare, alterum vero mittere ad Sereniſſimum Principem Magnum Etruriae Ducem, tertium vero ad Illuſtriſſimum Haereditarium Principem: ſpero in iis feliciter eo perlatis, nonnulla repertum iri, quae Doctis in Italia grata ſunt futura; & interim, Nobiliſſime, Doctiſſime Domine, Te valere iubeo.

Delphis 6. Iunii 1697.

EPISTOLA IV.

VTramque, Vir Illuſtris, epiſtolam Tuam; ad me datam in tempore accepiſſe me ſcias; atque ex earum altera didiciſſe, placuiſſe Tibi me (nil tale merentem) beare Libro

tantae molis (1), ut vix viginti quinque ei ſimiles in Orbe inveniantur, eoque inſuper nitidiſſime compacto; Te vero eum Librum commiſiſſe Nob. D. *Lucae Giambertio*, quem iam tum Duſſeldorpiam attigiſſe exiſtimabas.

Harum ego rerum certior factus, Duſſeldorpiam ad Nob. illum Virum ſcripſi, eum rogans ut Librum abs Te mihi donatum, committeret navi mercenariae, quae Duſſeldorpiam praeternavigans, Colonia Agrippina Dordracum Hollandiae oppidum tendere ſoleret, quoniam hoc pacto Liber ille mihi procul dubio ad manus veniret.

Ad haec reſpondit Vir Nob., & Humaniſſimus, litteris datis 19. Iulii 1697. D. *Lotti* Medicum Florentinum, iam ante biduum in Hollandiam profectum, ſeque eam arripuiſſe occaſionem, ut is Munus Tuum ad me perferret. Ex eo tempore in dies magno cum deſiderio Librum, eumque ferentem, at fruſtra expectavi; hactenus enim nec volam eius, nec veſtigium, non ſine magna animi aegritudine, reſcire mihi datum fuit.

Interim tamen infinitis me Tibi nominibus obſtrictum ex animo agnoſco, qui tanta erga me uſus fuiſti liberalitate, ac munificentia, cuius tamen effectis per infortunium meum, proh dolor! frui mihi non licuit.

Atque nihilominus benevolentiam Tuam in me incomparabilem, ex hocce iterum teſtimonio, abunde edoctus, maximas Tibi habeo,

1 Ex alia Epiſt. quam omiſimus patet fuiſſe: *Saggi di naturali Eſperienze fatte nell' Accademia del Cimento, ſeconda edizione. Firenze* 1691. in f.

beo, agoque, dum referre non licet, gratias, non minus quam ſi Munus Tuum, quo nunc careo, re ipſa accepiſſem; velim interim eum mihi illuceſcere diem, quo iuſtas Tibi exſolvere grates, non verbis, ſed factis, queam.

Citius quidem, Vir Illuſtris, ad litteras Tuas humaniſsimas reſcripſiſſem, ſed dum miſsum abs Te Librum expectarem, ut eo accepto gratum ſimul teſtarer animum, hactenus reſponſo ſuperſedere neceſſe habui.

Non parum etiam me Illuſtri Tuo Nomini devinctum fateor, ob communicatos mecum Librorum in Italia novorum titulos.

Ingenti denique me affectum fuiſſe, ſcias velim, gaudio, ubi reſcirem miſsos a me Tibi libellos, tanti apud Te habitos fuiſse, ut iis in Bibliothecis Ser. Magni Ducis, nec non Emin. Principis Cardinalis, locum dare non fueris dedignatus. Ob haec, aliaque omnia iterum, atque iterum Tibi ago gratias; ac Deum O. M. ſupplex veneror, ut Te in Rei Litterariae bonum, diu incolumem ſervet. Vale, Vir Illuſtris, & mihi, meiſque, ut coepiſti, favere perge.

Dabam Delfis Hollandorum poſtridie Kalendas Novembris 1697.

EPISTOLA V.

Litteras Tuas humaniſſimas, Vir Illuſtriſsime, ipſas mihi tradidit Reverendus *Pabenbrocbius*, eo tempore, quo mihi nuper, An-

ſuerpiae degenti, eius conſortio, doctiſſimiſque colloquiis, frui dabatur.

Ex his video Te mihi minime ſuadere, ut Viro illi Bruxellis agenti ullo modo rependam quas Libro (quo me beare nuper dignatus fuiſti) acquirendo impenſas fecisſe prae ſe fert. Caeterum, Vir Illuſtriſſime, obnixe rogatum Te velim, ne quem in poſterum adhibeas laborem, ut in Libri eius fata caſusve ulterius inquiras. Satis equidem, omnibus rite conſideratis, video eos, quibus haec res demandata fuit, non bona ſatis fide egiſſe, nec omnia ſeſe uti illi ferunt habuiſſe: nec id me fugit antequam ſolutio nummi aurei, quem *Piſtolet* vocant, per Nautam, (qui Bruxellis ſimul apocham, ne ſolutio differretur, afferebat) a me exigeretur. Nihilominus tamen eam pecuniam, ubi hoc modo exigebatur, ſumma animi cum lubentia expendi more eorum, qui pretioſum aliquod ſibi comparaturi κειμήλιον, nullis parcunt impenſis, quantumvis magnis, ut rem tantopere deſideratam poſsidere queant. Quid enim, quaeſo, hocce meo in caſu, exigua haec argenti (forte tantum fortuna a me expenſi) ſumma eſt, prae libro tam pretioſo, utpote cuius perpauci dantur ſimiles, eoque (quod ſummum eſt) dono mihi dato a Te, Vir Illuſtriſsime, quo, omnium Bonorum conſenſu, Doctiorem non habet Terrarum Orbis.

Quum igitur hicce caſus plane dependerit ab illo Medico, qui Librum illum mihi ſeſe traditurum ſponte ſua receperat, denuo Te etiam atque etiam rogatum velim, ne poſthac cogites de impenſis eam in rem adhibi-

hibitis: ſummopere enim contentus ſum munus illud, quod iam, ut perditum, deplorabam, tam facili negotio in meam veniſſe poteſtatem, mihique hoc pacto anſam datam coram omnibus gloriandi, tanti pretii librum, ab Tanto Viro, mihi, licet plane immerito, Florentia miſsum. Scias interim librum hunc tantopere ac tandiu iactatum, non niſi ex aliqua ſui parte parumper laeſum, ad me pervenisse.

Tandem maximopere me Illuſtri Tuo Nomini devinctum agnoſco, cum ob omnia Tua beneficia, & humanitates, tum ob communicatos tam benigne Doctorum Italorum recentes in re Litteraria foetus. Vale Vir Illuſtriſſime, & Doctiſſime. Vale aeternum, & mihi fave.

Dabam Delfis Batavorum a d. xix. Kalendarum Septembris 1698.

Finitis iam hiſce litteris accedit a me A. V. *Beuſecom* inter Anabaptiſtas Doctor, agens Goezae in Zeelandia, qui cum ſciret mutuum aliquando inter nos intercedere litterarum commercium (quod, ut opinor, didicerat ex Bibliotheca omnes libros recens editos recenſente, quae unoquoque bimenſi Rotterodami editur) me rogavit, ut res aliquot magna arte confectas, quas ſecum latas mihi exhibebat, Tibi, Vir Illuſtriſsime, hiſce notas facerem; ratus eas, utpote quas permagni faciebat, (licet ego lubens fatear me ineptum eſse ad iudicium iis de rebus ferendum) Tua cognitione haud eſſe indignas. Earum Catalogum manu eius exaratum hiſce idcirco incluſum vides. **.

EPISTOLA VI.

Literas Tuas humaniſsimas ſuo tempore, magna cum voluptate accepi, vidi, legique ex iis nova litteraria Italica, quae mecum communicare haud dedignatus es; avide etiam perlegi pagellas litteris incluſas, quibus narrabatur nobile ac admirandum illud inventum ſacci illius, qui pulverem nitratum ſibi incluſum ab omni vi ignis tam ſecure ſervare queat (1). Immortales Tibi, Vir Illuſtriſsime, pro tanta humanitate, in harum rerum communicatione mihi praeſtita, habeo gratias, agoque.

Caeterum haecce Tua erga me Benevolentia animos mihi addidit, ut viciſsim etiam Tecum communicarem aliquot Obſervationes, a me, in contemplatione minutiſsimorum animalculorum, quae in aquis noſtris inveniuntur, notatas.

Quum nuper certa quaedam animalcula, quae in foſsis agros noſtros ſecantibus inventum iri mihi perſuaſeram, ſedulo quaererem, varia quidem vidi animalcula, aſt neutiquam illa quae tunc temporis a me quaerebantur. Inter multa alia videre mihi contigit aliquot animalcula, quorum corpora per quam celerrime agitabantur. Moles horum animalculorum craſſum arenae granum circiter aequabat,

1 De hoc *Vin Coronelli* invento v. *Gisb. Cuperi Epiſt.* LIV. ad *Magl.* a nobis editam in T. I. huius Sylloges.

bat; corpora vero plane erant pellucida, adeo ut oculis liberum praeberent etiam in interiora aditum. In uno ex hiſce animalculis vidi, inter alia, corpuſculum pellucidum rotundum prope caput poſitum; quod etiam celerrimam in ſe habebat agitationem, dum modo aliquantulum dilataretur, mox vero contraheretur: partem hanc Cor eſse cenſui, caeterarum autem partium motum, qui etiam celerrimus erat, ab huius cordis motu dependere.

Quum in tali quodam animalculo octo novemve viderem particulas ſubvirides, ſtatim mihi incidit haſce particulas forte eſse animalcula, quae ubi nata forent, natitantia conſpicerem; quum vero animalculum ſupra memoratum poſtridie exſpiraſset, corpus eius aperui dum adhuc aquae innataret, quando non ſolum varia diſtincte vidi animalcula nondum nata, ſed & organa mihi apparebant quibus ad notandum uſa fuiſsent, ſi naſci natura illis dediſſet. Animalculum hocce tam lepide erat formatum, ut ſaepius illud non ſine admiratione intuerer; immo uſque adeo mihi eius forma ac conſtructio placebat, ut varia animalia magna, cum hoc animalculo comparata, rudis indigeſtaque moles merito videri queant. Hoc Animalculum prae alimenti penuria exſtinctum fuiſse mihi perſuaſi, quod viderem id exiguo temporis ſpatio aliquoties excrementa ſua eieciſſe, unde collegi id magna cibi copia ad ſui ſubſtentationem indigere. ** *Reliqua pars autographi deperdita eſt.*

CONr. Ruyſchius *Amſtelod. Vir ſpectatiſs. plures in Patria magiſtratus, ac praeſertim Conſulatum ſumma cum laude geſsit. In iuventute Italicum Iter peregit, &* Magliabechii *favorem expertus eſt, ut patet ex inſequentibus ipſius Epiſtolis, & ex illis quae* Heinſius *ad* Magliab. *ſcribit pag.* 189. *Tom.* I. *huius Sylloges. De eo* Iac. Gronovius *in Epiſt. ad* Magliab. *d. Lugd. Batav.* 9. *Iun.* 1679. *ait:* Ruyſchius Te ſalutari iuſsit antequam in Britanniam iret Comes Legato noſtro avunculo ſuo. *In alia autem d. Lugd. kal. Martiis, poſtquam fuſius gratum ſuum erga* Magliabechium *animum expoſuit, ſubdit:* ad eam cauſam plurimum adiuvat Ampliſs. *Ruyſchius*, Conſul Egregius, quem ex tot civibus Tuam benignitatem expertis, unum ſuperſtitem habeo, mihique amiciſsimum.

CONRADI RVYSCHII

EPISTOLAE,

AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Doctiſſimo omnique virtute Clariſsimo Viro
ANTONIO MAGLIABECHI
C. RVYSCH S. P. D.

NVllas in hoc uſque tempus litteras a me Tibi datas eſſe, continue meae peregrinationi attribuas, etiam atque etiam oro, & obteſtor, nullumque ex hac negligentia de obſequio meo erga Te, Venerande Peregrinorum Mecenas, malum omen capias, per Apollinem, & Muſarum omnium cohortem, non obſequendam Tibi, ſed obſequentem, ex toto corde, ex animo precor. Confiteor nihilominus, & Genuae, & Neapoli, & Romae, aliiſque

in

in itineris mei locis, epiſtolas conſcribi, & litteras dari poſſe; ſed nullo modo dubitare volo, quin inaudita Tua benignitate, & animo pluſquam generoſo, hunc meum defectum condones mihi, qui continuis utique ex amicorum interpellationibus, & notabilibus Vrbium locis viſitandis, impeditus fui. Litterae hae tradendae Tibi erunt ab Amico meo maximo familiari *Gerardo Meyder*, ut ex D. *Martino* audivi, tam Tibi noto, & tam propter Doctrinam non communem, quam egregias animi dotes, & amicitia veſtra, & protectione digniſſimo. Romae Amicum noſtrum *Albertum Bureer* cum animo in Patriam redeundi reliqui. *Spanhemius* Theologiae Profeſſor Lugd. in Batavis, methodo ſua facili nuper reſponſum in lucem dedit, & quidem lingua Gallica conſcriptum: etiam doctiſsimus ille *Spinoſa* cum epiſtola aliqua ſubtiliſsime partem egit ſuam, ut ex ipſo *Alberto* audivi, ſed & uno, & altero nunquam gaudere potui, & exinde curioſitati meae ſatisfacere. Oro ne brevitas huius epiſtolae Tibi offendat: Venetiae, & Bacchanalia ad diligentiam nihil faciunt. Vale, Vir famoſiſsime, & virtuti Tuae, & toto Parnaſſo, & Litterarum bono publico, & mihi, ſi vis ut valeam.

Venetiis 2. Februarii.

PI-

EPISTOLA II.

NEl punto della mia partenza di Venezia, mi è capitata nelle mani la corteſiſsima lettera di VS Illuſtriſs. ſcritta in Firenza li 8. di Febbraio. Non poſſo eſprimere la grandezza del mio piacere vedendo gli ſuoi gentiliſsimi caratteri, principalmente quando conſiderava, che Lei non ſi ſdegna di perdere un poco di tempo, nella ricordanza d' un' indegno, ma divotiſsimo ſuo ſervitore, la qual coſa mi darà nel avenire la libertà di faſtidire VS. Illuſtriſs. con gli demoſtrazioni del reſpettuoſiſsimo mio oſſequio verſo la Sua vertuoſiſsima Perſona. Ho parlato, e riverito in Padua il Signor *Ottavio Ferrari* della parte di VS. Ill. non havendo più tempo di ſalutare li altri Signori dichiarati nel iſteſsa ſua lettera. In Milano ritrovando il mio Riverendiſsimo Padrone il Signor Canonico *Settale*, ho ricevuto ordine di Lui di ſalutare humilmente VS. Illuſtriſs. della ſua parte la prima volta che ſcriverei. In Turino ho trovato il Signor *Meydero*, col quale ſpeſſe volte mi ſono dilettato nella dolciſsima memoria delle ſue infinite generoſità, e corteſle verſo di noi. Mi ha dato il Signor *Meydero* un certo libro di VS. Illuſtriſs. conſegnato al Signor *Gregorio Leti*, il quale non mancharo di dare ancora hoggi in nome di VS. Illuſtriſs.. Il ſudetto Signor *Meydero*, è ſtato fatto dalla Città di

di Brema Profeſsor matèmatico della loro Univerſità. Se VS. Illuſtriſs. mi vuol favorire con li ſuoi comandi, prego umilmente di mandare le ſue lettere a Genevra, ove ſarò ſempre pronto di obedire con ogni debito riſpetto alli minimi ſuoi cenni, mentre ch' io finiſco bacio reverentemente le mani &c.

Ginevra 25. Marzo.

EPISTOLA III.

Con l' occaſione, che ſi venderà una rariſsima Bibliotheca, ſono ſtato pregato di mandare a VS. Illuſtriſs. alcuni Catalogi per preſentare alla Sua Altezza Sereniſs. Spero che queſta mia libertà ſarà perdonata da VS Illuſtriſs. ſecondo l' ordinaria ſua generoſità, della quale ho ſentito tanti innumerabili effetti. Non sò ſe VS. Illuſtriſs. havrà ricevuto le nuove, che la profeſsione della Letteratura è ſtata offerta al Signor *Gronovio*, per farlo ſuccedere al virtuoſiſsimo ſuo Padre nella noſtra univerſità di Leyda. Prego VS. Illuſtriſs. di ricordarſi alcune volte d' una perſona, che ſarà per tutta la ſua vita, baciando umiliſſimamente le mani &c.

Leyda alli 26. Gennaro 1679.

EPI-

EPISTOLA IV.

IL Signor *Du Pont* Franceſe, ed un delli miei più chari amici in queſte Parti, paſſando per la Città di Firenza, non ho voluto laſciarmi ſcappare l' occaſione di mandare a VS. Illuſtriſs. queſte poche dimoſtrazioni dell' eterno mio oſſequio verſo la vertuoſiſsima Perſona di VS. Illuſtriſs. e pregarla nel medeſimo tempo di honorare il ſudetto Amico con le ſolite ſue corteſie, e generoſiſsima bontà verſo li Foreſtieri. Sia ſecura VS. Illuſtriſs. che m' obbligarà non ſolamente, ma m' accumularà gli infiniti beneficii, che ho ricevuto d' Ella. Finiſco baciando con ogni riverenza le mani di VS. Illuſtriſs. reſtando ſempre &c.

PE-

PEtrus Francius *cuius inſequentem tantummodo Epiſtolam invenimus, Poeſeos Prof. fuit in Amſtelodamenſi Academia, & plura ingenii ſui ſpecimina dedit. Nonnulla de ipſo teſtimonia hac illac ſparſa extant in duobus biſce Tomis* Epiſtol Claror. Belgarum. Iac. *tamen* Gronovius *parum ei favit, ut apparere poteſt ex eius Epiſt. ad* Magliab. *d.* 3. *Sept.* .... *Ait enim. Francius* Amſtelodami ſubito mortem aptus eſt, in quo Literae quidem noſtrae nihil amiſerunt, ſed iactantia, & inanis arrogantia egregium ſui ſpecimen. *Fatum eius Bibliothecae MSStis Codicibus refertiſſimae, v. T. 1. pag.* 106.

PE-

PETRI FRANCII EPISTOLA AD ANT. MAGLIABECHIVM.

Perilluſtri Viro

ANTONIO MAGLIABECCIO

Bibliothecae Laurentianae Praefecto Eruditiſſimo

S. P. D.

PETRVS FRANCIVS.

CVm plurimis me litteris Tu honoraveris, Vir Illuſtriſsime, & crebra Tuae erga me voluntatis ſigna oſtenderis, ac quicquid a me eſset profectum libenter . . . . Te velle ſignificaveris, non potui recentem Poematum meorum editionem(1) non ad Te mittere, & amantem iſtiuſ-

mo-

1 *Petri Francii Poematum alia editio, cui acceſſerunt Graeca eiuſdem Carmina. Amſtelod.* 1697. in 8.

modi mercium, ſi quiſquam eſt alius, & intelligentem. Quare ut amoris iſtam erga Te mei teſseram, & amicitiae mutuae ſignificationem accipere ne recuſes, ſummopere a Te peto, ac poſtulo. Adiuxi exemplar quod Sereniſsimo Principi, meo, ſi placet, nomine tradi, & offerri curabis. Non id facere ſuſtinuiſsem, nec tantum aut mihi arrogaſsem, aut Tibi oneris impoſuiſsem, niſi ita fieri oportere iudicaſset ampliſſimus *Blavius* (1), cuius mihi iudicio, ac voluntati obtemperandum putavi. Addidi breve carmen, quo gratias ago Optimo Principi pro acceptis . . . xeniis cum Florentiam olim . . . . . & coram ipſo Principe, Illuſtriſſimo Redio hunc mihi favorem conciliante, brevem Orationem haberem. Hiſtoriunculam iſtam paullo Tibi planius explicare me debere credidi; quoniam obſcuriuſculum alioquin futurum videbatur carmen. Vale Vir Doctiſsime, & Illuſtriſſime, & communi rei Litterariae diu, ac longum ſuperſis. Amſtel. a d. VIII. Quintil. 1697.

Iaco-

(1) *Petrus Blavius*, cuius Epiſtolas nonnullas edemus.

IAcobus Voorbroeck *ſive ut appellari maluit* Perizonius Ant. *Fil. Groenigenſis, cuius unicam Epiſtolam invenimus, magnam ſibi eruditionis fama comparavit ob multa praeclaraque ingenii monumenta, quae publici Iuris fecit. Inter ea ſunt* Diſſertationes Philologicae de Originibus Babylonicis, & Aegvptiacis *excuſae Lugd. Bat.* 1694. in 4. *&* Adnotationes ad Fran. Sanctii Minervam, *quarum in hac Epiſtola mentio incidit. Acres inter ipſum, &* Iac. Gronovium *Lites obortae ſunt ex occaſione verbi ἀπάγχεσθαι, quo* S. Lucas *Evang. utitur in deſcribenda* Iudae *morte. Eapropter non omnino aequa eſt ſententia, quam de Cl.* Perizonii *meritis ſuperius pronunciavit Gronovius variis in locis ſuarum Epiſtolarum; quibus addere poſſumus ſequentia ex alia Epiſt. d. Lugd. ad Rh. die* 20. *Iulii.* Interim, *ait*, labore uno depoſito alter me occupat; & quia in hac Defenſione (a *Fabretii* Criminationibus) non poteram praeterire inſultantem notam Collegae mei *Perizonii* ad *Aelianum*, quin patefacerem errores; ille contumacia uſus, vindicavit ſeſe libello contra eam ſcripto acerbe ſatis, ſed admodum facili ad repellendum, quod debebo facere. Sed ſupervenit haec res mihi inopinanti, quia iſtum hominem tunc quum Daventriae agerem, ambientem me recepi in amicitiam, & ubique commendavi; cuius meriti hoc pretium fero, ut ſic calcitret. Verum ſatisfaciam omnibus, niſi quod magnopere mirer tam facilem hominum mutationem. Qui-

bus enim pluribus viis etiam laedere me conatus fuit, vix poſsum Tibi explicare. Vtinam *Graevius* communicare mecum voluiſset ea quae de eo noverat, tunc quum huc vocatus fuit, quae nunquam ego audiveram, & ipſe tamen optime ſciebat. *In rixa hac litteraria* Gisb. Cuperus *a partibus* Perizonii *ſtetit, ut conici poteſt ex eius* Epiſt. *XXXVIII. ad* Magliab. *a nobis edita in T. 1. huius Sylloges pag.* 105. Graevius *autem pacem inter eos conciliare annisus eſt, idemque ſategit in alia non minus acri lite, quam* Perizonius *ſub* C. Valerii Accincti *nomine latens* Petro Francio *indixit. V.* Graevii Epiſt. ad Magl. *a nobis editas in T. 1. huius Sylloges pag.* 312. *&* 330. *Qui plura de* Perizonii *vita ſcire deſiderat, conſulere poteſt eius* Elogium *editum in* Actis Eruditorum Lipſ. A. 1716.

IACO-

IACOBI PERIZONII

EPISTOLA AD ANT. MAGLIABECHIVM.

Viro Excellentiſſimo

ANTONIO MAGLIABECHIO

S. P. D.

IACOBVS PERIZONIVS.

Singularis adeo eſt Tua comitas, quam omnes ex Italia reduces praedicant, ut dudum Te intra animum coluerim quam maxime, & ignotus licet, ignotum de facie amaverim tamen impenſe. Virtus ceteroquin Tua & Eruditio etiam in ultimis hiſce, & ad Septentrionem remotis locis eſt celeberrima. Neque aliter poteſt ſe res habere, quum unus ferme, certe cum paucis aliis, foveas ſtudioſe,

& in Italia veſtra lubentes detineas Muſas. Sed quid Italiam dico? Vbique frigent fere Liberalium Artium, & Antiquitatum ſtudia. Tanto autem magis decebat eos, qui ſe iſtis adpliquerunt mutuo ſe invicem amore & cultu proſequi. De me Tibi perſuadeas velim, nihil mihi iucundius, nihil optatius eſſe, quam Tuam ad amicitiam admitti, quem ſcio omnium diſciplinarum, quae ingenium hominis acuunt & ornant, patronum eſſe, & fautorem vel praecipuum. Ea eſt Tibi apud Nos nominis laus & exiſtimatio, ut inter Doctos cenſeri non mereatur, qui Te non ſuſpiciat, & veneretur. Lubens itaque arripui hanc occaſionem, quae cum maxime mihi offerebatur, quum tantum quod edidiſſem *Babylonica & Aegyptiaca*, ut ea mei in Te animi, ſtudii, & obſervantiae pignus mitterem; ut ea mitterem, inquam, ad *Ant. Magliabechium*, cuius Nomen Reip. Literariae Principem ſignificat. Nec aſpernaberis pro humanitate Tua hominem, qui hoc qualicunque officio declarare voluit, quanti Te faciat: ſatis ero votis damnatus, ſi benevole accipias id ipſum, quo aditum mihi ad Tuam patefacere volui amicitiam. Dedam me iam edendis quartum meis ad *Sanctii Minervam* Notis, quarum exemplaria dudum deſiderantur. Aſt ea cura, & iudicatio non longi erit ſubſellii: exquirere tamen debeo, & examinare ſententiam *G. H. Vrſini*, Germanicae gentis, qui mea ſaepius ad ſui iudicii limam exegit, modo approbans, modo refutans. Tu vero, Vir Ampliſsime, literis favere perge, & *Peri*-

zo-

zonium in Tuis, Tibique addictis numera. Vale longum, & ſi videtur, me viciſsim ama.

Lugduni in Batavis a d. VIII. Kalendas Sextileis MDCCXI.

DE Philippo Rulaeo *Viro Eruditiſs. praeter ſuperius tradita*, *haec adnotavit* Iac. Gronovius *in Epiſt. ad* Magl. *data Daventriae Kal. Sept.* 1677. Quum haec abſolviſſem, letabili vulnere animam meam percellit nuncius de morte *Philippi Rulaei* noſtri, qui cum ante quinque hebdomades de Te mirificos ſermones habueram. Profecto eripiuntur mihi omnes quos habui amiciſſimos, & etiam vae ſtudiis, vae *Linio*: prae moerore vix haec addo, quae ad Te pertinere putavi. Sincerus enim erat virtutis ac meritorum cultor.

PHI-

PHILIPPI RVLAEI EPISTOLA AD ANT. MAGLIABECHIVM.

Viro Supra Laudem

ANTONIO MAGLIABEQVIO

PHILIPPVS RVLAEVS

S. P.

CVm a vobis, Vir Eruditiſſime, literarum columen, & decus, non aliter animati eramus, ac infantes, qui ab uberibus ſinuque matris avelluntur: ita ſi quidem nos faſcinarat vaſta illa Tua doctrina, morumque candor incredibilis, & ſtupenda humanitas; accedebat Vrbis veſtrae ſplendor, & venuſtas incomparabilis; at praeſertim Laurentiani Gazophylacii memoria, quo fiebat, ut ſtrigantibus noſtro iuſſu equis, multoties reſpiceremus, dum liceret gratiſſima

loca oculis uſurpare; licet non tam in amoenitate locorum lumina noſtra, quam animi in cogitatione relictorum in Te, & in Vrbe veſtra tot ingentium bonorum defixi, haererent. Atque hoc quidem cum altius memoriae noſtrae infigat ſingularis Tua erga nos benevolentia, ſane indignius nihil eſſe poteſt, quam huius rei, & gratitudinis noſtrae, necdum quicquam teſtatum eſſe literis meis, quod cum apud omnes teſtatiſſimum velim quam maxime, Tibi etiam taceri non oportuit; quamquam malim ego meae beneſactorum Tuorum conſcientiae apud alios tacite ſatisfacere, quam illam ambitioſe apud aures Tuas praedicare. Vix igitur habeo quo excuſem, me iam per duos, & quod excurrit, menſes, in patria reducem obſediſſe, antequam vel literulam gratae memoriae teſtem ad Te exaraverim; ut non ſine cauſa rubore ſuffunderer, quotieſcumque Tui recordabar: recordabar autem quando vel Italia veſtra, vel Reſpublica Litteraria in mentem veniret; maxime cum ex ſermonibus vel litteris Doctiſſimi *Gronovii* noſtri, intelligerem, Te ſemper etiam mei in literis Tuis benigniſſimam mentionem facere. At vero quae Tua eſt erga amicos facilitas, audeo ſperare, ut in aliquam excuſationis partem admittas; quod toto illo tempore conſanguineis, & amicis opera danda fuerit, a quibus vix dum vacare mihi licet, quorum ſatis magnus eſt numerus, & vage per has oras diſperſus; illique dum me reducem videre, & audire geſtiunt, ut eſt horum hominum genius curioſitate nimia laborans, ideoque importunus ſaepe, ego blan-

dae

dae illorum violentia (quae *Gronovii* maior felicitas eſt) reſiſtere nequeo, quin & facile iis obſequor, & dum praeſentibus me totum do, nihil magis in proclivi eſt, quam ut debitis erga abſentes officiis detraham: adde his impedimentis negotiorum quorumdam, & praecipue rerum domeſticarum curam, quapropter domo aliquoties abeſſe debui, fratre meo ſene, & ob graviſſimos calculi dolores Vrbe noſtra non excedente. Quare licet non omnem negligentiae culpam a me amolior, ita nolim exiſtimes diuturnum hoc ſilentium ex ingrato animo & Tui, Tuorumque beneficiorum oblito, profectum eſſe, cum nulla re magis glorier, quam me uſum aliquem virtutis Tuae, & humanitatis habuiſſe, laudeſque Tuas nulli taceam; atque ideo omnium in exteris regionibus amicorum merito primus es, apud quem officio hoc literario defungor, licet vix dum ab amicis vacare liceat, & cras etiam foras ſim profecturus Lugdunum, ubi dies ſecularis inſtitutae Academiae, preſente Principe *Auriaco* (cui Ducatum Gelriae oblatum, ſed ab ipſo declinatum forte iam accepiſti) celebrabitur Conſtrinxit me ne ulterius literas haſce retraherem ſeria *Gronovii* noſtri admonitio, qui hac hebdomade nobiſcum fuit, quemque diligentem officii mei erga Te appellatorem habeo. Atque eam ob rem dabis veniam, Virorum eximie, tumultuariae ſcriptioni, & quod cum maxime plura non addam; cogor enim deſinere. Vale Vir magne, negligentiam meam boni conſule, meque inter nominis Tui cultores admitte. Har-

lemi

lemi a d. VII. Id. Februar. 1675. ex Aedibus Paternis.

Labbeum Tuum proximo vere ad Te mittam. Doleo ſerio ſimultatem illam inter Te & P. *Noriſium* nondum deſiiſſe (1): cum ego illius humanitati multa debeam, nec ſine aliqua ingratitudinis nota, officio literario apud illum deeſſe poſſim, quod tamen praeſtare niſi bona cum Tua gratia nolim. Quaeſo Te, Virorum optime, meminiſſe velis, nihil generoſum animum & Chriſtianum magis decere, quam iniuriarum obliviſci. Vale iterum.

Io-

1 V. quae adnotavimus ad *Henr. Noriſii* Epiſtolam ad *Paulum Marianum* pag. 200. T. I. *Epiſtol. Clarorum Venetorum ad Magliab. &c.*

IOANNIS DIEPENBROUCHII EPISTOLA AD ANT. MAGLIABECHIVM.

Molto Illuſt. mio Sig. Padr. Colend.

MEmorè de' moltiplicati favori ricevuti da VS. durante il mio ſoggiorno coſtì per Fiorenza, ſono a reiterarne le devotiſsime gratie, che le ne rendo ſin da Roma, & a ſignificarle, che con ogni diligenza ho mandato alli Signori *Abraham Berkelius*, & *Iacobus Tollius* le due *Oſſervationi dell' Ecliſſe Solare*. Il primo m' ha fatto onore d' una riſpoſta, in cui mi prega di ſupplicar VS. a nome ſuo di compatirlo, ſe fin' ora non ha replicato alla ſua favoritiſsima lettera, non avendolo permeſso il tempo; ma che ora cambiatoſi haverebbe preſo l' ardire di ſtabilire con più ſodo fondamento, così grata, & avantaggioſa corriſpondenza. In ordine al ſuo

ſuo *Stefano* (1) accenna eſſerſi l' opera molto avanzata, e non reſtarvi altro che venticinque quaternioni; fatiga creduta da lui terminabile in un Anno: ſono incaricato d' inviarle il preſente eſemplare, con dirle che oltre queſto gli ſiano avanzate cento facciate, aſſicurando VS., che il ſudetto Sig. *Berkelius* venerá la di Lei perſona con ogni immaginabil riſpetto. L' altro Sig. *Tollius* m' impone con particolar mia ſodisfazione, di recapitarle la quì accluſa, e lo fo conforme al mio obligo: in eſſa preſuppongo uſerà queli li

1 *Abraham Berkelius* diuturnam ſedulamque operam collocavit in recenſendis, & illuſtrandis *Stephani Byzantini Gentilibus per Epitomen*, ſive *de Urbibus* Libro. Eandem provinciam ſuam fecit *Iac. Gronovius*; & cum in Italia eſſet, vetuſtum *Stephani* Codicem in Biblioth Abbatiae Peruſinae adſervatum diligenter contulit cum impreſſis. Ea propter Eruditi hi duo Viri ab aemulatione, quae ſola laudabilis fuiſſet, ad implacabile odium proceſſere. A partibus *Berkelii* ſtetit *Daniel Coſſonius*, & lapidem omnem movit, ut *Berkelius* variarum Lectionum Codicis Peruſini compos fieret: *Gronovius* autem pluriſariam conatus eius eluſit, nec paſſus eſt *Magliabechii* opem ad eam rem quidquam illi prodeſſe. *Berkelii* tandem mors victoriam *Gronovio* peperit. Siquidem viduae ſuaſu *Stephani* editionem a *Berkelio* ante octodecim annos incohatam ad umbilicum perduxit, pro lubitu ſuo exornavit, & Peruſinis lectionibus locupletavit. Confer, quae ſuperius pluribus in locis ſcripſerunt *Gronovius* & *Coſſonius*; praeſertim vero pag. 31. 179. & 306.

li termini che convengono tra Voi altri Signori Virtuoſi . Finiſco con pregarla caldamente di valerſi di me ove mi troverà habile, e di credere, che viverò ſempre mai con ſingolariſsimo affetto, & ogni debito riſpetto

Roma li 27. Giugno 1685.

Divotiſs. & Obbligatiſs. Servitore
Gio: Van Diepenbrouc

HAdrianus Relandus *Prof. P. in Academia Vltraiectina*, *Litterаturae Orientalis peritiſſimus*, *praeter alios elegantiſſimos ingenii ſui foetus*, *quorum in ſequentibus Epiſtolis mentionem facit*, *magnam apud Eruditos gratiam conſecutus eſt ob ſplendidiſſimam Palaeſtinae deſcriptionem*, *quam edidit hoc titulo*: Hadriani Relandi Palaeſtina ex monumentis veteribus illuſtrata: Tom. II. Traiecti Batavorum ex Libraria Guiglielmi Broedelet 1714. *in* 4. *cum Tab. aeneis*. *Proxime inſequentem eius Epiſtolam nobiſcum perhumaniter communicavit Vir Cl.* Ant. Franc. Gorius *Hiſtor. in Flor. Lyc. Prof. Pub. ſimul cum nonnullis aliis*, *quas* Ant. Franc. Marmius *D. Steph. Eques ipſi olim commodaverat*.

HADRIANI RELANDI

EPISTOLAE

AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Illuſtri Viro

ANTONIO MAGLIABECCHIO

ADRIANVS RELANDVS S.

QVum his diebus in animum induxiſſem Marmora nonnulla Arabica, quae Puteolis ſervari dicuntur, in ſermonem Latinum translata orbi exponere, nihil mihi prius agendum putavi, quam ut Tibi ſtatim ac prodiiſſent, mitterentur. Tu enim is es, quo nemo magis his deliciis capitur, & cuius eruditionis, & humanitatis fama adeo Te notum, & clarum in his oris reddidit, ut ipſi Italiae notior eſse non poſ-

Digitized by Google

poſſis. Eadem ego Tua humanitate fretus hanc *Diſſertationem* Tibi offero, cui adiunxiſſem *Diſſertationes tres de Nummis Samaritanis* nuper a me editas, niſi faſciculi moles nimium excreviſſet: quare eas commodiori occaſioni ſervo. Proxima hebdomade praelo committam *Compendium Theologiae Mohammedicae* Arabice & Latine; ſubiungamque *Diatriben de nonnullis quae falſo Mohammedanis adtribuuntur*. Curabo ut & illud ad Te, data occaſione deferatur. Nunc vero his literis addidi ἔκτυπα Nummorum quorumdam ex Cimeliarchio D. *du Bary*, Amſtelodamenſis, qui per 18 annos in Hiſpania moratus, rariſſimos Coloniarum Romanarum Nummos ſecum in Patriam reportavit (1): Selectos ex iis aeri incidi curat, quorum hoc ſpecimen eſt. Cl *Clericus* Epiſtolam addet de interpretatione Nummorum quorundam Punicorum; ego de eiuſdem Cimeliarchii Nummis Arabicis. Neſcio an videris Cl. *Renferdii periculum Palmyrenum*, quod integra explicatione *Inſcriptionum Palmyrenarum* augebit. Intra paucos dies prodibit *Mappa* mea *Geographica Perſiae hodiernae*, ex ſolis Arabum & Perſarum Tabulis concinnata, quam & ipſam Tibi mittere vellem, niſi vererer

me

1 *Iac. Gronovius* in Epiſt. ad *Magl* data 3. Sept., quam omiſimus, ait: *Nihil mirabilius per has ferias vidi, quam Amſtelodamenſem Civem nomine* Bardy, *aut* Barry, *qui ante annos* 18. *miſſus in Hiſpaniam inter Mercatores adminiſtravit Conſulatum in Vrbe Hiſpali, & quum rerum Graecarum, Latinarumque eſſet imperitus, attamen*

eos

me mole faſciculi Tibi moleſtum fore. Quare quum ad me ſcribes, mone qua occaſione haec & alia ad Te curari queant. Cl. *Sikius*, quem noſti, proxima hebdommade in Angliam contendit, at Comes *Huntengdoniae*, cui viae ſocius erat, diem in Anglia obiit. Salutant Te Cl. *Burmannus*, Collega meus, & *Koolius*. Vale, Vir merito Tuo Celeberrime, & me inter Tuos numera. Scribebam Traiecti ad Rhenum a d. IX. April. 1705.

P. S. Ad me ſcripturus titulum Epiſtolarum dato: *A. Reland, Profeſſor der ooſterſe Taaler, T. Utrech.*

EPISTOLA II.

NEſcio fere qua de cauſa reſponſum ad humaniſsimas litteras Tuas tamdiu diſtulerim. Nunc una cum Cl. *Burmanno* has ad Te exaro, & duo exempla libelli mei nuper editi mitto, quorum unum ſervabis Tibi, alterum data occaſione, ni grave ſit, traſmittes ad Cl. *Fontaninium*, qui Emin. Cardin. *Imperiali* a Bibliotheca, Romam. Nunc viciſsim Tibi quaedam nova litteraria indicabo.

eos ibi nummos veteres collegit, ut Gazophylacium poſſideat, cui par nullum in his terris eſt, propter & copiam, & raritatem, praeſertim quum interea & de illis docte diſſerere addidicerit: & ego plurima brevi momento inde ſcitu digna accepi. Confer quae de eadem collectione ſcripſit *Cuperus* ad *Magl.* in Epiſt. a nobis editis T. I. huius Silloges.

Prodiit apud nos *Ennius cum notis Columnae*, *Merulae* &c. in 4 quae nitidiſsima eſt editio, curante *Heſſelio*, Profeſſore apud Roterodamenſes. *Pollux* etiam cum notis *Kuhnii*, & *Iungermanni* 2. vol. in folio, cui etiam ſuas adiecit *Tob. Hemſterhuſius* Philoſ. Profeſs. Amſtelodami. *Phaedrus* cum notis *Hoogſtratani*, qui metrum accuratius quam ante edidit in 12. *Croeſii Homerus Hebraeus* in 8. cuius ſcopus eſt oſtendere ab *Homero* non exordium Trojae, aut ſimile quid, ſed expugnationem Terrae Sanctae, Duce *Ioſua* narrari. Sic initium ex gr. Μῆνιν ἄειδε Θεὰ ipſi eſt, *Hiericuntem cane Dea*, quod *Iericho* a *Iareach*, *Luna* Grece Μῆνις ſonet; quae meo iudicio portenta ſunt opinionum. *Hulſii Melchizedecus*, quem Semum fuiſse opinatur, addiditque Mythologiam veterum ex Sacra Scriptura deſumtam, ita ut *Abraham* pater multarum gentium in praeputio iuſtificatus ſit *Priapus*, *Balaam*, *Marſyas* &c. *Spanhemii de uſu & praeſtantia Numiſmatum* Tom. I. in folio ſpiſſum volumen. *Biblia Sacra Hebraea* edente *Ev. Vander Hoogt*, prodierunt in hac Vrbe. 2. vol. in octavo. Non puto unquam correctius textus Hebraei exemplar prodiiſſe, tam accurate omnes apices obſervati ſunt, & tanto ſumtu eſt editum. *Saluſtius* brevi in Anglia Cantabrigiae prodibit, edituro *VVaſio*, Viro mihi amiciſsimo & ſocio Collegii Reginae, ad quem decem MSSrum Codicum collationes tranſmittam: duos Codices iam miſi. *Horatius* cum notis *Bentleſii* nondum prodiit: at ipſe Poetae textus iam excuſus eſt. *Iamblicus de Vita Pithagorae* cum notis *Ludolphi*, *Kuſteri*, vel Neocori

(eiuſ-

(eiuſdem qui *Suidam* edidit 3. vol. in fol.) praelo poſt paucos dies ſubiicietur. *Catulli* & *Tibulli* novam editionem molitur Amſtelodami *Broukhuſius*, idem qui *Propertium* edidit. *Bocharti* opera apud nos recuduntur.

Brevi & ego σὺν Θεῷ edam alteram partem harum *Diſſert.* ſi Tibi & aliis Viris doctis illas non diſplicuiſſe intellexero.

Habitat in hac Vrbe, & mihi amicus eſt *A. Van Dam* qui Smyrnae olim Conſul fuit: his ſaepe literas a Principe veſtro accipit. Forte poſſes illa occaſione uti, ut & ad me, & ad Cl *Burmannum* literae Tuae deferrentur. Sed liberum hoc Tibi ſit. Vale Vir Celeberrime, & me ama Tui amantiſsimum. Rogo, ut mihi ſignifices omnes titulos, & dignitates quibus *Fontaninus* noſter gaudet. Vale iterum.

Traiecti ad Rhenum Id. Aug. 1705.

EPISTOLA III.

DVo ſunt potiſſimum, quae Te rogatum volo. Typis deſcripta eſt *Palaeſtina mea*, cuius Tibi exemplum, mittere conſtitui: verum neſcio qua ratione id ad manus Tuas commode, & tuto pervenire queat. Tu ſi viam mihi indicaveris, id continuo accipies. Alterum eſt quod in MSto Catalogo Bibliothecae D. Laurentii in Vrbe veſtra, ſcamno 28. legerim Codicis MSti hunc titulum.

Theonis Smyrnaei commentarius de rebus Mathematicis ad Platonis explicationem &c. in

quibus extant Faſti Conſulares ab Imperio Antonini Iunioris uſque ad extinctam Conſulum dignitatem exacte ſcripti in 4. charta bombycina.

Faſtos illos Conſulares ſolos vellem aut a Te ab alio Viro perito deſcribi, & mihi mitti. Poſſunt unius diei ſpatio deſcribi, & epiſtolae ad me mittendae includi. Quod quo citius fiet, eo mihi erit gratius. Suſpicor illos Faſtos iam eſſe editos a *Dodwello*, & ita inchoari

Μετὰ τὴν Βασίλειαν Ἀντονίνε
Ἀντωνῖνος τὸ δ' καὶ Ἀλέξανδρος ... δα σπβ.

Quod ſi ita ſit nihilominus velim illos mihi accurate deſcribi. Nulline alii Faſti MSti latent apud vos? quicquid horum eſt, mihi erit gratiſſimum. Vale Vir Humaniſſime & me ama.

Traiecti ad Rhenum Idibus April. 1714.

P. S. Vbi ſunt Faſti *Maffeiorum* a *Pagio*, & a *Turre*, aliiſque laudati, & nondum editi?

Velim etiam primas voces mihi deſcribi, et ultimas Codicis MSti in Catalogo Medicaeo, inſuper ord. Cod. II. fol. 4. pergam, cui titulus: *Chronicon collectum a Georgio Hamartolo, a principio Mundi uſque ad mortem Rom. Imp.* Extat & in aedibus *Salviatorum*.

WIL-

WILHELMI GOESII EPISTOLAE AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro Domino

ANTONIO MAGLIABECHI

WILHELMVS GOESIVS

S. P. D.

PLurimum cum Tibi debeam, & propter ſingularem illam Tuam humanitatem, qua *Robertum* filium meum, excepiſti, & propter benevolum illud iudicium, quod de ſcriptis meis Te ferre intelligo, ferreus plane eſſem, ſi non his tangerer, nec ullum grati animi darem ſignum. Praeſertim cum illa huius ſaeculi infelix ſors ſit, & condi-

tio, ut non bella ſolum, pluſquam ullo alio, perſtrepant hunc Orbem noſtrum, verum etiam livor, & invidia ita laxatis dominentur fraenis, ut obſit etiam hic ingenii atque eruditionis edidiſſe ſpecimina, quod Parentum memoria & honori & laudi ſummae fuit. Ab exteris igitur ſi reporto, quod fruſtra expectem a meis, quo pacto non grato agnoſcam animo tam grande beneficium? Sed Tu rem facis Florentia non inſuetam, quae iam uſque a renatis litteris omnis eruditionis, & elegantiae fuit domicilium; nec *Coſmi* Optimi Principis, litterarumque Patroni, miniſtro indecoram, qui etiam benigne de iis iudicas, qui conantur in litteris proficere. Cui benevolentiae, ut aequum eſt, cum reſpondere nequeam, mitto tamen *Pilati Iudicis* (1) mei duo exemplaria. Qui ſi perlectus Tibi non diſplicuerit, & oculis ſi Magni *Coſmi*, Principum praeclariſſimi, dignus iudicatus fuerit, ut offeras, rogo, eius Serenitati alterum e duobus exemplaribus, ſimulque ut verbis meis gratias, quas poteris, agas maximas, quod *Robertum* meum, iuvenem adhuc imperitum, & rudem, ad conſpectum, & alloquium ſuum admittere dignatus ſit. Rogoque ſimul, ut ei ſignifices, nomen eius ſemper apud me, ut debet, in ſummo futurum honore & exiſtimatione; nihilque me exoptare ardentius, quam ut par ſim, admirari digne illius virtutes, quae ut ſunt, merito praedicantur ſummae. Vale, Vir Clariſſime, ſimul atque Eruditiſſime, & diu

1 *Wilelmi Goeſii Pilatus Iudex. Hagae Comitis per Io. Zongerloo* 1677. in 4.

& diu bono litterarum vive ſuperſtes. Scripſi Hagae-Comitum die XII. Martii Anno MDCLXXVII.

EPISTOLA II.

VTraeque litterae Tuae recte mihi redditae ſunt, unae octavo, alterae decimo huius menſis Septembris, ſed ut poſteriores biduo anteverterint priores. Vt autem eas inſpexi, certe me detinuere attonitum profuſiſſimae cum laudes, quibus me ibi adſpergis, tum gratiae mihi quas ſupra modum agis: Eum enim me eſſe ſentio, cui nec tot, ac tantae, nec omnino etiam ullae deberentur. Scis etenim Te, nullo a me provocatum beneficio, imo ne verbo quidem, multa benevolentia excepiſſe *Robertum* meum, cum apud vos ageret: Atque ita Tu is es, qui ultro in me beneficium contuliſti, cui ego ne quidem digna reſpondi, nec ut digna reſpondeam, par unquam ero. Qui enim prior tribuit, beneficii, & benevolentiae palmam alteri praeripit, cui paria ne quidem faciat poſterior, etiam ſi plura numero reddat, quam acceperit. Quapropter, quod Tu etiam addis de mittenda *Hiſtoria Bartholomei Scalae*, de ipſo oſtendis Te non me ſolum beneficiis velle vincere, verum etiam obruere, cum nihil quod contra mittam nunc ad manum ſit, nec quicquam propediem proditurum ſciam Tua eruditione dignum. Sub prelo ſudat quidem duplex *Stephani* editio *de Vrbibus*, quarum unam procurat *Abrahamus Berkelius*, alte-

ram Hebraeus quidam Amſterodamenſis: ſed de quarum neutra quid boni ominantur qui tam huius, quam illius pagellas ſeſe inſpexiſſe dicunt. Verum habet *Theodorus Rikius* Profeſſor Leidenſis notas *Lucae Holſtenii* in eumdem Auctorem, quae non eſſe eruditiſſimae non poſſunt: Eas *Elzevirium* in folio exprimendas recepiſſe nuperis a me ſuis ſignificavit mihi idem *Riikius*, ſed antequam in publicum prodeant eae *Holſtenii* notae multum intercedet: ſiquidem ante initium hiemis, hoc opus non auſpicabitur Typographus. Sed perquiram diligentius, an non ſit aliud his in oris, cuius editionem promptius expectare liceat (1), ut eius Te faciam compotem.

Caeterum quod utriſque Litteris mones, ſi quid reſponſi a Sereniſſimo Duce deſiderem, neceſſe eſſe, ut ad illum prius quid dem litterarum, eo nomine Te amo plurimum. Nam cum ego *Pilatum* meum ad vos mitterem, in eo eram, ut nihil reſponſi a tanto Principe homo exterus, & Tranſalpinus ſperare auderem. Verum cum tantam etiam eius humanitatem mihi narres, ut etiam reſponſum mihi ſperare liceat; en exaravi aliquid litterarum, ſed paucis, cum non aequum videatur Principes Viros qui publica tractant longis ſermonibus morari. Volui autem eas litteras Tibi patere, ut ſi quid in iis commiſ-

1 *Lucae Holſtenii notae, & caſtigationes poſthumae in Stephanum de Vrbibus. Scymni Chii Fragmenta, edente Theod. Ryckio, cuius acceſſit Diſſertatio de primis Italiae Coloniis. Lugd. Bat.* 1684. in f.

miſſum putes, ſupprimas potius, quam ut inani garrulitate indignationem provocem Principis Optimi. Vale Virorum Eruditiſſime, & Clariſsime, & ut credas velim me ſingularis iſtius humanitatis, qua me proſequutus es, aeternum futurum memorem nihilque magis mihi eſſe in Votis, quam ut Tibi commodiſque Tuis inſerviam. Iterum Vale. Hag. Comitum xi. Sept. 1677.

EPISTOLA III.

VNdecimo Septembris reſpondi binis litteris Tuis, quas decimoquarto, & decimoſeptimo Florentia ad me dediſti, quibus & meae erant inſertae ad Ducem Sereniſsimum. Poſt iis item, quibus rogatus ut Epiſtola *Antonii Monforte* perveniret ad manus *Chriſtiani Hugenii Conſtantini* filii, iis ſignificavi me protinus eam tradidiſse non Filio, cum quo mihi nulla intercedebat familiaritas, ſed Patri, ea tamen lege, ut redderet filio quod & factum fideliter. Nam paucis interiectis diebus, venit ad me filius, ſignificans eam ſe epiſtolam perlegiſse, de cuius tamen determinationibus ſuam mihi non aperuit ſententiam. Propoſitionum autem autorem aiebat ſe ſe ignorare, & ipſas eius generis eſſe, ut non admodum difficulter illarum ſolutio inveſtigari poſsit, & ut ex ſolutione unarum ex his, pateret aditus ad ſolutionem reliquarum. Sed exhibuit ſimul mihi tres propoſitiones alias, manu ſua exaratas, quas puta-

tabat plusculum difficultatis continere, & propterea plusculum etiam operae, & acuminis requiri ad illarum diſſolutionem. Ipſum autem autographum ad Te mitto, ut de illo ſtatuas quidquid Tibi viſum fuerit. Delectabuntur forte eo quaeſtionum genere, qui ſubactum in Mathematicis habent ingenium; verum ego me harum rerum rudem fateri cogor, qui in prima Iuventute aliis rebus animum meum applicavi, & novas nunc hac provecta aetate auſpicari cum aliarum iactura, vix conſultum videtur. Attamen ſi in hiſce, aliiſve mea opera Tibi utilis eſſe poſsit, rogo enixiſsime, ut idipſum ad me perſcribere ne graveris. Reipſa enim comperies, neminem eſſe, qui pluris faciat *Antonium Magliabechi*, quam &c.

Hagae 12. Novemb. 1676.

EPISTOLA IV.

QUandoquidem plurimae in via intercidunt litterae, meas tamen poſtremas redditas Tibi eſse ſane gaudeo, vel eo maxime nomine, quod ex his cauſam intellexeris, ob quam Duci Sereniſsimo reſpondere non potuerim. Quam ubi ex Te intellexerit, ut iam intellexiſse opinor, abſolvet, ſpero, eius me Clementia a negligentiae, & ingratitudinis culpa, quarum cauſas hic procul a me abeſse deceat. Veſtrae vero litterae, quibus iſtis meis reſpondes, ut ſint redditae, multo tamen ſerius quam oportuit, redditae mihi ſunt. Quam ob rem ne mireris velim, ſi

ſi nunc demum gratias Tibi agam pro humaniſsimis illis & multa rerum optimarum relatione refertis: ut quae exhibent omne id Rei Litterariae, quod Italia veſtra vel iam parturit, vel ſaeculo & amplius ſuppreſsum, diſcuſsis tenebrarum repagulis in lucem prodire feſtinat. Et utinam in iis etiam eſsent ea quae inedita reliquit *Gaſpar Scioppius*, quae morte *Pierucii* iam dominum mutarunt. Retineo enim, ante multos annos intellexiſse me ex *Iſaaco Voſsio*, exaraſse eum *Etymologicum* ſatis ingens: quod ut homo fuit Linguae Latinae ſcientiſsimus, non maximo rei litterariae bono divulgari non poſset. A *Belgio* noſtro ut ſimile quid expectes, fruſtra ſis, in quo poſt ſpem pacis, ut videbatur, praeſtantiſsimae, maior belli metus exurgit, quod ſemper Litteris fuit exitioſum. Habes tamen hic ſpecimen Notarum, & caſtigationum *Lucae Holſtenii* quas in publicum daturus eſt *Theodorus Ryquius* Profeſsor Leydenſis. *Conlectanea* ipſe conſcripſi in *Suetonium*, non qualia eruditorum deſiderant aures, ſed ſtudia exigebant Filii mei natu minimi, cui ego hoc quicquid laboris eſt impendi. Quapropter ſi ea Tibi eximii iudicii & ſummae eruditionis Viro non miſerim, non eſt quod mireris; ſed mittetur, quoniam ita deſideras. Effigies mea prima quae dabitur, occaſione. Maior enim cum ſit quam ut Tabellario committi poſsit, feres proculdubio aequo animo rem iſtam in aliud reiici tempus. Sed cum Pictoribus noſtris non ea ſit peritia, veſtros ut oculos ad ſe trahere, vel detinere queat, rem me ſcio miſſurum nul-

nullius exiſtimationis, niſi quam ei Tua benevolentia conſtituerit. Oportebat quidem ut maiora Tibi exhiberem, quoniam mihi mittere dignatus es *Hiſtoriam Scalae*, cum variis libris aliis; quamvis ad manus meas ea necdum pervenerint. Officii enim mei eſt non minorem eo nomine Tibi referre gratiam, quam ſi iam tradita mihi forent. Benignitatis enim Tuae ut fuit ea mittere, ita ut vel tuto, vel brevi huc appellerent, in Tua ſitum non fuit manu. Intercedit enim hic & aliorum fides, & ipſius etiam Dei auras tempeſtateſque pro arbitrio gubernantis favor: quem & in his minimis agnoſcere hominem quemlibet aequum eſt. Vale Vir Praeſtantiſſime.

Hagae Comitum XIII. Iulii An. 1678.

D. *Monfortii* Problema, litteris Tuis inſertum, ipſi *Chriſtiano Eugenio* in manus tradidi, qui mihi ſignificabat ſeſe ad iter Gallicum accingere.

Si impoſterum ad me aliquos laturus es litteras, rectius forte curabuntur ſi ita eas inſcripſeris:

A. Guillaume Goes, premier conſeiller en la Cour de Hollande, Zelande, & Friſe. à l' Haye.

EPISTOLA V.

Litterae quas quarto Octobris ad me dediſti recte ſuo tempore curatae ſunt, ſed negotiorum multitudine, quae undique me circum-

cumſtrepunt, factum eſt quod iis nunc demum reſpondeo. Gratias ago, cum quod illam *Othonis* effigiem (1) elegantiſsimam miſeris mihi, tum quod ſignificaveris *Paulum Rycaut* in eo eſse, ut vobis exhibeat Statum Graecorum (2), pro ut ſe habet hoc tempore. Nihil enim eſt, quod magis videre velim, quam Gentis quondam ſupra omnes alias glorioſiſsimae infelices reliquias, ab eo praeſertim ſcriptas, qui teſtis oculatus, & qui eam rem tractet cum gratia, & dignitate. Nunc nil mihi ad manus eſt, quo par Tibi reddam; ſi quid enim recenter in lucem prodierit, hoc ſuperioribus meis totum exhauſtum eſt. Vnicum quod reſtat hoc eſt, ut ſignificem exiguum me faſciculum commiſiſſe Navarcho Anglo, cui nomen *Georgius Edger* navi quam vehit *S. Georgius*: devehet eam vero Liburnum, tradetque faſciculum illum Mercatori Belgae *Io: Gabe*, a quo in tempore curabis exigi. Inſertus autem eſt iſti faſciculo *Hortus Malabaricus*, de quo in meis Superioribus, & *Pinedi Stephanus*, cum effigie mea depicta ante decennium

1 Adludit ad Tab. Aeneam, in qua repraeſentatur Numiſma *Othonis* Imperatoris, exhibens ex una parte *Othonis* caput laureatum, cum epigraphe IMP. M. OTHO CAE. AVG. alia vero coronam lauream cum S. C. in medio. Ad calcem adiecta eſt ſequens explicatio. *Othonis praeexcellentiſſimus nummus hic accurate impreſſus, magnitudinis, ac conſervationis in Europa uſque adhuc ignotae, Io: Dominici Theupoli Patritii Veneti cimelium nobiliſſime exornat.*

2 *Paul Rycaut: The preſent State of the Ottoman Empire &c London.* 1670. f.

nium, qua tum me optime referebat; quo velim nomine eam ſuſcipias, non artificio. Sed neſcio qua mea factum ſit oſcitantia, quod non mea addiderim in *Suetonium coniectanea*, quam tamen alia emendare occaſione decretum eſt &c.

Hagae Comitum 10. Nov. 1678.

Quandoquidem penultimis Tuis mihi indicaſti errorem unum ac alterum in *Urſati Hiſtoria Patavina*, proximis indicare non nihil ſtatui, quod obſervaverim in eius *Monumentis Patavinis*, in quibus multus eſt in corradendis iis, quae iam ab aliis dicta, obſervataque ſunt, cum ſileat ut piſcis in iis, quibus vindice opus eſt. Comaedias agere, eique actioni intereſſe, negant Theologi noſtri licere. A veſtris hac de re diſputatum.

EPISTOLA VI.

Octiduum eſt, quod *Iacobi Gronovii* Frater poſtremas Tuas mihi reddiderit litteras, die exaratas Octobris ultimo, quibus Comitem *Urſatum* non diiudicandum cenſes ex ſuis *Monumentis Patavinis*, cum plurimam ſuam eruditionem expreſſerit lingua Hetruſca, cum ſoluta, tum ligata oratione. Cui Tuo iudicio ut iure meritoque plurimum defero, ita velim exiſtimes, me non tam eſſe temerarium, ut de toto *Urſato* iudicium feram, qui eius nihil viderim, praeter illa ipſa *Monumenta*, quae publici iuris fecit anno aetatis, ſi illi ipſi fides adhibeatur, trigeſimo quarto. Poſt quem exi-

exegit plus quam annos viginti quinque, quibus quin plura & limatiora dare potuerit; quis negabit? Verum ut me intra illa *Monumenta* contineam, ut me dicere patiaris rogo, eum non ſemel in levibus ſubſtitiſſe, ex quibus extricaret ſeſe, qui acumen, licet non uſque adeo ſubtile adhibeat. Veluti non videtur intellexiſſe quid ſignificent, quas tacitus praeterit, hae litterae, quae ſunt pagina 66.

·MON·H·M·N·S·

DIS· MANIB·

Valent autem nihil aliud, quam, MONVMENTVM, HOC, MANIVM NOSTRORVM SACRVM DIS MANIB. Nam ſepulchrum eſt *Domus Manium*. Vnde & eſt apud Virgilium: *Id manes credis curare ſepultos?* Sic nihil ad id, quae exhibet pag. 69. num. 51.

VNA· H· SVPERSTITI

TI· P· QVINTILLVS

VIX· DOLORE· V·

ET· S· H· M· P· C·

Non autem aliud valet haec Inſcriptio, quam: VNA HORA· SVPERSTITI· TI· P·

QVIN-

QVINTILIVS · VIX · DOLORE · VIVENS ET · SATVR · HVMANITATIS · PONI · CVRAVIT. Ponitur autem hic *humanitas* pro ipſis hominibus, ut & verbum illud uſurpari apud *Apuleium* notavit *Elmenborſtius*. Pagina autem 249 mentem ſuam proferre veretur de Inſcriptione, quae ibi eſt quinta, his litteris

L · M ·

E · SEX · L · H ·

IN F · P · XIIX ·

IN A · P · XXXII ·

Significant autem haec

LOCVS · MONVMENTI ·

E · SEXTA · LINEA · HORARII

IN FRONTE, &c.

Tantundem auder pronuntiare de his litteris ſingularibus, quae reperiuntur in Inſcritione ſequenti: Q · Q · V · P · L · eſt autem, QVO QVO · VERSVS · PEDES L · id eſt quinquaginta. *Quoquoverſus* id eſt tam in fronte, quam in agrum. Pagina 279. non perſpexit illud Inſcriptionis fragmentum non recte ſuppletum eſſe a *Scardeonio*, qui & illud ipſum exhibet pagina 62. & rectius, mea ſententia, ita reſtitueretur.

ET.

ET · HVIC · AREAE · QVAM . A · LATERIBVS
ET · A . FRONTE · MACERIA · CIRCVM
POSVI · VLTRA . EAM · AREAM · ET ·
MACERIAM · IN · FRONTE · PED · · · ·
VERSVS · LATERA · PED · X · RETRO · VSQVE · AD
CANABETVM · HVIC · AREAE · ACCEDENT · &c.

Omitto quod hic infelix ſit verborum interpres, dum explicare laborat, quid ſit MACERIA, CANABETVM, PEDATVRA. Sed ne ſim longior unum, ac item alterum hic tantum adtexam Exemplum. Pagina 277. qua ſexto loco extat Inſcriptio, ita ſupplenda, ſive interpretanda videtur.

MISSVS · EX · PRETORIANIS ·
SPECVLATOR
AVGVSTIS · VOTVM · SOLVIT . L · M ·

Pagina 319. Inſcriptio ſecunda ſic.

QVAESITAS · FATO · ME
LIORE · FILIAS · NEQVIORE
SVBITO · MISELLAS ·
IN · PERPETVVM · DEPOSVIT · NON FILIAS ·

Haec ergo ita, niſi quid diſſentis, conſtituenda. De reliquis autem eius Viri ſcri-

ptis, quae non vidi, Iudicium non fero. Et de Hetruſcis, ſive Toſcanicis, licet vidiſſem, Iudicium non ferrem tamen, cum eius Linguae mihi non vindicem peritiam Quapropter quanta quanta eſt eius Viri exiſtimatio per me perſtabit illibata.

Quod reliquum eſt, pro novellis quibus iſtae Tuae litterae ſunt refertae, quas Tibi debeo, gratias ago maximas; *Antonium* autem *Borremannum* quod noſse exiſtimas, id ita non eſt, ut qui eius *Varias Lectiones* non viderim. Cum quo mihi res fuit, *Franciſcus* eſt *Burmannus*, Profeſſor Vltraiectinus &c.

Hagae 13. Dec. 1678.

EPISTOLA VII.

FOrte noſtris Canicularibus animi relaxandi gratia abieram in Plagam Hollandiae Borealem, agro foecundam, cultu nitidam, & venatui leporum, perdicumque ſatis commodam, ut quae tot foſſis & aquilegiis non interceditur, quibus interciditur auſtralis. Poſtquam ergo quaquaverſus ea regione, illinc me Domum recipio peragrata corripuit me in medio itinere febris vehementiſſima, atque in ipſo initio ita me afflixit, ut non ſine ſummis difficultatibus Hagam in Domum meam fuerim deductus. Advocati Medici, & quidem exercitatiſſimi, nam & in iis fuit veteranus, qui ultra quinquaginta annos medicinam fecerat, renuntiant liberis meis morbum lethalem eſſe; ſed ea tamen, quae ars permittit, adhibe-

bent remedia. Quibus Deo ſavente effectum eſt, ut duarum ſeptimanarum ſpatio morbi ſevitia domata ſit, & mox ſenſim magis magiſque decreverit. Sed ita demum, ut ne nunc quidam plane priſtinae reſtitutus ſim valetudini. Febricula enim continua, quae me huc uſque tenet munia ſolita me obire non ſinit. Interea duae mihi a Te redduntur litterae, quarum utriſque inſertus eſt tractatus accuratus *de Oculi Anatomia*, quo nomine plurimum Tibi debeo: redditus & ille eſt librorum faſciculus, de quo toties in litteris Tuis facta mentio, quemque ego magno diu expectavi deſiderio. Exſolutum vinculis Bibliopege tradidi, ut libros compingat, & veſte decora induat. Erat faſciculus ille quidem ſuo tempore delatus ad *Petrum Muſſaet* Mercatorem Amſtelodamenſem; ſed curaturum ſe, ut ad manus meas ille perveniret, receperat *Daniel Elzevier* civitatis eius Typographus: quod adeo non praeſtitit, ut neglecto eo officio, abierit etiam in Gallias, & reverſus Domum, quod initio debuit tandem praeſtiterit. Vt huius morae culpa in hunc recidat ſolum. Vbi a bibliopego receperim *Sealam* libroſque alios, dabitur opera ut quantum per valetudinem licet, eos perlegam, & poſt de his, ſi Deus volet, plura. Nunc autem Virorum Clariſſime, & Celeberrime, Vale, & Salve.

Hagae 28. Novem. A. 1679.

EPISTOLA VIII.

Ante triennium corripuit me, reducem ex Hollandiae Borealis regione morbus ſatis vehemens, & periculoſus, qui me plures menſes lecto afflixit. Sed ubi reconvaleſcere coepi, iſtius meae afflictionis per litteras Te feci certiorem, deinde etiam aliquot menſium intervallo, ſi recte memini, binas inſuper ad Te direxi Ad quas cum nihil reſponſi tulerim, alterutrum ut factum ſit oportet: aut nimirum ut meae illae, aut Tuae quibus reſpondiſti mihi, in via perierint neceſse eſt. Hoc enim mihi tam perſuaſum eſt, quam quod maxime in Te tantam negligentiam, non cadere, ut ad tot meas nihil reſponderes. Propius ad illud vitium accedo ego, qui receperim ante plures menſes poſtremas Tuas, quibus nihil hactenus repoſui, cum tamen reſcribendi materiam praeberet humanitas Tua, qua non miſiſti tantum *Geminiani Montanari*, & *Antonii Simonis Obſervationes de Cometa*, ſed ſignificaſti etiam, commiſiſſe *Adriano Haleregh* librorum faſciculum, quem mihi traderet. Vt enim ille hoc praeſtiterit minime, nomen tamen illud ego agnoſco, proque eo me Tibi debitorem, ut aequum eſt, conſtituo. Verum hoc rogo, ne ſilentium tam diuturnum in malam vertas partem, neve ex contemptu, qui a me abeſt longiſſime, factum velis interpretari. Nam dum ampliorem expecto ſcribendi materiam, qua iuſtum explerem epiſto-

lae

lae modum, inopinanti tot praeterfluxit temporis, & poſt tot ſpatium, vel nunc vix quid ſuppetit cognitione Tua dignum, quod ad Te perſcriberem. Addam tamen bibliopolae Leidenſi traditum eſſe *Voſſii Commentarium in Catullum*, ſatis locupletum, ut qui imprimetur in quarto: tum Oxonii in folio prodiiſſe novam *Cypriani* editionem cura Epiſcopi Oxonienſis, qui cum pluribus membranis textum contulit, & obſervationibus ſuis poſt *Pamelium*, & *Rigaltium* illuſtravit. Operi autem praemittuntur Annales annorum 13. quibus *Cyprianus* inter Chriſtianos verſatus eſt. In Calce autem non tantum addentur *Cypriani* ſuppoſititia, ſed & *Arnoldi Carnotenſis* Abbatis Bruevallenſis opera, quam prius edita ſunt auctiora. Sed forte Tu me ipſo ſcis haec & prius, & melius, qui de huiuſmodi rebus per totam Europam exerces commercium cum Viris Litteratis. Mihi vero, ut non vacat in res iſtiuſmodi anxie inquirere, ita ad me ultro delatas ſummopere amplector. Quamvis enim munus obeamus, quod totum requirit hominem, nihilominus tamen me non delectari diffiteor, quoties ad me defertur rei litterariae quidpiam quo ea fiat illuſtrior. Et ut impenſe faveo illis omnibus, qui in illam curam incumbunt, ita Te non maximi facere non poſſum, quem omnes literatos ferventi ſtudio amplecti, & video & agnoſco. Habes hic, amiciſſime *Magliabechi*, reſponſum ad litteras Tuas, niſi quod nondum reſponderim deſiderio Tuo *de Conjectaneis* meis *ad Suetonium*, quorum exemplar Tibi lubens mitterem, ſi vel ſupra unicum mihi aliud ſuppe-

teret. Sed cum ſcriptum illud ſit extemprarium, recudendum, & auctius, & accuratius duxi, atque id ubi prodierit, Tu inter primos eris, cuius Cenſurae ipſum committam. Vale, virorum Optime, & in bonam partem interpretare cuntationem noſtram, quam ſenile vitium eſſe non ignoras.

Hagae 25. Martii A. 1683.

EDVARDI HOLTHENII
EPISTOLA
AD ANT. MAGLIABECHIVM.

Vir Celeberrime

PEr Principis Sereniſsimi ſingularem gratiam, mihi cum liceat Regiam eius Celſitudinem adire, Eamque per liſteras venerari, Te per illas non ſalutare non potui. Nam diu eſt quod ego *Graevio* viduatus, quo vix ullum mihi habui, dum in vivis eſset magis familiarem, deſideraverim Te mihi parare amicum, ac ſic damnum ſarcire, quo ſum mactatus. Eum in finem, ut literarum inter nos inſtituatur commercium, de rebus, librifque quibusdam minus vulgaribus, Tecum agere auſpicabor. Praeter Romanorum priſcorum utenſilia, Vrnas, Nummos, Marmo-

raque, quae a puero plurimi feci, eſt mihi Teſtitudini inſiſtens ex aere elegans Ibys roſtro ſerpentem tenens. Huius caput ſupra avis verticem adſcendens, deſinit in exiguum candelabrum, aptum quod tenuiſsimam ceream accipiat. Qui antiquam meam ſupellectilem ſubinde ſpectatum veniunt, dementis Aegypti Idolum cenſent. Eos ego ridere ſoleo. Sum enim certiſsimus Indorum templo eſse ereptum, cum Batavi Inſulam ſibi ſubiicerent Formoſam. Quid ergo ſtatuere vetat Indiae Populos paria feciſse cum Nili accolis? At quorſum hi Ibyn Teſtudinis impoſuere dorſo? Eris mihi, Vir doctiſsime, magnus Apollo, hoc ſi dixeris. Vir quidam mihi amiciſsimus ex China, ubi Legatione erat functus, in patriam redux me donavit Chinenſium circulo ex ſerici rubentis filis, quae globulos tranſeunt ligneos perfecte rotundos centum & decem Hos qua arte faber reddiderit ex ſolido, & duriore ligno cavos, equidem me cum ignariſsimis ſcire profiteor. Globulorum duo, ex diametro ſibi invicem oppoſiti, reliquis ſunt maiores. Alter undique exornatur floribus, alter Chinenſium icunculis ſeptem virilibus ſatis affabre exculptis. Reliqui pauciores oſtentant eadem arte elaboratas Chinenſium imagines minores. Singuli ſingulas hiſtorias mihi repraeſentare videntur. Alter duorum maiorum me docet Chinenſes, uti hoc Catholici ſolent, ad numerum globulorum ſuas preces recitare. Nam inter icunculas ſeptem, quae illum ambiunt, una eſt, ex cuius brachio dextro dependet figura circuli. Me bearis, Vir celerrime, ſiquidem ſcripſeris,

& quis

& quis Patrum Societatis Ieſu, qui omnium optime res noverunt Chinenſium, illas globulorum hiſtorias, preceſque explicaverit, quas Chinae incolae ad eas dicunt. *Is* qui me illo circulo ditavit, cum ante triennium vivere deſiiſſet, ego a defuncti vidua mihi, & alia Chinenſium cimelia comparavi. Eſt in iis aſſula ligni, quod petrae induit naturam, adeo ut comburi igne non poſsit, & quod mihi ſingulare admodum videtur, altera eius pars carbone atrior eſt, altera albicat, coloreſque tam multum diverſi non ſenſim, ſed abrupte mutantur. Vti autem haec aſſula arguit, & Chinae regionem habere aquas, in quibus ligna iniecta miram patiuntur metamorphoſin, illi Niobes ſimilem, ita, & in eadem naſci lapidem Amiantum, Chinenſenque edoctos ex eo lintea texere, mihi probant, quae habeo Amianti fragmenta, ex Amianto Salamandra; nec non linteolum, quod iam ſaepius flammis iniectum ſeſe oſtendit ἄσβεστον illud, de quo *Plinius* aliique bene multa. Idipſum facit ut credam, non quod imperitiores de Romanis, ſed quod de Indis perhibet *Alexander ab Alexandro Genialium dierum*. lib. III. cap. VII. *Eos Regum funebres tunicas, quo cineres cremati a reliqua favilla diſtincti iaceant, ex licio, quod igni non abſumitur, conficere*. Neque enim mihi probabile ſit, Chinenſes in alios uſus ex Amianto lapide eius generis lintea texuiſse: noſtrum enim eſt rudius, filique craſſioris. Tu vero quid ſentias, Vir celeberrime, equidem ſcire deſidero. Sed ad libros quoſdam adſcendamus.

Licet, Vir Clariſsime, haereſes, atque adeo haereſiarchas oderim, horum tamen ſcripta ſtudioſe indago, ut probe ſciam, quid ipſi, quidque de illis ſcripſerint alii, quos fere deprehendo multum diverſa iis tribuere. Id agens inveni *Iulii Caeſaris Vanini Amphitheatrum aeternae Providentiae Divino Magicum, Chriſtiano-Phyſicum, nec non Aſtrologo Catholicum* impreſsum Lugduni MDCXV. & quidem cum quaduplici approbatione. Id meam Bibliothecam exornat, ſi hominis Athei monumenta quidquam illi adferre poſsint ornatus. Alterum eiusdem auctoris librum *de Natura Dea Reginaque rerum*, in praeſentem uſque diem fruſtra quaeſivi Sed quae ratio eſt, quare *Vaninus* iſte, qui ſeſe *Iulium Caeſarem Vaninum* ſcripſit, ab aliis ſcribatur *Lucilius Vaninus*, & Italorum more *Lucilio Vanini?* Incidi praeter omnem expectationem in hominem, qui duo poſsidet Volumina *Serveti* illius, quem *Calvinus* XXVI. Ottobris CIↃIↃIIII. igne reddi in favillas curavit. Vtrumque volumen eſt magnitudinis octavae quam vocant: Alterum inſcribitur: *De Trinitatis erroribus libri ſeptem, per Michaelem Serveto, alias Rebes ab Arragonia Hiſpanum* Anno MDXXXI. impreſsum. Alterum hanc habet Epigraphen: *Dialogorum de Trinitate libri duo. De iuſticia Regni Chriſti capitula quatuor, per Michaelem Serveto alias Reves ab Arragonia. Hiſpanum Anno* MDXXXII. impreſsum. Notatum a quodam repperi eo anno, quo periit *Servetus*, non tantum iſtos libros, quos modo deſcripſi, ſed alios eſse editos: ſunt hi ſequentes: *Chriſtia-*

ſtianiſſimi inſtitutio, in qua continentur, de Trinitate Divina quod in ea non ſit inviſibilium trium rerum illuſio, ſed vera ſubſtantiae Dei manifeſtatio in verbo, & communicatio in ſpiritu, libri VII. De Fide & Iuſtitia Regis Chriſti, legis iuſticiam ſuperantis, & de charitate libri III. de regeneratione ac manducatione ſuprema, & de Regno Anti-chriſti lib. IV. Epiſtolae XXX. ad Ioannem Calvinum. Signa IX Regni Anti chriſti & revelationum eius iam nunc praeſentis. De Myſterio Trinitatis ex veterum diſciplina ad Philippum Melanchthonem Apologia. An horum exemplaria ſunt in Regiae Celſitudinis Bibliothecis inſtructiſsimis? Intra pauculos admodum menſes hic prodibit vaſtum illud *Gruterianarum Inſcriptionum* opus: Illi limando, poliendoque iam per ſexennium, & quod excurrit incubui. *Spanhemii Diſſertationes de uſu & praeſtantia Nummorum*, multo prioribus auctiores, iam prodierunt in Anglia. Quid Italia, quid Florentia protulit aut novi, aut antiqui? At ego manum de tabula, & Te, Vir Celeberrime, valere iubeo.

Traiecti ad Rhenum III. Kal. Mart. CIↃIↃCCVI.

Tuus & ad omnia Tua promptus paratuſq.
Eduardus Holthenus.

BIBLIOTECA

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

ACademia Ricovratorum. 161. *Fundatur*. Ibidem.
Allatius, *Leo*. 223.
Almelovenius Strabonis editionem perficit. 294.
Alphen, *Van*. *Eius laus*. 26.
B. *Ambroſii Camaldul. Hodoeporicon*. 129.
Ammianus Marcellinus cum Gronovio. 190.
Anatomia artifiziale dell' occhio. 114. *Cuius fetus*. Ibidem.
Antoninus Liberalis cum Berkelii notis. 316.
Apollodori Fabulae. 78.
Apologema Iaſithei, *ſive Raph. Fabretti*. 265.
Appendix ad Velſerum. 173.
Aproſiana Bibliotheca. 69.
Aproſius, *Iac. Gronovii amicus*. 46.
Auguſta Hiſtoria. 198.
Auguſtinus de nominibus propriis. 192.
Averanius, *Benedictus*, *Graecae Linguae Profeſſor*. 192.

Bar.

B

Barry, Iacobi, Collectio Nummorum Ant. 216.
Bartholini, Oculi Anatomes. 114.
Basnagii, Iac. Dissertationes. 160.
Bayle, Petrus. Dictionaire. 258.
Bechii, Frid. Opera. 173.
Belgii Res Literariae. 386.
Bellini, Laurentius commendatur. 285.
Berkelius, Abraham 306. Eius Notae ad Antoninum Liberalem. 316. Alia Opera. 179. Eius mors. 164.
Beuseeom A. V. Anabaptistarum Doctor. 357. Magliabechium permagni faciebat. Ibidem.
Bexelius Magliabechium eruditum esse negavit. 208.
Bibliotheca Aprosiana. 69.
Bibliotheca Botanica, cuius fetus. 284.
Bibliotheca Gesneri. 296.
Bibliotheca Nocoleri. 340.
Bibliotheca Malfitana. 244.
Bibliothecae Gudianae Catalogus. 197.
Boxhae, Petri Pauli, Dissertatio de Serpente Aeneo. 76.
Boselli, Hieronymi, Aureliani lapidis explicatio. 276.
Brenkmannus, Henricus. 232 Eius Epistolae. 323. Adversa Valetudo. 327. Iter. 325 326.
Bulifon, Ant. Ragionamenti. 212.
Burmannus, Petrus, Graevii collega. 109. Eius Epistola ad Ant. Magliabechium. 289. Petronii editionem parat. 290. 255. Fontanini amici-

citiam deſiderat. 293. *Catalecta Veterum Poetarum locupletare molitur.* 285. *Eius Comment. in Val. Flaccum.* 297.

C

Calckbernerus Conſul. 20.
Callimachus cum Graevii notis. 330.
Capponius, Ferrantes, Piſani Athenaei moderator. 4.
Cebetis Thebani Tabula. 180.
Ceffinius, Bencivennes. 6. *Gronovii hoſtis.* Ibidem.
Cellarius. Chriſtoph. Eius commen. ad Iulium Caeſarem 274.
Cenotaphia Piſana a Noriſio illuſtrata. 119.
Ciampini, Io Monumenta. 192
Cicala R. P. commendatur. 274.
Ciceronis Opera Omnia cum Var. 190.
Copeſii, Henrici, Epiſtolae ad Magliab. 273. *Itinera.* Ibidem & ſeq.
Coſſoniana Memoria. 249. 329.
Coſſonius, Daniel, Epiſtolae. 205. *Varias Aſiae Antiquitates collegit* 51.
Coſmius. Stephanus. 88. 91.
Croeſii Homerus Hebreus. 386.
Crucii Itinerarium. 178.
Cuningamii iter. 168
Cuperus. Giſbertus, ambitioſus homo. 227. *Eius Apotheoſis Homeri.* 140.

Da-

Digitized by Google

G

Geſneri Bibliotheca. 296.
Goeſii Roberti iter Italicum. 389. 390.
Goeſius VVilhel. 105. 113. *Eius Epiſtolae ad Ant. Magliabechium*. 389. *Pilatus Iudex*. Ibidem. & 390. *Coniectanea in Suetonium*. 395 *Effigiem Magliab deſiderat*. Ibidem. *Eius Sententia de Sertorii Vrſati opere*. 399. 400. 341. *Eius Iter in Hollandiam*. 402. *Morbus*. 402. 404.
Gracchia, Rainerius. 245.
Graevius, Io: Georgius Oratio in obitum Mariae Stuartae. 279. *Eius Comm. in Cic. Officia*. 174. *Orat.* 210. *Theſaurus Antiq.* 324. *Commendatur*. 300. *Eius Callimachus*. 330.
Groenendyquii Iter Italicum. 181.
Gronovius, Iacobus. Eius Epiſtolae ad Magliabechium. 1. *Eius primus in Piſanam Academiam introitus*. 4. *Eius Poema de adventu M D.* 10. *Quorundam in ipſum ſimultates*. 18. *Apud Magliabechium ſe purgat*. 20. *Piſanam Academiam deſerit*. 21. *Quos Bononiae, Patavii, Venetiis noverat, pro meritis proſequitur*. 28. *Eius Amici Flor.* 27. *Supplementa lacunarum in Aenea Tactico* 50 *Eius aegritudo*. 90. *Livii Editionem molitur*. 31. 59. 123. *Eius Animadverſiones in quaedam Geneſeos verba*. 57. *Theſaurum Graecarum Antiquitatum molitur*. 211. 255. *Eius Epiſtolae ad Coſmum III.* 237. *Exercitationes in Stephani fragmentum*. 123. *Diſſert. de morte Iu-*

Iudae. 139. *Graecae Linguae Profeſſor in Acad. Lugduno-Batava*. 112. *Oratio inauguralis*. Ibidem. *Gronovii amicitia commendatur*. 342 *Oratio in obitum Chriſt. Vittichii*. 171. 182. *Harpocrationis Editionem molitur*. 179. *Noriſii hoſtis, qua de cauſſa*. 3. *Comment. in Manethonis Apoteleſmata*. 330. *Eius lites cum Dodvvello*. 338.

Gronovius, *Io. Fred. de Seſtertiis*. 180.

Gronovii, *Laur. Teod. Opera*. 200. *Epiſtolae ad Magliabechium*. 243. *Eius iter Italicum*. 248. *Marmoreae baſis explicatio*. 254. 256. 257. *In itinere ſpoliatus*. 244. *cuiusdam Inſeriptionis explicatio*. 267.

H

Harduinus, *Io. de nummis Herodiadum*. 193.

Harpocrates cum Gron. 179.

Heinſiana Bibliotheca. 125.

Heſſelius, *Franc. eloquentiae Rotherodami Profeſſor*. 299.

Hiſtoria Auguſta. 198.

Holtbenii, *Eduardi*. *Muſaeum*. 407. *Bibliotheca*. 408.

Homeri Apotheoſis. 140.

Hortus Malabaricus. 397.

Hottonii, *Petri Epiſtolae ad Magliabechium*. 283. *Eius Sermo Academicus*. 284.

Huntengtoniae Comitis mors. 385.

I

Iacobeus, Oligerus. 92.
Iens, Io. Laetitiae publicae ſpecimen in Expedict. Britan. 172.
S. Ignatii Epiſc. Antioch. Epiſtolae. 114.
S. Ioannis Chryſoſtomi Epiſtola ad Caeſarium Monachum. 160.
Ioannis Gaſtonis Magni Etruriae Ducis Iter. 262.
Inſcriptio Troiana antiquiſſima. 314.
Inſcriptiones Raph, Fabretti. 331.
Itinerarium Tollii. 337.

K

Kaiſer, Luneburgenſis, Iter. 254.
Koolius, Io. commendatur. 205. Ad Gronovium Epiſt. 341. Epiſtolae ad Magliabechium. 329. Eius ſententia de Anglis. 327.
Kuſterus, Berolini Profeſſor. 336. Eius iter. Ibidem.

L

Leeuwenhoekii, Antonii, Epiſt. ad Magliabechium. 345. Opera. 348. 349. Obſervationes de quibusdam animalculis. 358.

Lomeyerus. 340. *Eius Opera.* Ibidem. *Mors.* Ibidem 340.
Lotti, Medicus Florentinus, eius iter. 354.
Lumlei, Anglus, eius iter. 291.

M

Magliabechii, Iacobi, mors, & laus. 265. 266.
Magliabechius, Ant. commendatur. 184. 185. 289. 323. 334. *Invidetur.* 178. *Eius humanitas.* 186. 211. *Pingi recuſat.* 215. *Eius commercium in Dania.* 164.
Mahommedicae Theologiae compendium. 384.
Malfitana Bibliotheca. 244.
Malvaſiae. Car. Marmora Felſinea. 275.
Manethonis Apoteſmata. 330.
Marcellini, Ammiani editio. 339.
Marmoris Puteolani explicatio. 266.
Mediobarbi, Comitis, Mors. 255.
Meiderus Bremae Profeſſor. 364.
Mela, Pomponius, de ſitu Orbis cum var. 152.
Mithrae Sacrorum Deſcriptio. 176.
Montalbani, Ovidii, Opera. 288.
Montfauconii Bern. Imago. 223.
Morelli, Andr. Specimen Rei Nummariae. 169. 171.
Moyne, Steph. le. Eius mors. 180. 183.
Munckerus, eius Plagium. 78. 84.

Na-

N

Naſonianum Sepulcrum. 162.
Neocorus, *Berolini Profeſſor*. 336. *Eius iter*. Ibidem.
Nodotii Franc. Codex Petronii. 269. 270.
Nomius, *Frid. Eius Satirae*. 196.
Noriſius, *Henricus S. R. E. Card.* 3. 11 *Eius Diſſertationes*. 91. *Eius cum Gronovio ſimultates* 11 *Cenotaphia Piſana illuſtrata*. 119. *Miles Macedonicus* 73. *Vaticanae Bibliothecae cuſtos*. 188 *Eius annus & Epochae Syromacedonum*. 192.
Nummariae Rei ſpecimen. 169. 171.

O

Orſati, *Sert. Hiſtoria Patavina*. 108. *Marmora erudita*. 177.
Othonis effigies. 367.

P

Pandectarum Flor. editio. 233. 244. 244.
Paſſerini, *Franc. Bibliopola Flor*. 23.
Paſſioneus Dominicus S. R. E. Card. commendatur 228. *Eius Iter*. Ibidem.
Paulatii caſus. 285.
Perizonii, *Iacobi*, *Diſſertationes*. 117. *Hiſtoria Bel*-

Belgica 298. *Eius Epiſtola ad Magliabechium*. 371.
Piazza Io Noſocomio Militari M. D. Etrur. Praefectus. 226.
Puteolani Marmoris explicatio. 266.

R

R*Aii Io: de Re Herbaria*. 284.
Ramazzini, *Bernardus*, *de conſtitutione anni* 1691. 346.
Relandi, *Hadriani*, *Epiſtolae ad Magliabechium*. 383. *Eius Diſſertationes*. 384. *Varia Opera*. Ibidem.
Rulaei Philippi Epiſtola ad Magliabechium. 375.
Rumuley eques Anglus. 278. *Magliabechium videre flagrat*. Ibidem.
Mors. 313. *Ricovratorum Academia*. 161.
Ruyſchii Conr. Epiſtolae ad Magliabechium. 361.
Ryckius, *ſeu Ryquius*. *Theod. de primis Italiae Colonis*. 70. 136. 302.

S

S*Alvinius*, *Ant*. 223. *Laudatio funebris Benedicti Averanii*. 192.
Schacht, *Lucae mors*. 180.
Sardinia, *Tinctura*. 227.
Sardianorum Nenia. 251. 252. 260.
Spanhemius, *Frid. Eius Geographia*. 214. *Eius Mors*. 213.
Sperlingii, *Ottonis*, *de nummis non cuſis*. 340.

Spo-

Sponii, Iac. Itinerarium. 316.
Statii Codex in Magliab. adſervatus. 297.
Stephani Byzantini Codex Peruſiae adſervatus. 307. *Opera.* 179.

T.

TAurellus, Laelius, 233. 244.
Tillius, Michael Ang. in Piſano Lyc. Prof. 284.
Theonis Smynaei Codex, 387. *In Laurentiana adſervatur.* Ibidem.
Tollius Iacobus. 100. *Eius Sermo Gratulatorius.* 175. *Epiſtolae Itinerariae.* 337.
Toppi, Nicol. Bibliotheca Neapolitana. 116.
Trimalchionis coena. 269.

V

VAnden Broeck, Petrus Adrianus Belga Piſis Profeſſor. 33.
Vander Cam Lovanienſis. 26.
Vanini, Iul. Caeſ. Amphitheatrum Aeternae Providentiae. 409. *De Natura Dea, Reginaque rerum.* Ibidem.
Van Thyen iter. 174.
Vaticanae Bibliothecae Cod. copia. 278.
Verle, Io: Bapt. Anatomes Artificialis Oculi. 250.
Velſchii Mors. 107.
Virgilius, Marcellus, Dioſcoridis interpres. 286.
Vittichius, Chriſt. Eius mors, & laus. 171.

VVan

VVan Suieten, iter Italicum. 249.
VVeſtenius Onomaſticon Pollucis edidit. 337.
VVoodvvaard, Medicus. 224.
VVorms, Ioſua, Iudaeus Medicus. 169.

FINIS.

MAG 2019041

Digitized by Google

Digitized by Google